




3
ATLASY














V
B J
C
3 ATLASY
V



Biblioteka Jagiellońska
1002970891






ASIÆ,
LIBER PRIMVS.
NOVVS
ATLAS
SINENSIS,
A
MARTINO
MARTINIO
Soc. Iesu
DESCRIPTV
ET
SERENISSIMO
ARCHIDVCI
LEOPOLDO
GVILIELMO
AVSTRIACO
DEDICATVS.
Cum privilegio S. C. Maj.
et Ord. Fœd. Belg.
CLAVSA RECLVDO

IMPERIVM TVRCICVM.



Vrcarum meminit Pomponius Mela lib. primo, ubi ait: *Fœcundos pabulo juxta Mæotim, ad alia steriles nudosque campos tenent Budini. Geloni urbem ligneam habitant. Iuxta Thyrsageta Turcæque vastas sylvas occupant, aluntur que venando.* Eosdem agnoscit Plinius lib. VI, cap. VII. Neque est dubium, quin ab his nominis & gentis originem traxerint illi qui longe lateque hodie imperant. Turcia ipsa omnis ab Italia, Germania, Polonia, Moscovitis, Persis, Indis, Abyssinis, ac per universam Africæ oram ad Gades ferè, à Lybia interius, & ab Hispania, Galliave exterius: Hadriatico mari, Alpibus, magnis fluminibus, Borysthene scilicet ac Tanai: sylvis, paludibus, continuis montibus, Hyrcano mari, vastis plagis, patentibus arenarum campis, inviis desertis, mediterraneoque iterum separatur. Cetera Rubrum mare & Oceanus ambit, Arabicos sinus & immensa terrarum spatia complectens, iis contermina gentibus, in quas Lusitanorum superioris seculi felix audacia aditum sibi & imperium aperuit. Ad octies mille passuum millia à Venetis usque ad Gades ejus imperii littora per Adriaticum Ægæum ab Europa: Euxinum, & rursum Ægæum ab Asia: Ionium ac reliqua mediterranei sese effundunt. Nec minor terrestris per supradictas regiones est ambitus. Medium quod jacet omne, continuo indiscretoque cursu, dominos solum agnoscit Turcas. Tanta est ejus amplitudo, ut excepta Italia, Gallia, Hispania, Germania, & Sarmatia, cum exigua Hungariæ, Græciæque parte, terrarum omne Romanis olim subjectum, hodie à Turcis teneatur, aliquibus provinciis, populisque adjectis, qui Romanorum quidem arma, imperium vero non noverunt.

Turciæ fines.

Origo & successus imperii Turcici.

Primus apud Turcas rerum potitus est *Osman*, qui *Ottomannus* dicitur, Tartarus natione, miles magni Chami, homo audax, corporis viribus præ ceteris eximius. Hic prætextu injuriarum quarundam secedens à Tartaris, cœpit in Cappadocia montes atque aditus insidere. Habebat initio apud se equites XL. Accessere tum prædæ spe, tum scelerum suorum conscientia permoti alii multi, quorum opera, quod clam ante instituerat, palam aggredi cœpit. Occupavit Cappadociam, Pontum, Bithyniam, Pamphyliam, & Ciliciam, regiones opulentissimas. Initium principatus hujus referunt ad annum Christi 1300. Imperavit annos XXVIII.

Successit ei *Orchanes*, qui patrium imperium iisdem artibus, sed majore opum vi servavit, auxitque, usus imprimis oportunitate Christianorum, animis inter se dissidentium: quo factum est, ut *Mysiam, Lycaoniam, Phrygiam, Cariam* domuerit, *Niceam* obsederit ceperitque, & regnum ad Hellespontum usque protulerit. Contendebant eo tempore inter se Palæologi Constantinopolitani cum Cantacuzeno. Ratus autem Orchanes, quod res erat, fore ut si huic faveret, in Europam accerseretur, trajecit, & viam posteris stravit Europam divexandi. Sub finem vitæ infeliciter cum Tartaris decertans, occubuit, postquam regnasset annos XXXVI.

Secutus est hunc filius Amurathes, magnus simulandi & dissimulandi artifex, robore animi, laborum tolerantia, disciplina rei militaris majoribus suis par. Anno 1363 Callipolin in Chersoneso Thracica occupavit: quam statim magna pars Thraciæ sequuta est. Postea devicit *Mysiam, Bessas, Triballos.* Denique quum expugnata *Adrianopoli*, Serviæ, Bulgariæque inhiaret, à Lazaro Serviæ Despota victus occisusque est, anno imperii XXXI. Liberos reliquit Solimannum, & Bajazetum.

Bajazetus fratre interemto, rerum potitus, Thraciam omnem sibi subjugare instituit, qua superata animum ad Constantinopolin adjecerat: sed primum *Thessaliam, Macedoniam, Phocidem, Atticam* occupare visum est. *Mylios* quoque, qui hodie Servii, *Illyricos*, qui hodie Bosnenses, & *Triballorum*, qui Bulgari dicuntur, partem reliquam, Principe Bulgariæ interfecto, subegit. Iamque Constantinopoleos suburbia spoliaverat, urbemque ipsam octo annos obsederat, quum Hungarorum, Gallorumque, quos Imperator eo nomine in Italiam profectus accersiverat, adventantium copias reformidans, relicta obsidione ad Nicopolim iis occurrit, congressus victor evasit, cæsis captisque magna ex parte Gallorum ducibus. Occubuit eo prælio Ioannes Burgundiæ Dux. evasit Sigismundus Hungariæ & Bohemiæ Rex. Elatus rerum successu Bajazetus, rursus Constantinopolin contendit, eamque longa triennii obsidione fatigavit: jamque actum erat de obsessis, quum


TVRCICVM IMPERIVM
Concordia res parvæ crescunt
Discordia maximæ dilabuntur.
Magnifico Prudent.mo Spectat.moq; Viro
DAVIDI DE WILHEM
I.V.L. Curiæ Brabanticæ Senatori,
et Ill.mi Arausionensiũ Principis Consiliario, viro Orientalium linguarum
peritissimo, studiorumq; quotquot
sunt, elegantiorum fautori serio,
Tabulam hanc D.D.D.
Guiljelmus et Iohannes Blaeu.
Septentrio
Merid.
Occidens.
Oriens.
EVROPÆ PARS
TARTARIÆ PARS.
Magni Ducis Moscoviæ confinia
MARE MAGIORE al. PONTVS EVXINVS
MARE DE BACHV al. CASPIVM MARE ET HYRCANVM
NATOLIA
ASIA MINOR
ARMENIA
MESOPOTAMIA
DIARBECH
ASIÆ PARS
PERSIÆ PARS.
MARE MEDITERRANEI PARS.
MARE ÆGYPTICVM
CANDIA olim CRETA
CYPRVS
Regni Tunetani pars.
BARCHA
ÆGYPTVS
SAHID.
ARABIA DESERTA.
AYAMAN.
ARABIA FELIX.
MARE ELCATIF al. SINVS PERSICVS
AFRICÆ
Linea sub Tropico Cancri
NVBIÆ REGNI PARS
BARNAGASSO.
Hic Presbiter Iohannes totius Æthiopiæ re longe lateque imperitat
MARE DE MECCA al. SINVS ARABICVS
MARE ARABICVM et INDICVM
ADEN.
Milliaria Germanica communia

Tamerlanes magnus Tartarorum Cham, igni & ferro Asiam totam depopulari, urbes vastare, prædas agere instituit: cujus ille subito terrore evocatus, in Galatiæ & Bithyniæ finibus aciem instruxit. Pugnatum est adversis signis multam in noctem. Bajazetus superatus, captus, aureisque compedibus vinctus in cavea per Asiam à Tamerlane traductus fuit. Periere Turcarum ducenta millia. Incidit hæc clades in annum Christi 1397. Bajazetus cùm post triennium desperata liberatione audisset in Tartaros se abducendum, caput validis iteratisque ictibus caveæ ferreæ incussit, & indignantem animam sic emisit, postquam regnasset annos XII, menses VI. Filios reliquit Calapinum, Mahumetem, & Mustapham.

Calapinus, qui & *Alpin*, subito extinctus est; filius ejus Orchanes à Moyse patruo occisus: ipse etiam Moyses à fratre Mahumete I. Hic Valachiam Macedoniamque omnem devicit, signaque Turcica ad Ionium usque pelagus protulit. Regiam constituit Adrianopoli, & postquam imperasset annos XVII, vita functus est anno Domini CIↃ CCCC XXII.

Ei successit *Amurates* II, qui *Mozatbeq* suis. Hic Genuensium opera in Thraciam delatus, patruum suum Mustapham, cui Græci addictiores erant, bello vicit. *Thessalonicam* urbem antiquam, & tum temporis amplitudine, amœnitate, opibus, situque illustrem, quam tunc Veneti tenebant, evertit; *Cyprum, Epirum, Ætoliam* subegit. Quumque intelligeret, rebus suis stabiliendis, Christianorum vero debilitandis, magnopere sibi Georgii Despotæ, Serviæ domini, amicitiam prodesse posse, eam omnibus modis ambiit, ducta insuper ejus filia in uxorem. Fretus itaque tum suis viribus, tum perfidi Despotæ fide, Belgradum ad Savi & Danubii confluentem sitam urbem, quam paulo ante Despota Sigismundo Imperatori dono dederat, oppugnare aggreditur. Periere in ea obsidione septem Turcarum millia. Hac victoria confirmati Christianorum animi majora sperare incipiunt. Vladislaus Poloniæ & Hungariæ rex, Ioannem Hunniadem ob res bene gestas Vaivodam sive Ducem Transilvaniæ fecerat. Hic Serviam ingressus, Turcas expulit; eos denique postea, Transilvaniæ fines ingressos, longe lateque stravit. Posthæc in Bulgaria sexies uno die cum Turcis justo prælio decertans, semper victor evasit. Capta ibi hostium millia quatuor, signa novem, duces tredecim. Ad extremum Amurathes tot malis amens; indignansque induciarum fœdera sancte concepta, Eugenii Pontificis suasu ab Vladislao temere rupta esse; copiis suis omnibus collectis, extrema experiri statuit. Erant tunc forte castra Christianorum ad lacum Varnensem. Turca corruptis speculatoribus, infra Callipolim ex Asia in Europam repente transmisit exercitum; solvitque Genuensibus, penes quos faucium illarum potestas erat, centum millia aureorum. Pugnatum est utrinque magnis animis tres dies perpetuos. Tandem victoria penes Amurathem fuit, merito Christianos fractæ fidei incusantem. Rex Vladislaus eo prælio confectus interiit. Hunniades ægre salvus evasit. Iulianus Cardinalis, auctor, ut quidam volunt, rupti fœderis, equo delapsus, miserè animam in devio saltu exhalavit. Quibus rebus elatus Amurathes, murum Hexamilum in Isthmo Corinthiaco exstructum diruit: ac tandem in Prusia Bithyniæ urbe, in qua sedes tunc erat Imperatorum, vitam finiit, anno imperii sui XXX.

Suffectus ei fuit in imperio *Mahumetes* II. Hic cum tyrannidem suam fratris nece stabilivisset, Constantinopolim expugnavit, anno 1453, penultima die mensis Maji. Postea Bulgariam occupavit, & arcem Rasciæ ad Danubii ripam, quam vocant *Smideron*; tum Dalmatiam & Croatiam, cum Rascia omni. Trapezuntem etiam vicit, & Mitylenem, cum aliis quibusdam Ægæi maris insulis. *Eubœam* cepit & *Theodosiam*, quæ nunc Caffa dicitur, Genuensium urbem, in Taurica Chersoneso. Tandem frustra oppugnata Rhodo obiit Cal. Maji, an. 1481. Regnavit annos XXXI, vixit LVIII. Filios reliquit Bajazetum, & Zyzymum.

Bajazetus II rerum potitus, fratrem, frustra Sultani Ægyptii auxiliis adjutum Prusia, Asiaque omni expellit, qui cum ad Christianos defecisset, & Rhodum venisset, inde missus est in Galliam, posteà anno 1488 Romam ad Innocentium VIII, neque multo post ab Alexandro Papa veneno porrecto extinctus est. Bajazetus interea *Ciliam* & *Album Castrum* in Moldavia expugnavit: *Modon* insulam & urbem Venetis eripuit: cum Sophi rege Persarum diu infeliciter bellum gessit. Imperavit annos XXXII.

Zelymus I filius, vitæ patris pertæsus, eum veneno interfecit. Idem fratres nepotesque strangulari jussit. Primus in Africam trajecit, & ejecto Sultano magnam partem Ægypti occupavit. Constantinopolim reversus, cancro renes depascente extinctus est, anno M D XX, postquam regnasset annos 8, vixissetque XLVI.

Successit ei Solymanus, qui *Belgradum* cepit, *Rhodum, Strigonium, Budam*, aliasque Hungariæ urbes. Obiit anno imperii sui XLVII.

Sequutus est *Zelymus* II, qui Cyprum Venetis ademit, Tunetum & Goulettam occupavit. Hoc imperante classis Turcica ad Naupactum memorabili victoria à Christianis profligata est.

Eum-

Eum *Amurathes* III excepit.

Hunc *Mahumetes* III, qui parricidio interemptis fratribus duodeviginti, imperium auspicatus est.

Post hunc Achmetes, & Mustapha frater Achmetæ, & *Osmannus* imperavit, quo, ob res infeliciter gestas adversus Polonum, aliaque interfecto, successit iterum

Mustapha, eductus è carcere, & mortem, non Imperium cogitans. Quem in solio ita collocatum, tantâ, qualis quidem apparebat, felicitate diu frui Fatum noluit. anno quippe sequenti, eâdem, quâ ad Imperium evectus, temeritate dejectus, carcerique iterum mancipatus est.

Achmetes II, Osmanni frater, in ejus successit locum, ætatis suæ anno decimo quarto.

Amurathes IV, Moscovitis in Polonos bella moventibus, fuit auxilio: qui ætat. 33. Constantinopoli obiit, anno 1640.

Ibrahim ejus nominis I, Amurathi fratri successit. Qui Princeps, anno 1645 Venetis, & Melitensibus Equitibus acre indixit bellum; insulamque Candiam primum adortus, Castrumque à S. Theodoro denominatum, cepit, urbemque Caneam, celebre utique munimentum, terrâ marique cinxit obsidio; & tandem altero obsidionis mense ad deditionem coëgit. His ita gestis, armatos in Dalmatiam mittit exercitus, qui provinciam istam vastarent, plurimisque inde ditati spoliis, incolas quamplurimos, mancipia catenatis destinata laboribus, abducerent. Anno 1646 Novigradiam, munitissimam licet urbem, in suam Turcæ potestatem redegere. Versâ tamen fortunæ paginâ, maximas aliquoties strages cladesque à Venetis iidemmet perpessi sunt. Verum enimvero infensissimi Christiano nomini hostes, navali classe multo ingentiori reversi, Caneam à Venetis obsessam propugnant, quos obsidionem cogunt solvere; Rhetymumque, septem à Caneâ distantem milliaribus civitatem, vi occupant. Tandem hic idem Princeps, anno 1648 seditiosorum subditorum armis interfectus est; Magno, quem vocant, Visirio, sive Imperii Turcici supremo moderatore, ab iisdem paulo ante occiso.

Mahomet IV, Patri successor datus ætat. suæ anno tantum 16, Bellum in Venetos, sedecim jam, & quod excurrit, annos perdurans, continuat: cujus compositio ulla necdum apparet.

Ex his omnibus constat, Turcarum Imperatorem latas admodum amplasque regiones tenere. In *Europa* Hungariæ magnam partem, & Thraciam, cum Græcia, hoc est, Macedonia, Epiro, Achaia, Peloponneso, & insulis maris Ægæi possidet: præterea Illyridis sive Slavoniæ partem: tum Bosnam, Serviam, Rasciam, & Bulgariam. In *Africa* habet Algerium, Tripolim, totam Ægyptum, ab Alexandria usque ad Asnum urbem, quæ Syene est. In *Asia* vero habet Natoliam, quæ est Asia minor, Cyprum, Palæstinam, Cælesyriam, Babyloniam, Arabiam omnem cum Armenia.

Regiones subditæ Turcis.

Beglerbegatus Asiæ.

1. Anatoli beglerbeg. Ejus sedes est in civitate Cutaige Phrygiæ majoris, quam olim Cotyaium Græci nominabant. Sangiacos habet sub se duodecim.

2. Caramam beglerbeg. domicilium habet ad Caisariam Ciliciæ, de qua suo dictum loco. Septem sub hoc sangiacatus sunt.

3. Sivas beglerbeg. ad Sebastiam.

4. Tocatum beglerbeg. Residet ad urbem Amasiam. Sub eo sunt quinque sangiacatus. Idem alibi scribit, Carachissar, (veteribus Corycum,) id est, Arx nigra, quæ in beglerbegatibus ponitur in Amassæ Tocatique provincia, complectente Paphlagoniam, Galatiam & Cappadociam: ubi Sangiacatus hi conjunguntur, Carachisar, Sasum (priscis Sasima) Tarabosan sive Trapezus.

5. Dulgadir beglerbeg. Quatuor sub se sangiacatus habet.

6. Halep beglerbeg. ad Helepum sive Berrhœam Syriæ.

7. Scham beglerbeg. ad Damascum Syriæ.

8. Tarapolos vel Trapolos beglerbeg. ad Tripolim Syriæ.

9. Maras beglerbeg. ad Marassum, propter Euphratem situm, inter Halepum & Mesopotamiam.

10. Diarbekir beglerbeg. in Mesopotamia, ad urbem Amidam, quam Turci nunc Carahemid nominant. Sangiaci parent huic duodecim.

11. Bagdat beglerbeg. ad Bagdatim sive novam Babylonem.

12. Balsara beglerbeg. ad sinum Persicum, non procul à Bagdat sive Babylone.

13. Laxa beglerbeg. Antiquitus Carmania. tendit ad limites Ormuz, & Persis est finitima.

14. Gemen, Aden beglerbeg. in Arabia Felici, ad litus Rubri Maris. Diversa loca sunt, uno tamen beglerbegatu comprehensa.

15. Chebetz, Huslio Zebet beglerbeg. Locus situs in littore sinus Arabici, finitimus est imperio regis Æthiopum Præteiani.

16. Missir beglerbeg. Cairo præest, & toti Ægypto. Sangiaci sub eo sexdecim.

17. Cypri beglerbeg. Nicosiæ vel Famagustæ degit.

18. Scheherezul beglerbeg. in Assyria, Persis finitimus.

19. Wan beglerbeg respicit Persarum fines, versus Siruanum sive Mediam, & Armeniam majorem.

Asia. C 20. Ar-

20. Arzerum vel Erzrum beglerbeg. in Armenia majori, ad limites Siruani ſive Mediæ, & Georgianorum. Diſtat à Tarabo ſane ſive Trapezunte ſex dierum itinere.

21. Tiphlis beglerbeg. finitimus Georgianis ſive Curgginis, ut nunc appellantur. Inſtitutus fuit à Muſtapha baſſa Serdare anno Chriſtiano 1578, menſe Septembri. Locus etiam priſcis notus; apud Cedrinum reperitur in Conſtantino Monomacho, verbis hujuſmodi: Aſan (is erat è Tangrolipicis fratre natus) à Sultano Tangrolipice miſſus contra Romanos, quum Taurezium, & oppidum nominatum Tephlis, præteriiſſet: Vaaſpracaniam ingreſſus eſt, id eſt, Mediam.

22. Siruan beglerbeg. Hoc nomine Media nunc appellatur, à metropoli Siruan, quam eodem anno Muſtaphas idem cepit, & primum iſtic beglerbegum conſtituit Oſmanem baſſam famoſum: ſed à Perſis non multo poſt ejectus fuit. Nihilo tamen minus hic beglerbegatus Oſmanidarum inſcriptus eſt libro, qui niſi reſtituatur, numquam ſe pacem facturos cum Perſis profitentur.

23. Temircapi beglerbeg. Locus eſt ad mare Caſpium, Porta ferrea dictus & Capi derbent, Porta faucium vel anguſtiarum. Cepit hunc Oſman baſſa eodem anno 1578, & in formam beglerbegatus, necato Schemhali Chane, ſocero ſuo, redegit.

24. Cars beglerbeg. Cedrinus Carſe nominat, & in Perſamenia collocat, quæ nunc Armenia major eſt. Diſtat Cars ab Arzerum quatuor dierum itinere. Beglerbegatus cœpit anno Chriſtiano 1579, auctore Muſtapha baſſa.

25. Tſchildir aut Tzildir beglerbeg. ad fines Georgianorum, ab eodem Muſtapha baſſa inſtitutus, anno 1579. Porſius Tſchaldung perperam ſcripſit.

26. Faſſa beglerbeg. in Mengrelia. Munitio ſtructa per Vluzalim Capitan baſſam fuit anno 1579, & ibidem inſtitutus beglerbegatus. Sed paullo poſt diſceſſum ejus captam viciſſim Georgiani diruerunt. Civitatis Phaſianæ mentionem facit Leonis Auguſti novella de thronis, & epiſcopum ejus refert ſub metropolim Trapezuntis. Hæc eadem cum hodierna ſcilicet Phaſſa fuerit.

27. Sochum beglerbeg. in Georgianorum finibus, à Sinane baſſa Verizazeme inſtitutus, anno Chriſtiano 1580.

28. Batin beglerbeg. ibidem à Sinane tunc inſtitutus.

29. Revan beglerbeg. Hunc locum Ferhates baſſa cepit & munivit anno Chriſtiano 1582, ereptum Tocmaci Sultano, Perſicarum partium principi. Beglerbegus iſtic primus fuit Cigaloglis baſſa. Genuas.

30. Somakie beglerbeg. Somakia Chalcocondyli Samachia nominatur. Beglerbegatus auctor fuit Oſman baſſa, anno Chriſtiano 1583.

Poſteriores autem beglerbegatus hi, bello decennali Perſico, inſtituti; quemadmodum novi ſunt, ita potius nomine tenus ſic adpellandi veniunt, nec cum antiquis comparandi. Nunc ordinem naturæ ſequendo, provinciis Aſiæ recenſitis, meridiem verſus ab oriente progrediamur.

Beglerbegatus Africæ,

1. Ceſair beglerbeg. Sedem habet in Algeſair, quæ noſtris eſt Algerium.

2. Tuniſi beglerbeg. reſidet ibidem.

3. Tripoli beglerbeg. domicilium ibidem habet.

Sunt autem Africæ duo præterea regna, libro Turcorum vel Oſmanidarum (ut ipſi loquuntur) inſcripta; quæ tamen necdum inter beglerbegatus referuntur, ſed potius tributariorum ſeu feudorum nomine veniunt; Feſſa nimirum, cum Maroco.

Nunc ad occidentem, & aquilonem, quæ reſtent provinciæ, videamus.

& Europæ.

I. Rumelli beglerbeg, quem Græciæ vocant. Sedes ejus eſt Sophiæ. Sub ejuſdem vexillo ſangiacatus infra ſcripti continentur.

1. Sophia Serviæ.
2. Nigeboli ſive Nicopolis. cis Danubium ſita eſt qui muros ejus alluit.
3. Kirckliſſe, id oppidum eſt Thraciæ quod à Græcis Saranta Eccliſies appellatur, priſci dixiſſent τεσσαράκοντα Ἐκκλησίας.
4. Vyza, Thraciæ.
5. Kirmen, Macedoniæ. Scribit alibi Leonclavius: Kermen ſeu Chermen ſitum eſt in Moldaviæ Tartariæque finibus verſus Pontum Euxinum, ubi ſcilicet Danubius ſe in hunc effundit. Eſt Sangiacatus hodieque Beglerbego Romaniæ ſive Græciæ ſubjectus.
6. Siliſtra, ibidem. Bulgariæ oppidum.
7. Giuſtandil, ibidem. Priſcis (inquit Leonclavius) vocatam puto Iuſtinianam primam, Macedoniæ quidem illam, ſed verſus Illyricum, vel in ipſo potius Illyrico ſitam.
8. Bender, verſus Euxinum Keraioſque Tartaros.
9. Acherman, ſive Chermen, in Moldaviæ Tartariæque finibus verſus pontum Euxinum, ubi ſcilicet Danubius ſe in hunc effundit.
10. Vſcopia.
11. Priſrem, Theſſaliæ.
12. Salonichi, Theſſaliæ.
13. Trichala, ibidem: priſcis *Tricca*.
14. Miſitra, quondam Sparta, Moreæ.
15. Palæopatra, ibidem.
16. Iagnia, Ioannina Ætoliæ.
17. Delvina } Achaiæ.
18. Elbaſſan } Achaiæ.
19. Avelona.

20. Du-

20. Ducaggin.

21. Iscodar, in Albania: Scutarium Græcis *Scodra*.

II. Denizi beglerbeg. qui & Capitan bassa vulgo, pro maris capitaneo sive prætore. Sedes ipsius est Gallipoli. Sangiacatus ei subjecti sunt:

1. Gallipolis.
2. Galata.
3. Nicomedia.
4. Lemnos.
5. Mitylene: est insula Lesbus.
6. Chios.
7. Nexia, ibidem. Nexus.
8. Negroponto. Egripos insula Turcis dicitur, quam vulgo jam Negropontum appellant, sicut & primariam insulæ civitatem: quæ ponte, cui castellum adjunctum est, cum Achaiæ continenti adhæret. Vrbi nomen apud priscos erat Chalcis, Insulæ vero Euboea.
9. Rhodi.
10. Cavala.
11. Napolidi Romania.
12. Lepanto.
13. S. Maura.
14. Alexandria.

III. Budum beglerbeg. Sedes ejus ibidem. Subjecti sunt ipsius jurisdictioni sangiacatus hi fere:

1. Novigrad: quæ Turcis & Croatis *Nove* dicitur, arcis novæ significationem habet, in Serviæ finibus sita. Primus hanc Murates cepit, sed Christiani recuperarunt & sub Muchmete II rursus eam amiserunt.
2. Filek: arx Sepusio adjacens.
3. Zetschen, sive Zetzen.
4. Zolnok.
5. Gran: Strigonium ad confluentem Grani in Danubium.
6. Segedin.
7. Alba regalis.
8. Sexard: vel Sexsart inter Budam & Nanderalbam.
9. Simontorna.
10. Copan.
11. Muhatz.
12. Ziget, sive Saswat. Arx est & arte & natura loci munitissima, undiquaque enim paludibus est circumdata & veluti immersa in finibus Sclavoniæ, haud procul à Quinque Ecclesiis.
13. Perscheu, vel Quinque Ecclesiæ.
14. Syrmium.
15. Semendria, oppidum Serviæ, non procul à Belgrado ad ripam Danubii situm: Vngari vocant Zendrea, corrupto nomine pro S. Andreæ.

IV. Temeswar beglerbeg. residet ibidem. Subjecti sunt ejus administrationi sangiacatus hi:

1. Temeswar: castellum & oppidum in inferiori Panonia situm, opere, natura & præsidio imprimis munitum, à flumine Temesa præterlabente sic dictum.
2. Mudava.
3. Vilaoswar.
4. Tschianad.
5. Vutschitirni.
6. Giula.
7. Vidin.
8. Lipa. Hanc Sigismundus princeps Transilvaniæ Turcis eripuit anno 1595.

V. Bozna beglerbeg. Sedes ipsius in Bagnialuca. Sangiacatus hi subditi sunt:

1. Bagnialuca.
2. Polchega.
3. Clissa.
4. Herzegovina. Regia Bozinæ superioris versus Iadram sive Zaram & Epidaurum, nunc Ragusam se porrigentis, *Herzec* à Turcis appellatur, à Castaldo, Chersec, ab aliis Orzega, à Bozinacis & Croatis *Herzegovina*: quod Ducis sive Principis sedes esset, quem *Bozinaci*, Croatique cum Vngaris, Germanico vocabulo nominant *Herzog*.
5. Lika.
6. Sazeschna.
7. Iswornik.
8. Brisrem.
9. Allatschia chissar.

VI. Coffe beglerbeg. Ejus sedes est ad urbem Capham in Taurica Chersoneso trans mare nigrum sita, Genuensium quondam colonia; olim Theodosia: Sangiacatus duntaxat erat initio. Beglerbego Græciæ subjectus. Præter Capham, & ei vicina loca, sangiacatus omnes ditione sua complectitur, ad Tanaim paludemque Mæotidem sitos. Sed verum si fateri volumus, beglerbegi nomen potius titulo, quam potestatis amplitudine tuetur.

Forma regiminis. Forma Imperii Turcici plane est despotica & Monarchica. Adeo enim absolute rerum omnium intra fines sui dominii contentarum Dominus est, ut incolæ se mancipia ejus, non subditos nuncupent. Nec sui quisquam juris est, multoque minus domus, quam inhabitat, aut terræ, quam colit, dominus est, exceptis aliquot familiis Constantinopoli, quibus præmii loco & privilegio id concessum à Mahomete secundo fuit. Onera Imperii penes Vizirium supremum, cetera per Divan, hoc est, per Senatum administrantur. *Ianizerorum* turba ingens. Hi veluti Prætoriani olim milites Dominum custodiunt; præfectum, & stationes, castrorum instar, sortiti. Ipsi Imperatori ob multitudinem & robur sæpe graves sunt, ideoque eorum libitu munera dare, aliaque multa facere cogitur. Sed cum sit potestatis illius fulcimen unicum, reliqua ut minutiora tolerantur. *Spay* equites prisco

prisco Romanorum equitatui similes sunt. *Bassæ*, *Sangiaki*, & *Beghi* Senatores & Nobiles æmulantur. *Chiausii*, *Capigiique* velut Tribunorum ac Centurionum sunt manus. *Subassii*, *Azamoglanique*, ut lictorum apparitorumque latera constipans multitudo, priscam Imperatorum Romanorum majestatem æquare videtur.

Ianizeri.

Ianizeri stationes suas habent in Imperatoriæ domus vestibulo, ubi perpetuæ, alternæque militum excubiæ aguntur. Horum multitudo XL ferè millium est. menstrua sex aureorum singuli stipendia merentur. Ad XXII millia Byzantii tantum repeRiuntur, ceteris per arces aut Imperii limites dispositis.

Spay.

Spayorum, hoc est, equitum numerus minor, dignitas tamen major; cum enim Ianizari raro ad honores dignitatumque gradus promoveantur, Spay veluti proprio jure dignitatum majorum capaces sunt. Aureos merentur quindecim pro stipendiis.

Azomaglani.

Azomaglani, hoc est, tributi filii, sunt, qui è parentum ulnis teneri adhuc avulsi, ad vigesimum secundum annum inter labores & inopiam, ignari parentum, in Imperatoris tutelam & obsequium educantur. Horum XXVI millia sunt, omnesque Byzantii commorantur, nec ultra duos aureos quolibet mense ad victum habent, ac singulis annis vestem.

Vizirii Bassæ.

Vizirii Bassæ provincias ac cetera imperii administrant. Horum indefinitus est numerus, prout etiam Bassarum. Nam qui semel eo munere sunt functi, semper nomen ac dignitatem retinent. Byzantii sex commorantur; è quibus constat supremus Senatus, cui Vezirius Primus (eorum vocabulo *Vezir Azem*) ingenti præsidet autoritate: eoque ad bellum proficiscente, Vezirius alter, *Caimeham*, hoc est, locum tenentis nomine surrogatur. Ægyptum, Arabiam Felicem, Babylona, Græciam, Hungariamque regere non licet, nisi Veziriis. Nec Vezirius fit quisquam, quin prius fuerit Bassa, unde Vezirii Bassæ nuncupantur.

Bassæ.

Bassarum numerus, qui sibi non constat, quintuplo major est, quam Veziriorum. Horum dignitas etsi Veziriorum est minor, ubique tamen & semper est conspicua. Ob id filii sororum vel filiarum Imperatorum, quæ Veziriis plerunque nubunt, ad hæc duo dignitatum genera nunquam admittuntur, ne affinitati ad occupandam tyrannidem à dignitate subsidium ac potentia ministretur.

Testardarii.

Testardarorum haud facile numerum inirem; regii namque census, ut sunt infiniti, ita & multos procuratores requirunt, qui supremo uni ærarii præfecto Byzantii semper degenti, rationes reddere, pecuniamque omnem emittere coguntur.

Sangiaki.

Sic & *Sangiaki* permulti, hoc est urbium ampliorum præfecti, quibus minores aliæ urbes, pagique subsunt. A *Beghis* in hoc differunt, quod Sangiaki statutæ militiæ præsunt, Imperatorioque flamine utuntur, quod eodem vocabulo Sangiak dicitur:

Beghi.

Beghis autem nulla in Imperatoriam militiam potestas, aut usus insigniorum, nisi in proprios milites privatos. Opulentioris tamen conditionis sunt aliqui Beghi quam Sangiaki, quorum dignitas parvo proventu ditata est.

Chiausii.

Chiausii sunt, qui per provincias ad Præsides Imperatoris mandata perferunt, ac exequi curant. Estque hoc munus honorificum inprimis apud illos.

Capigii.

Similiter & *Capigii*; sed atrocioribus de rebus, ut si quando Præfectis Gubernatoribusque decernenda mors. Ambo tamen pars sunt Imperatoriæ aulæ. Hi custodiendæ interiori januæ, quorum nomen Ianitores sonat; illi curandis externis ad aulam & Imperatorem pertinentibus. Capigii numero sunt quadringenti, octonis in stipem aureis quolibet mense donati. *Chiausii* quingenti, & triginta aureis.

Subassii.

Subassii, velut lictores, aut magis proprie satellitum, vel apparitorum præfecti; cum hi ordinariæ militiæ proprii sint ministri. Horum incertus est numerus, incertaque stipendia, nec tam Imperatori, quàm ministris ejus famulantur, cum in supradictos omnes alios, excepto Imperatore, fas jusque sit nemini.

Qui Imperatoriæ aulæ inserviunt, alii ad exterius, alii ad interius servitium spectant.

Solaki.

Ad exterius pertinent *Solaki*, & *Mutefar Aga*. Illi pedites sunt sagittarii, ambidextri ad utrumque Imperatoris latus ambulantes, ne qui à dextris eunt, si jaculari contingat, Imperatori terga vertant.

Mutefar Aga.

Mutefar Aga ex omnibus partibus ac religionibus homines sunt, vel insigni corporis fortitudine, vel alia quavis virtute bellica insignes, quos honoris tantum gratia Imperator emeritorum militum instar penes se habet. suntque quingenti, singulis mensibus aureos sexaginta in stipendium ducentes. Ad interius servitium pertinent mulieres, & qui earum famulitio inserviunt Eunuchi. Horum, quia ad solam Imperatoris voluntatem augentur ac minuuntur, certus numerus non est. Quicumque tamen sunt, ab Eunucho sene Capikenia, hoc est, Portæ locum tenente, reguntur, necnon pueri ad Imperatoris cubiculi curam & servitium destinati, quos *Ichoglan* vocant.

Bostangi bassi.

Hortos *Azamoglani* curant, sub Præfecto, cui nomen *Bostangi bassi*, hoc est, Hortulanus major: cui delectorum è Christianorum liberis Azamoglanorum supra quatuor millia parent. Prout etiam iidem in culinæ ac ædium usum ligna vehunt ac scindunt. Culinæ architriclini rationem habent. Stabulorum magistri aulæ magnitudini respondent. Nam equi plus quam quingenti, muli ducenti fere, cameli quingenti, quorum gubernatores

Gevegi.

Gevegi, hoc est, Camelarii vocantur. Sunt & mu-

muliones, quos *Katergos* vocant: & equorum strigilatores plus quam quingenti, & totidem illi, quibus ephippiorum habenarumque cura. *Sarah* appellantur. Parent hi omnes Præfecto stabuli supremo, vel ejus locum tenenti. Præfectus *Himbrahor bassi*, hoc est, Stabularius major, & locum tenens, Himbrahorkheaia dicitur.

Officia Portæ Osmanicæ præcipua. Intra Saraium qui Sultano serviunt.

Portæ Osmanicæ ministri, alii intra Saraium, alii extra, munia sua obeunt.

Capi Aga, vel Capi Agasi, Præfectus aut Capitaneus Portæ.

Oda Bassi, cubicularius maximus, & præfectus Itzoglanis Saraii. Adolescentes sunt, qui ab ætatis octavo, ad vigesimum annum usque, pro Sultano aluntur & educantur intra saraium, varieque pro indole sua instituuntur, præsertim ut legere discant, & scribere, & jaculari, & equitare: legemque Mahumetanarum summam percipiant.

Chasnadar bassi. Thesaurarius maximus.

Kiletzi bassi. Dispensator maximus.

Serai Dar Agasi, vel Serai bassi. Supremus saraii præfectus, absente Sultano.

Et hi quidem omnes spadones vel castrati sunt, ac singuli sub se plures alios, itidem castratos vel eunuchos, habent.

Secundum hos, tres inprimis adolescentes sunt, ipsius Sultani ministeriis inservientes, quorum hæc nomina:

Silichtar, qui arcum, sagittas, arma cetera Sultani portat.

Tzohadar, qui vestium Sultani curam gerit, ejusque sacramangium portat, ad arcendam pluviam factum.

Kiuptar, cui potus Sultani commendatus est, & qui semper eques etiam pro Sultano fert aquam secum in lagena.

Sunt autem his omnibus sui tam vicarii, quam alii officiales attributi, qui pro antiquo more gradatim ad dignitates supremas adscendunt. Inserviunt autem recensiti hactenus ipsi Sultano intra saraium, ac siquidem eques è saraio prodit, omnes eum comitantur: sin aliquò se mari confert, ipse Bostangis bassa clavum caicæ, sive navigii, quo Sultanus vehitur, tenet ac gubernat.

Ad saraium quoque pertinent hi, quorum nomina sequuntur:

Zeschnegir bassi, prægustator maximus, & prægustatoribus ceteris, plus minus centum, præfectus.

Mutpac Emini, præfectus culinæ, vel rei cocinariæ.

Achsi bassi, coquus maximus.

Extra saraium quæ officia numerentur.

Primus omnium locus est Muphti, qui supremus est Alcorani sive Mahumetanæ legis interpres: & auctoritatem apud Turcos eam obtinet, quam Papa sive Pontifex maximus apud Latinos; apud Græcos, Patriarcha.

Huic proximi sunt Cadilescheri vel Cadiascheri, supremi & ordinarii militarium civiliumque causarum judices: unus per Græciam vel Europam, dictus Rumeli Cadilescher: alter per Asiam, Anatoli Cadilescher: quibus tertium Selimes Primus adjunxit, post subactos Armenios quosdam, Dulgadirenses, Ægyptios, Syros, Arabes: ideoque majus est hujus officium, propter multitudinem populorum, & ipsarum regionum amplitudinem.

Sequuntur Vezir bassæ, capita scilicet Consilii Sultanini. Quondam non nisi tres aut quatuor Vezires erant, uti paullo post exponemus. Sed nunc vel plures, vel pauciores, prout visum fuerit Sultano, deliguntur. Supremus, qui Vezir Azem Turcis adpellatur, solus universum maxima cum potestate administrat Imperium, nec nisi gravissimis de causis aliò solet ablegari: ceteris in Divano sic adsidentibus, nihil ut ipsi proloquantur. Ex his etiam deligitur judicio Sultani, qui Ser Asker, & Ser Dar adpellatur, explicandis paullo post vocabulis. Legimus aliquando Constantinopoli Vezirum dignitatem à Sultano Murate, novo ceteroqui exemplo, novem bassis fuisse tributam, quorum subjicere nomina libet:

1. Osman bassa, Vezirazem, & Ser Dar contra Persas.
2. Messich bassa.
3. Mechemet bassa.
4. Ali Capitan bassa, beglerbegus maris: nostris Vluz Ali, hoc est, Ali apostata.
5. Ibrahim bassa, beglerbegus Cairi vel Ægypti.
6. Ferhat bassa, belli dux contra Persas.
7. Giaffer bassa.
8. Ali bassa, sororis Sultani maritus.
9. Cigalogli bassa, beglerbegus Revani.

Post Vezires, auctoritate maxima sunt tres beglerbegi, quorum hic ordo:

Rumeli beglerbeg, hoc est, Romaniæ sive Græciæ.

Anatoli beglerbeg, hoc est, Anatoliæ vel Asiæ.

Denizi beglerbeg, hoc est, maris: qui vulgo Turcis nunc recepto vocabulo Capitan bassa quoque nominatur.

Hi tres parem in sedendo locum & honorem obtinent cum ipsis bassis veziribus, quoties in Divanum publicum veniunt.

Sequitur Nischanzi vel Nissanci bassa, qui litteras omnes, omniaque mandata, & instrumenta, quotquot apud Portam expediuntur, obsignat: veluti supremus Portæ Cancellarius.

Tres Dephterdari, quorum primus, nostro more loquendo, Præses Cameræ, vel præfectus est ærarii maximus: duo reliqui, velut collegæ ipsius & consiliarii fiscales.

Rais Kiutap, cujus in manibus ſunt omnes libri, commentarii, res ad Archiva pertinentes. Ideoque gradum Vicecancellarii tenet, aut primi vel maximi Secretarii.

Omnes autem, hactenus enumerati, ſuo in Divano publico ſeſſionem habent.

In eodem Divano ſedent etiam XL plus minus Iaſitſchi, ſive Secretarii, vel actuarii: qui ſcripturas abſque mora perficiunt & expediunt. Ac tanta quidem ſedulitate geruntur omnia, ut ipſa negotia propemodum eodem tempore proponantur, conſultationi ſubjiciantur, & exſequutioni mandentur.

Sequuntur Agæ, Turcis Agalari dicti, numero multitudinis, vel Officiales, ſive Tribuni, qui non habent ſeſſionem in divano, vel Synedrio, ſive conſilii publici loco: nihiloque minus obligati ſunt, uti cottidie compareant in Saraio, ſibique deputatis in locis aliis ſedeant.

Principem vero inter hos Agalarios locum obtinet Genizarorum Aga ſive Tribunus, qui Kihaiam ſive vicarium ſuum, & Capitaneos, & cohortium duces, & alios officiis præfectos habet. Adeoque ſub ejus vexillo tam Genizarorum, quam Solacchorum, viginti circiter hominum millia militant.

Proximus huic Emir Halem, qui ſupremus eſt vexillifer, & in expeditionibus vexillum Sultaninum geſtat, & alioqui vexilla beglerbegis, in mortuorum loca ſubſtitutus; itidemque Sangiacbegis, offert. Quippe quum quis horum à baſſis in defuncti locum electus eſt, mox Emir Halem ſymbolum ei dignitatis, vexillum tradit: ſimul tympaniſtas & tibicines ad domum vel tentorium electi ſub veſperam mittit, & iſtic pulſare tympana, tibias ac fiſtulas inflare jubet. Officium fructuoſum eſt, & primi, ſecundum Genizarorum Agam, nominis ac loci.

Capitzi baſſæ, modo quatuor, modo ſex pro arbitrio Sultani creantur. Et præfecti ſunt Capitzilariis, id eſt, Ianitoribus: habentque ſinguli ſub ſe trecentos aut quadringentos Capitzilarios. quorum eſt inſervire ipſius perſonæ Sultani, eumque circumſtare, quoties publice facultatem adeundi ſe præbet, quod audientiam dare dicunt: & belli tempore, quando Sultanus in caſtris eſt, circum ipſum excubias inſtar cubiculariorum agunt.

Duo præfecti ſtabulo, major & minor. Primus ipſis Buiuc Emir Ahor, vel Achor, vel Achur: alter, Gutzug Emir Achur, adpellatur. Vulgo uterque dicitur Imbrahor baſſi. Apud Græciæ Prætorem noſtrum vox eſt Αμυραχώρης, ex Emir & Achur itidem facta. Habent hi ſuos etiam Kihaias, id eſt, vicarios, & alios præfectos officiis: eorumque parent imperiis hominum ad duo millia.

Tzaus baſſi, capitaneus ſive præfectus Tzauſiorum, qui numero plus minus ſunt ſeptingenti, cum nobilibus aulicis comparari poſſunt, quorum ſcilicet opera variis principes in commiſſionibus & mandatis expediundis, & deducendis exterorum Principum Legatis, utuntur.

Capitzilariorum Kihaia, maximus vicarius, quaſique ſuppræfectus omnium Capitzilariorum ſive Ianitorum. Ejus officium poſcit, ut una cum Tzauſiorum baſſa pedes in divano coram Baſſis adſtet, argenteum manu baculum tenens, quem Græci dixerunt σκῆπτρον, ſive ſceptrum, ut introducat eos qui audiri poſtulant: ut ſcripturas è divano, quum uſus exigit, ad Sultanum ferat: ejuſque viciſſim ſententias (reſolutiones vulgo dicunt) Vezirazemi referat.

Mutapheraki baſſi, capitaneus Baronum ac præcipuorum begorum aulæ, qui non tenentur in militiam proficiſci, niſi aliquam in expeditionem Sultanus ipſe prodeat. Ideoque noſtrorum ad Baronum ſimilitudinem, liberi eſſe volunt. Majori etiam ex parte filii ſunt Baſſarum, procerum, beneque meritorum virorum de Oſmanidis.

Sex Agalari ſive Tribuni Spachiorum, id eſt, equitatus immediate deputati cuſtodiæ Sultani. Horum hæc nomina ſunt:

1. Spahoglan Aga, vel Agaſi.
2. Silichtar Agaſi.
3. Sag Vlefetzi baſſi.
4. Sol Vlefetzi baſſi.
5. Sag Garib Agaſi.
6. Sol Garib Agaſi.

Horum vero Tribunorum unuſquiſque duobus aut tribus equitum millibus præeſt.

Sequuntur non pauci, quorum adpellationes ſimpliciter heic ponemus, in commodiorem dilaturi locum tam prolixiorem de his, quam de plurimis præterea nunc ſilentio prætereundis explicationem.

Topzi baſſi, præfectus Artilliariæ, ſive rebus ad tormenta bellica ſpectantibus.

Tzegerbetzi baſſi, præfectus armis, vel armaturæ.

Tzader Mecter baſſi, præfectus tentoriis.

Tzalitzi Mecter baſſi, præfectus tubicinibus, & muſicæ Sultaninæ caſtrenſi.

Autzi baſſi, ſupremus rei venatoriæ præfectus.

Doganzi baſſi, præfectus accipitrariis, ſive Falconariis.

Tzagerſchi baſſi, præfectus niſis, quos ſparaveros vocamus.

Samſontzi baſſi, præfectus canibus venaticis. Hoc officium intra præcipua numeratur. Et quondam ex iis, qui huic præerant, deligi Genizarorum Agalarii, ſive Tribuni, ſolebant.

Seguan baſſi, præfectus jumentis ſagmatariis

riis in exercitu, vel in comitatu Sultani. Iumenta vero ſagmataria, vel ſagmaria, vel ſamaria, (pro quibus ſummaria non recte ſcribitur apud Belvacenſem,) Græci vocare ſolent, quæ noſtri clitellaria. Sunt in his equi, muli, cameli: rariores tamen apud Turcos ad hunc uſum equi, plures muli & cameli. Quapropter à Seguane recenſendi veniunt.

Devetzi baſſi, præfectus iis, qui camelos agunt.

Catertzi baſſi, præfectus agaſonibus, vel mulos agentibus.

Harpa Emini, præfectus equorum pabulo.

Præter hos, non exigui nominis ad portam ſunt:

Dephter Emini, præfectus libris, quibus Timaria continentur. Et Emini generaliter alioqui ſignificat eum, qui proventus ſive reditus aliquos recipit & adminiſtrat.

Kihat Emini, ſuperintendens Cancellariæ, veluti Taxator quiſpiam, noſtro more: qui regalia Cancellariæ, quæ vocant, exigit: eorumque curam neceſſariam gerit. Hoc officium comparari pretio decem, vel etiam quindecim millium ducatorum ſingulos in annos ſolet: quo potiri qui poteſt, maximas opes colligit.

Terſane Emini, ſuperintendens Arſenalis: id eſt, qui νεωρίου φροντιστὴς eſt, ſive προνοητὴς, ut Græci dicunt, ſive qui navalis curam gerit.

Claſſes maritimæ. Turcarum Imperatori duæ ſunt claſſes, apparatuſque maritimi: una Boſphorana, altera Africana, quibus unicum caput ab Imperatore conſtituitur. Africana ut plurimum variis in locis diſperſa manet; ad ſupremi Ducis nutum obtemperare, ac convenire cogitur. Boſphorana itidem eſt diviſa, ſed id intra ſpacium, ut brevi admodum tempore in unum cogi poſſit. Præfectus Generalis *Capitan Baſſa*, locum tenens *Vice Capitan Baſſa* vocatur. Triremium numerus in trecentas definitus, non tamen plus, quam octuaginta vel centum circiter educi conſuevere. Hominum plus quatuor millia, captivis, damnatiſve, ac militibus exceptis, in ejuſdem claſſis gratiam aluntur. Semel ea extrahitur in anno menſe Martio, reduciturque in hyberna Decembri. Magis terreſtribus quam maritimis bellis gaudent Turcæ. Ideoque claſſes ad pompam magis & ad coërcendas ditionis propriæ maritimas regiones & inſulas, earumque defenſionem, quam acquirendæ gloriæ propagandique Imperii cauſa, apparantur. Auxilia ex ſubditis, maxime vero è Chriſtianis conſcribuntur, ac præcipue ex Hungaria, Dalmatia, Illyrico, Mæſia, Epiro, Thracia, Macedonia, & aliquando ex ipſa Græcia, atque ex omni fere Aſia. Bella impigre obeunt, nec eorum tædio unquam afficiuntur. Plus equitatu, quam peditatu valent. Nec aliud in pedite robur, quam virtus Ianizerorum, quos nullis adhuc præliis, quamvis adverſa multa ſint experti, fuſos memorant. Pedites arcu, ſagittis vel ſclopeto & framea, præliantur. Equites arcu & ſagittis & ſclopeto. Ad bellum raro Imperator proficiſcitur. In tam vaſto enim Imperio non conducit omittere caput rerum, & urbem Imperii ſedem, aditu facilem, annonæ fœcundam, ubi tranſitus ultro citroque ab Aſia in Europam modica vi facile prohiberi poſſunt: ſed Vezirius Primus his partibus cum plena poteſtate defungitur.


Turcarum indoles. Gens ipſa non aſtuta, nec callida, niſi quantum ex perfugis didicerint. Habitus corporum truces, ac pro regionibus, in quibus nati ſunt, fortes aut imbecilli: candidi aut nigricantes: ut plurimum tamen ſunt fortes, magno ſatis corpore, & ad impetum valido, laborum, inediæ, ſitis, æſtus, frigoriſque juxta patientes: unde pleriſque viridis & cruda ſenectus. Caput radunt, relicta in capitis ſummitate crinium particula. Barbam alunt promiſſam & latam. Rara domi utenſilia. In cubiculis tapete ac ſtragulo contenti, abſque menſa & ſcamnis. Quibus non eſt uxor, ſuper centones velut in bellis cubant, quibus autem eſt, ſuper ſtrata humi ſtragula, noſtrum in morem, jacent. Corporis ſordes inſtar piaculi deteſtantur, ideoque quicquid hujuſmodi eſt, defodiunt, aut à conſpectu amovent. In victu gens parca, unico ferculo, eoque ſimplici, plerumque ſaturantur. Hoſpitales ſunt. Vbique fœni ſumere cuique licet è plenis campis, quantum velit. Minus vino, quàm ſue abſtinent, quamvis utrumque lex vetet. Veſtes ipſis nitidæ & precioſæ. Caput nunquam aperiunt, ſed manu pectori appoſita capitis inclinatione ſalutant. Siniſtra euntibus honori datur.

Turcarum religio. Religionis locum apud Turcas obtinet ſuperſtitio. Hæc à Mahumete conficta eſt circa annum Domini 622, imperante Heraclio. Quædam ridiculæ hujus religionis, nec colore ullo veri tinctæ lubet recenſere ex Lipſio: Primum eſt, Deum unum ſolidumque, (ὁλόσφυρον Græci exprimunt) eundemque incorporeum eſſe: Chriſtum non Deum, ſed magnum vatem & prophetam; ſe tamen majorem, & proxime à Deo miſſum. Præmia qui ipſum audient, Paradiſum, qui poſt aliquot annorum millia reſerabitur: ibi quatuor flumina, lacte, vino, melle, aqua fluere: ibi palatia & ædificia gemmata atque aurea eſſe: carnes avium ſuaviſſimarum, fructus omne genus, quos ſparſi jacenteſque ſub umbra arborum edent. Solem & Lunam facit in equis vehi: illum autem in aquam calidam veſperi mergi, & bene lotum aſcendere atque oriri. Stellas in aëre è catenis aureis pendêre: terram in bovini cornu cuſpide ſtabilitam,

tam, & agitante se bove ac succutiente fieri terræ motum. Hominem autem ex hirudine aut sanguisuga nasci. Iidem Turcæ ad Ægyptiorum morem, feles, canes, pisces, aves, si non adorant, colunt tamen & pascunt: & his se velut largitionibus demereri divinum Numen censent. Itaque videre Bizantii statis horis est, cibos apponi dictis animalibus: nec viles quosdam, aut mensarum analecta, sed orizam coctam, carnes assas recèns, & hoc fine ex opsopolio emptas, quas & perticis longis imponere solent, & sic fugacibus aut vitabundis eorum dare. Quid, quod aves etiam captas redimunt, & aëri ac libertati deinde, per pietatem restituunt? Iam in re inanima, id est charta, quas nugas edunt? Nefas eam abjici, aut calcari: sicubi vel fragmen vident, tollunt religiose, & parieti adfigunt, aut imponunt. Refert Augerius Busbequius, in legatione sua ad Solimannum, cum ductores tutoresque viæ Genitzaros haberet, graviter aliquando apud se questos, quod famulitio ejus charta ad obscœnos usus esset. Caussa autem quam justa? quia *Coranus* in ea scriptus. Pudet, piget, miseret, inquit Lipsius, humani generis, cujus magna aut maxima pars his non vanitatibus, sed stuporibus est oppressa. Nam Asia fere tota, plurimum Africæ, multum Europæ, jura sceptri, & sacra Turcici accepit. Quin & multi extra Turcarum jura, ut Magnus Tartarorum Chamus, ut Persa, ut alii in India, & extremo Oriente, deliria hæc delirant. Plura qui de rebus Turcarum scire volet, legat Ioan. Baptist. Montalbanum, Honorium, Leunclavium, aliosque.



NATOLIA,
SIVE
ASIA MINOR.



SIA terrarum omnium ab initio nobilissima, ut quæ prima genus mortalium intra se conspexit, & in alias mundi partes emisit. Prima gentium ritus, sacra, mores, rationemque vivendi alias docuit. Divisa fuit olim in Majorem & Minorem. Major Asia regiones plurimas amplissimasque complectitur, nempe Tartariam, Chinam, Indiam, Persarum imperium, & Turcici imperii partem. Minor, ita dicta quod minoris sit quantitatis, sive longitudinem sive latitudinem spectes, hodie à Turcis Natolia, aut Anatolia appellatur, à Græco vocabulo ἀνατολή, quod Orientem significat, nam respectu Europæ ad Orientem mundi plagam jacet. Interdum *Turciam majorem* vocant, aut *Turciam novam*.

Asia major & minor.

Termini.

Terminos habet ab ortu Euphratem, à meridie mare mediterraneum; ab occasu Ægæum, seu Archipelagum Græciæ: à Septentrione Pontum Euxinum, hodie *Mar Maggior*, sive mare majus. Complectitur itaque totam istam Peninsulam, quæ inter Euxinum, Cilicium, Pamphiliumque pelagus protensa est. Latitudinem ejus definit Plinius 200 circiter mill. passuum, ab Issico scilicet sinu, nunc *Golfo de Lajazzo*, & Amanicis portis, usque ad Trapezuntem, quæ est in ora Ponti. His consentit Herodotus, qui ait Isthmum Asiæ minoris esse iter quinque dierum expedito viatori.

Cœlum & Solum.

Tanta est soli cœlique hic benignitas, ut nulli terrarum parti cedat. Prata habet viridantia, pascua luxuriantia, amnesque toto orbe celebratissimos. Vina præbet oleumque copiosissime. Sibi sufficit, alieni soli non indiga, omnibus quippe rebus ad humanam vitam necessariis est instructissima, cunctaque suis habitatoribus usque ad delicias affatim suppeditat; attamen suos etiam patitur manes, ut dicemus inferiùs.

Imperium.

Primus eam tenuit Cyrus Persarum rex, deinde à Macedonibus, & Alexandri Magni ducibus occupata fuit, post Romanis cessit in spolium, ac postremo à Turcis direpta & vastata iisdem etiamnum paret.

Asia.

Flumina.

Flumina sunt Iris, qui nunc *Casalmach*: Halis, qui nunc *Ottomangiach*: Parthenius, nunc *Dolap*: Sangaris, hodie *Sangri*, qui se omnes in Euxinum exonerant. In Propontidem fluunt *Ascanius*, *Rhyndajus*, *Æsopus*, & *Granicus*. In Hellespontum *Simois*, & *Scamander*, qui & *Xantus*. In Ægæum, *Caicus*, *Hermus*, *Caistrus*, *Mæandrus* miris flexibus sinuosus. In mediterraneum *Calbis*, *Xanthus*, *Limirus*, *Cataractes*, aliique.

Maria.

Maria Asiæ minoris sunt *Pontus Euxinus*, *mare Ægæum*, & *Pamphylium*, *Propontis*, *Hellespontus*, *Icarium*, *Myrtoum* & *Rhodiense pelagus*. Hæc incolis undiquaque inserviunt ad commercia & reciprocas navigationes, nec non ad piscationem uberem & perutilem.

Montes.

Montes celebriores sunt, *Horminius* in Ponto, & *Misius* qui & Olympus, *Ida* insuper in Phrygia Paridis judicio clarus, *Tmolus* aurifer in Lydia, *Argæus* in Cappadocia: *Amanus*, nunc *Monte nigro* in Cilicia, in quo altissimæ cedri crescunt, & Iuniperus major, & mons *Sabina*, plantis luxurians. Sunt & hic *Dindyma*, & *Chimæra*, & *Taurus*, montes. Etiam *Antitarium* & *Scordiscum* reperias. Nulla vero in iis provinciis, quæ Turcæ Imperio subsunt diversoria occurrunt, aut loca quæ viatores excipiant, præterquam publica quædam ædificia; ab opulentioribus Satrapis Turcicis in gratiam peregrinantium exstructa. Nec enim Turcæ consanguineos norunt, quibus benefacere velint.

Regiones.

Natoliæ autem istæ regiones assignantur, Aldinellia scilicet, Sarchiana, Bursia, Bersangilia, Chiutaya, Germiana, Chiangara, Mentesia, Caramania, Amasia, Anadolia, Subasia, Cenechia, Peciana, Borochia, Bollia, & Ronia; quæ quidem nomina, utpote hodierna, relictis vetustioribus, usurpavimus; etsi alii, alia etiam nomina iis regionibus imposuerunt, nimirum, quæ hic subsequuntur: Pontus, Bithynia, Asia propria, magna & parva Phrygia, utraque Mysia, Æolis, Ionia, Caria, Doris, Lydia, Lycia, Galatia, Paphlagonia, Pamphylia, Pisidia, Lycaonia, Cappadocia, Cilicia, Armenia parva.

Qualitas.

Amplissimus iste tractus maxima fruitur cœli salubritate, multis etiam fluminibus irrigatur, quæ agros quoscunque pertranseunt,

E mira

NATOLIA, quæ olim ASIA MINOR.

MARE MAGIORE, Turcis CARADENIS, olim PONTUS EUXINUS.

EVROPÆ PARS

ROMANIA

THRACIA

Archipelago, olim Mare Aegæum.

BECSANGIL.

SARCUM

ALDINELLI

GERMIAN

MENTESE

CHIUTAIE

BOLLI

CHIANGARE

RONI.

AMASIA.

SUVAS.

CENECH.

PECIAN.

ANADOLE.

BOZOCH

CARAMANIA.

SORIA

Rhodus I.

Scarpanto

Golfo de Satalia

Golfo de Lajazzo

CYPRUS INSULA.

MARIS MEDITERRANEI PARS.

2

mira fertilitate fœcundant; pascua ibidem passim inveniuntur, quæ armenta plurima, numerososque alunt ovium greges; sunt & amnes non pauci arenas aureas secum vehentes. Verum frequentibus adeo terræmotibus conquassatur, ut Tiberii Cæsaris temporibus, duodecim una nocte civitates suis ruinis fuerint consepultæ.

Indoles. Turcæ, qui totam ferè Natoliam occupant, moribus sunt mitioribus, imo minus barbaris quàm Christiani Apostatæ seu desertores; olim quidem ab hominibus omni urbanitate excultis hic tractus incolebatur; at hodie quamquam illius habitatores acuto sint ingenio præditi, tamen ob Turcarum contubernium, à quacunque industria & humanitate videntur alieni; aut saltem si penes nonnullos residua sit aliqua morum gratia & honestas, nullibi nisi in locis maritimis, ubi vigent commercia, perspicitur; politiores enim sunt negotiantium mores, quam cæterorum. Porro qui ruri degunt, ignavi sunt prorsus & inertiæ dediti, & vix ullam agriculturæ operam navant, ii præsertim, qui re familiari copiosiore fruuntur, illi enim omnem fere agrorum culturam negligerent, ni mancipiorum operis uterentur; unde & ob eorum incuriam, agri, non tantos, ut olim, proventus afferunt.

Opes. Neque illa jam est rerum affluentia, quæ Romanorum erat temporibus, qui opes hujus Asiæ, Romanam frugalitatem labefactasse luxumque introduxisse querebantur, in causa est incolarum servitus, & vectigalia Turcarum exactoribus quotannis persolvenda. Extant nonnullæ merces, quæ ex Natolia in alias exportantur regiones; cujusmodi sunt, lana, corium, aulæa, gossypium, stragula, &c.

Vires. Rarissima admodum propugnacula, aut arces in Natolia conspiciuntur, præterquam inter convalles Armeniæ minoris; imo & urbes ut plurimum mœnibus sunt destitutæ. De bellatorum autem multitudine conjici potest ex numeroso milite per Amurathen adversus Persarum regem conscripto, an. 1577. in isto quippe exercitu quatuordecim hominum millia ex Natolia collectorum numerabantur, è Sivasia nempe, Amasia, Marasia, Bursia, Angouria, locisque aliis Natoliæ attributis; ubi olim egerunt Magnesii, Bithynii, Phryges, Lydii, & qui Pontum incolunt, ex quibus armatorum decem millia, omnes audacissimi, maximamque partem Equites Sagittarii, & ex Cilicia quatuor millia virorum acinacibus, clavis atque arcubus decertantium exierunt.

Regimen. Quatuor in hac regione Bassas habet Turcarum Imperator, qui Natoliæ, Caramaniæ, Amasiæ, & Anadauliæ Beglerbegi nominantur. Natoliæ autem Sanjaci Cotalicæ, Aidini, Sarahani, Mentesæ, Enguræ, Hodanendicari, Teciæ, Hadini, Carehisari, Cocailii, Beliæ, Castamonæ, Chetoliæ, Alanuci, Cudi, Peigæ, atque Sultavingiæ attribuuntur.

Religio. Incolæ ut plurimum Mahometani sunt, & ex Turcis oriundi, bonæ utcunque indolis: Iudaismum nonnulli profitentur, alii autem Christianismum, sed Græcorum Armenorumque more; propriis singuli ritibus addicti.

Pontvs, & Bithynia. *Pontus* & *Bithynia*, duæ olim distinctæ provinciæ fuerunt, quarum una vergebat ad ortum, ad occasum verò alia, interfuso inter utramque Sangaris fluvio; tandem in unam duntaxat provinciam coaluerunt, quæ Pontus & Bithyniæ nomine fuit insignita.

Fines. Limites habet hic Tractus ab Oriente Galatiam & Paphlagoniam; ab Occidente autem, ostio maris Pontici, fretoque Constantinopolitano, necnon aliqua Propontidis portione terminatur; à Septentrione, Ponto Euxino clauditur; ac tandem à Meridie, eâ provinciâ, quæ Asia propria indigetatur, quæ & ex eadem parte Rhyndaco seu Lepadio flumine eam circumscribit.

Scutari. Quà Palatium supremi Turcarum Imperatoris in acumen desinit, adjacet è regione oppidum à Græcis Scutari, à Turcis Iscodar nominatum, quod inde sola alvei latitudine, uno nimirum circiter milliari, sejungitur.

Chalcedonia. Chalcedonia verò exiguum est, & nullius pene momenti oppidum; attamen ædiculâ sacrâ, Græcis addictâ sacerdotibus, exornatur.

Nicopolis. Geivisium. Occurrit deinde Nicopolis, quæ hodie Calipoli nominatur; cui succedit Geivisium, olim Astacus dictum, quod ad Nicomediæ sinum insidet juxta viam, quæ Constantinopoli, emenso bidui itinere Nicomediam ducit, mari jam transmisso. Porro Nicomedia distat à Geivisio unius diei itinere, Nichorque à Turcis hodie, relicto priori nomine, vocatur, à Nautis autem illuc adventantibus, Comida, uti à nonnullis memoratur. *Nicomedia.* Non procul abest lacus Ascanius, in quem etiam fluvius cognominis, nunc Londar aut Aclu dictus, imo lacus Isnicus, sive Nicænus illabitur, indeque in Oceanum exoneratur: sese postmodum ostentat Diasquilo civitas, olim Dascilæum; Olympus quoque mons celeberrimus in littore conspicitur; inde Rhyndacus amnis sive Lycus, cui moderni Lartacho nomen imposuerunt; à nonnullis tamen Lupidi seu Lepadio, à Turcis tandem Vlubad vocitatur. *Lacus & fluvius Ascanius. Diasquilo. Rhyndacus.* Atque illa sunt notiora, quæ per 120 milliaria in Propontide reperiuntur loca. At juxta littus Ponti Euxini pergentibus occurrit urbs Acaparama, Carpi antiquitus dicebatur; cui succedit Sangaris vel Sangari, quam sequitur Elata, modicoque intervallo, in rupis acumine, Cio, priscis Diospolis dicta, apparet; exinde Heraclea cognomento Pontica, civitas Maryandinorum,

Heraclea. Pontica.

norum, Penderachia inpræsentiarum à suis habitatoribus appellata. Nec procul inde Acheron visitur, antrumque Acherusium, cujus extrema ad Inferos usque pertingunt, ut Poëtæ fabulantur; Parthenius etiam fluvius, qui Dolap nunc appellatur, originemque ducit ex Paphlagonia; Samastro quoque urbs paulò pòst invenitur, priscis Amastrum seu Amastris dicta; dein Cytorum, quæ nunc Castella; huic adjacet mons Cytorius, qui versus Paphlagoniam porrigitur, estque buxo passim consitus. Ultra progressus priscam offendes Claudiopolim, quæ Castamena, aut Castamona jam nuncupatur, civitas amplissima etiamnum atque potentissima; deinde Nicæam, quæ est hodierna Nichia, olim Bithyniæ caput, jacet hæc urbs in amœna planitie ad radices montium & juxta silvas posita, non procul ab Ascanio lacu, qui ab Occidente eam alluit, indeque totam circumfluit civitatem; quatuor habet portas, quas ex lapide intra Lycæi medium constituto conspicere, sublato omni obice, poteris, tanta est platearum rectitudo! Verùm hodie Bursa est Bithyniæ caput, quæ olim Prusa dicebatur, primitus quidem regum Bithyniensium, postea vero Turcicorum Cæsarum fuit sedes & Palatium; qui tandem Constantinopolim abeuntes, illam omnino deséruerunt; attamen opibus & populorum frequentia non ideo est Constantinopoli inferior, imo de utraque hac prærogativa præ Constantinopoli gloriatur. Hæc porro civitas Olympo monti proximè adjacet, duasque in partes dividitur, quarum suprema cincta mœnibus, arce quoque firmissima exornatur, in quâ Turcarum Imperatores aliàs secesserunt: Pistrinum regium ante fores arcis cernitur; intus autem est vivarium, piscina, thermæ, regisque Palatium, sed dirutum, atque omni prorsus elegantia ac venustate destitutum. In eadem etiam urbis regione, apud D. Ioannis Asceterium superba Ottomani necnon & Orcanis Mausolæa pario extructa marmore conspiciuntur. Civitas inferior cum hortis ac viridariis, subjectam Olympo convallem, ejusdemque montis radices occupat; ubi & præcellens Mosquéa exædificata est, sepulchris Amurathi I I. & Mustaphæ à Solymanno patre laqueo suffocati nobilis; est & princeps basilica sanctorum Apostolorum nominibus consecrata; ædificia quoque splendidissima ac sumptuosissima ibidem visuntur. Porro extra urbem aliquantulum spatianti occurrunt Mosqueæ Bajazeti, Mehumeti I, & Amurathi I sepulturis dicatæ, thermæque itidem marmoreæ ad montis ima projectæ.

Acheron.

Castamona.

Prusa, seu Bursa.

Olympus.

Insignis ille mons, qui passim fere ab omnibus Olympus dicitur, à Turcis *Geschis Dage*, seu mons Monachorum, à Græcis vero *Calogeron oros* passim nominatur; nomen autem illud sortitum est, eò quod multis olim monasteriis esset inclytum, quæ etiamnum extant. Mons ille celsissimus est, nivibusque in vertice nunquam non refertissimus, & à summitate usque ad medietatem omnino infœcundus; at à medietate & deorsum, malogranatis, castaneis nucibus, aliisque id genus fructibus feracissimus est, multasque exinde aquas velut ex unica scaturigine profundit.

Hujusce regionis ager fertilissimus est, præcipue circa Nicæam, at is tractus cœli gravitate vehementer laborat.

Soli qualitas.

Asia Propria, Sabrunum sive Sarcum vulgo jam nominatur; à Septentrione, Ponto, Bithynia atque Propontide quadantenus terminatur; à Meridie autem Rhodensi Oceano necnon littore sexcentis milliaribus sive leucis ducentis procurrente, ac parte Lyciæ, Pamphyliæ, & Galatiæ; ab ortu ipsâ Lyciâ, Galatiâ & Paphlagoniâ; ab Occasu denique, residuo Propontidis, Hellesponto, Archipelago, binisque fretis, Icario nimirum atque Myrtoo, quod nunc mare Nicariæ, atque Mandriæ dicitur.

ASIA PROPRIA.

Provincia hæc, Phrygiam, Cariam, utramque Mysiam, Æolidem, Ioniam, Doridem, & Lydiam complectitur.

Ager hujus provinciæ omnium rerum fertilissimus est, pascuis abundat, multisque etiam auriferis fluminibus interluitur. Incolæ modestissimi sunt, & optima indole præditi; neque adeo in libidinem proclives, ut cæteri Asiæ populi, ad res præclaras prompti, & ad regimen Reipublicæ, omnesque scientias ac disciplinas idonei.

Soli qualitas.

Magna Phrygia, modò *Sarchum*, & *Turguth* appellata Tekiæ, regionem, prout illa versus Cappadociam porrigitur, atque Armeniam & Ciliciam continet; terminis ab Oriente Cappadocia; ab Occidente, minori Phrygia; ab Aquilone Galatia; tandemque à Meridie Lydia circumscribitur.

PHRYGIA MAIOR.

Phrygiæ majoris caput est Cutahiga, quæ olim Cotyajum vocitabatur, Beglerbegorum Natoliensium sedes; alia etiam identidem sortitur nomina; quandoque enim Cuta, aliàs verò Cutia, & Cuteya nominatur; à nonnullis, sed perperam, inter Galatiæ civitates constituta. Illa autem quæ à Græcis Hierapolis, & à Turcis Sedischehera dicitur, hujus regionis urbibus accensetur. Midaium quoque Midæ famosissimi secessus, hîc etiamnum conspicitur; cui & castrum Pessinuntium, Berecynthiæ Deorum matri consecratum, assidet; ut & mons Dyndinus, qui Paphlagoniam usque procurrit.

Phrygia minor, quæ & Troas, etiam hodie passim ab omnibus hoc nomine insignitur; minorem comprehendit Mysiam, hacque

PHRYGIA MINOR.

que ratione fines habet à Septentrione Bithyniam; ab Occasu Propontidem, atque Archipelagum; ab ortu Briquiam, Galatiam, & Paphlagoniam. Provincia hæc à Caicio Æolidis flumine, quod Lydiam à Mysia majori, minoremque Mysiam à Bithynia dirimit, ad Lartachium usque amnem protenditur.

Troja. Troja olim hujus provinciæ caput extitit, quæ à Græcis vastata, posteaque restituta, ac demum iterum diruta, tandemque penitus fuit eversa; in declivi posita est, Abydo unius diei abest itinere; multæ ibidem sacræ ædes non ex toto deformatæ, imo & cruces quamplurimæ lapidibus insculptæ, etiamnum conspiciuntur; extant & pervetustæ illius portæ propemodum integræ; multisque in locis stant mœnia quadratis lapidibus, fuscis quidem, sed durissimis, extructa, appositis etiam ad illa fulcienda quibusdam prominentiis. Tantus est hujus civitatis ambitus, ut vix horis quatuor totam quis possit in circuitu percurrere. Binis arcibus munitissimis defenditur; quarum una in superiori urbis regione, altera in inferiori condita est; utraque ex marmore, tantoque artificio elaborata, ut nulla ratione possit dirui. Supersunt in urbe antiqua splendidissimorum ædificiorum vestigia, & cisternæ non paucæ. Plateas quod attinet, illæ confusæ sunt & impeditæ ob aggesta hinc inde ædium eversarum rudera. Iacent humi quoque ingentes colossi, inscriptionesque antiquis marmoribus aliisque lapidibus incisæ. Xantus & Simois nobiles olim fluvii, sunt jam adeò tenues, ut nequidem hyeme in iis anates innatare queant; æstivis autem caloribus penitus arescant. Porro Troja Beloni tempore deserta, atque incolis erat destituta; sed Christi asseclæ illius restaurationi postmodum studuerunt.

Pergamum. Pergamum quoque sive Ilium oppidum est Troadis vetustissimum, Galenique Medicorum Principis ortu quondam nobilissimum; Sedes fuit Attali regis omnium mortalium opulentissimi, qui cum liberos non haberet, populum Romanum conscripsit hæredem: Hic chartæ usus primum inventus est, quæ inde nomen mutuavit. Hæc demum civitas Bargamo, & Turcico idiomate, Bargama, etiamnum hodie nominatur.

Qualitas. In omni circa Trojam regione maxima est aquarum penuria, solumque sterile & arenosum, res fere nullas ad vitæ usum necessarias suppeditat; paucissimas quoque arbores nutrit; attamen quercus ibi reperiuntur, è quibus excussa glande, quemdam illius accolæ proventum faciunt.

MYSIA MINOR. *Mysia minor*, atque ipsa Troas, Propontidis olim Hellespontique finitimæ, Priami temporibus Scamandro amne divisæ fuerunt; sic ut ea regio quæ vergebat ad Aquilonem Mysiæ nomen acceperit, quæ autem ad Meridiem, Phrygiæ, Dardaniæ, & Troadis nomina sunt sortitæ; jamque in postrema, fines utriusque satis superque delineavimus.

Loca. Mysiæ loca quod attinet, ducto à Propontidis littore initio, statim occurrit Cysicum in Insula cognomine, oppidum pervetustum; hanc autem Insulam Alexander duplici ponte Continenti annexuit; illius vero ambitus 65 milliaria colligit; urbs quoque ad hosce pontes in montis crepidine posita, duobus erat instructa navalibus ducentarum simul triremium capacissimis: Illam autem ex vetustis, quæ supersunt, ruderibus, ex Pario fuisse ædificatam marmore suspicari licet; indeque maxima copia, quæ etiam ex fundamentis eruitur, ad extruendas Turcicorum Cæsarum Mosquéas frequentissime exportatur.

Non procul à Cysico Propontis paulatim in angustum desinit, Hellespontique fretum efformat, quod non ultra duo stadia, seu quartam milliaris partem porrigitur. Hîc Xerxes Europam Asiæ constructo inter utramque ponte copulavit. Apud Metonem verò pagum, ubi Xerxes pontem ædificari curavit, visitur Bedona arx munitissima; juxta quam Turcæ primum ex Europa in Asiam transmisere. Dardanum deinde oppidulum invenitur Trapezo promontorio adjacens, quod vix ullas inpræsentiarum urbis reliquias servat; attamen locus ipse Dardanello etiamnum à Turcis vocatur, ibi enim Castrum habent quo Freti ostium, sicut & ab altero versus Europam propugnaculo impense tueantur; utrumque autem Dardanellum, à Turcis *Dandeleq* communiter nominatur. Ipsi etiam anno 1660 nova ibidem fortalitia excitarunt, quò Venetarum classium impetus exinde tutius, certiusque repellere queant.

Cysicum solum pinguissimum est, ac fertilissimum, illudque quod Lampsaco circumjacet, vitibus undiquaque consitum est, quemadmodum & in Atraciæ regione.

MYSIA MAIOR. *Mysia major*, ad Troadis sedet meridiem, Bithyniæ ultra Idam montem altissimum contermina; illa autem, Antandros, hodie *S. Dimitri*, Pergamum, & juxta nonnullos, Landermitium seu Atramitium civitates complectitur.

ÆOLIS. Æolis, ab Æolibus sui habitatoribus hoc nomen adepta est, cum illa prius Mysia vocaretur, & qua parte Hellespontum respicit, Trojanorum sæculo Troas fuit appellata; Ioniæ finitima est, nec procul à littore in Continentem porrigitur. Myrinam habet civitatem, quæ Sebastopolis hodie nominatur, commercioque est notissima; habet & Phoceam, quæ nunc Foja seu Foglia Vecchia, Fogaque nova dicitur, tenuis quidem urbecula;

cula; in qua tamen Turcæ casamatam in munimentum muri maritimi construxerunt. A Turcis, piratis fere omnibus, inhabitatur; verum ob montem illi prædominantem, fortificari, firmioremque reddi impossibile est.

Fuit olim hic ager fertilissimus, at impræsentiarum non sic excolitur, ut Imperatorum Orientis temporibus; nec nisi exiguos Turcarum vicos possidet.

IONIA. Ionia, priùs à Turcis Aidinella vocabatur, nunc verò Chisco seu Quisco nomen sortita est.

Hæc regio ab Æolide, Hermo flumine, quod hodie Sarabasto, dirimitur, ipsamque Æolidem, & mare Ægeum atque Archipelagum ad Occasum habet; Cariam autem ad Meridiem.

Miletum. Quod ad præcipua illius loca spectat; ipse Herodotus Miletum primariam Ioniæ vocat civitatem, quæ decem stadiis à Mæandro flumine distat. *Smyrna.* Smyrna, quæ modò Lamira seu Ismyra dicitur, urbs fuit olim potentissima æque ac opulentissima, hodieque opibus satis floret & potentia; sed non eodem, quo vetus olim civitas loco posita, sed 2500 ab illa passibus remota est. Exinde ad Chio Insulam brevis admodum trajectus interjacet, sicut & ad Mytilenen quoque Insulam. Illius habitatores, Homeri Poëtarum omnium celebratissimi sepulchro gloriantur, eumque suum fuisse popularem prædicant. *Ephesus.* Ephesus, jam Figena, Fiena, atque etiamnum Epheso, non multum abest à Cheisaro amne, urbs toto orbe ob Dianæ templum celebris; & Christiano sæculo ob œcumenicum Concilium ibidem celebratum. Antiquitus Ephesum pulsabant Oceani fluctus, at nunc longissime ab ipsa urbe sejunctus est. Porro cæteræ Ioniæ civitates sunt, Clazomenæ, jam Crina; Colophon, quam Belvederam dicunt moderni; Teos nunc Susor; Lebedus, quæ Lebeditzi-Chisar; Priene, Biante alumno nobilis, quæ hodie Palathia nominatur.

Qualitas. Ionia omnium minoris Asiæ regionum est fœcundissima, ideo Constantinopolitani Imperatores ad levandum à publicis curis animum exhilarandumque illuc secedere consueverant.

CARIA. Germianum regio minoris Asiæ, Cariæ veteris jam sedem occupat, partemque Lydiæ, quantum ad Continentem versusque Phrygiam hæ plagæ nunc extenduntur.

Hic tractus, Ioniæ finitimus est ad Aquilonem; à Meridie verò & Occasu Caria clauditur, Mendesiam autem suo sinu includit.

Magnesia. Vrbes aliæ. Primaria Cariæ civitas Magnesia est, Ducum secessu insignis; sedet illa urbs ad Mæandri fluenta. Myndus quoque, Mendos hodie vel Mendez dictus, urbibus etiam Cariensibus accensetur. Est & Tausalus juxta Mæandrum, à Niceta Tantali nomine indigetatus. Occurrit deinde Cybira, hodie Buruza, non procul ab eodem fluvio; postmodum civitas D. Petri, Sinusque cognominis, urbs quidem olim Iassus, Sinus autem Iazius dicebatur; Alabanda quoque 25 à pelago milliaribus remota, cui & bini montes, Caunus nimirum sive Gonus, nunc Magri; & Physco, olim Phisca, circunquaque minantur; succedit demum Antiochia, mediocre oppidum, Mæandrum inter & Mossinam amnes insidens, à quo non longe abest Laodicæa.

Qualitas. Aër his oris insaluberrimus est, quod evincit lividus incolarum color, sed præcipue Cannensium; Solum autem optimum est, maximosque affert omnis generis fructuum proventus; attamen ager Manissæus præ cæteris Asiæ, frumenti feracissimus est.

Portus. Porro plurimi sunt in Caria portus sua opportunitate commendatissimi, tum quod illius littus mare Occidentis Austrique respiciat, tum vel maximè quod pluribus Insulis, Rhodensi præsertim, finitima sit.

DORIS. Doris, quædam Cariæ portio, adinstar Peninsulæ in mare porrigitur, cujus aditus ne 200 quidem passus in latitudine colligit. In hac Chersoneso fuere antiquitus quinque civitates, quarum caput erat Halicarnassus, *Halicarnassus.* Dionysii Halicarnassensis atque Herodoti ortu nobilis, & nonnunquam Regum Cariensium solio exornata, quæ hodie Cacavo nominatur. Huic civitati superbissimum, quod Artemisia marito Mausolo fecit extrui sepulcrum, maximam apud omnes celebritatem conciliavit; ab illius enim nomine moles illa Mausolæum dicta est, cujus etiamnum antiquæ supersunt reliquiæ. *Cnidus.* Fuit & olim Cnidus, urbs insignis, in extremo cornu peninsulæ adhærens, æde Veneris, illiusque statua à Praxitele efficta celebris, hodie *Cabo Crio*, quibusdam autem *Chio* nominatur.

Non procul ab Halicarnasso fons Salmacis videbatur; cujus aquæ etsi limpidissimæ, eo nomine olim male audierunt, quod lavantium in iis, aut ex iis bibentium corpora effœminarentur.

LYDIA. Lydia, quæ prius Mæonia vocabatur, usque ad Mysiam obtigit Calamisso Carasioque illius filio in divisione à Turcis peracta; unde & Carasia postmodum appellata est; Æolidis Ioniæque à tergo jacet.

Vrbes. Hæ autem civitates in Lydia numerantur, Thebe nimirum & Antyris nunc omnino desertæ; Lyrnessus, & Cilla Apollinis fano insignis, utraque jam funditus eversa; & Sardes Crœsi regia, totiusque regionis caput, quæ ad Tmoli montis latus sita est, binasque in partes à Pactolo dividitur. Fuit sæpius illa civitas à Græcis expugnata, accensisque per eosdem ignibus conflagravit, tandemque horri-

horribili terræmotu eversa, à Tiberio Imperatore pristino splendori restituta est. Accenseri potest inter urbes Lydiæ Mastaura, hodie Mastaureba; dein Laodicea Lydiæ, quæ Lyco amni insidet.

Qui Hermo Caystroque fluminibus adjacent agri, fertilissimi sunt, mons quoque Tmolus omni ex parte fœcundissimus est, quippe vineis & croco undiquaque consitus.

LYCIA. *Lycia*, nunc Bricquia nominatur; ab Aquilone & Occasu Cariâ clauditur; ab Ortu Pamphylia juxta montem Masicytum, qui ad mare extenditur; ab Austro denique Lyciæ pelago per 200 circiter navigationis milliaria terminatur.

Vrbes. Lyciæ tractus multas habet civitates, verùm si Pataram exceperis, residuæ nullius pæne sunt momenti. In ipso littore Dædala urbs conspicitur, in summitate rupis posita, quæ ab incolis Macri vocitatur, ab hac non procul abest oppidum nomine Telmessus, Aruspicum disciplina olim clarum.

Patara civitas natalibus S. Nicolai, Myrhæ Episcopi, nobilis, antiquitus autem Apollinis oraculo celebris; adhuc priscum nomen retinet.

GALATIA. *Galatia* nomen accepit à Gallis, qui relicta patria sedes in illa fixerunt; Galli enim à Græcis Galatæ fuere nuncupati; Gallo-Græcia etiam vocabatur; hodiéque sub Amasiæ, Toccatæ, Gelasiæ & Gelasiliæ nominibus intelligitur.

Galatiæ regio ab Oriente Cappadociam; ab Occidente Bithyniam & Phrygiam; à Septentrione Pontum Euxinum; à Meridie Pamphyliam limites habet. Porrò illius littus 250 circiter milliaria colligit.

Ancyra olim, nunc Angouria hujus provinciæ caput, omnium Galatiæ urbium tum ob suam amplitudinem, tum ob commercia & opes, famosissima, non procul ab Haly, nunc Laly, flumine distat. Huic civitati Ancaræ nomen Turcæ imposuerunt; quandoque etiam Enguriam, sive Agouriam illam vocitant. Moson etiam quæ hodie Aricanda, Galatiæ urbibus annumeratur, sicut & Germastia, quæ olim Germa dicebatur.

Ager Galatiæ feracissimus est, maximamque triticorum omnis generis copiam producit: hordeum etiam in equorum pabulum quibusdam ex illius partibus colligitur, immensaque fructuum, præcipuè ficuum ibidem est abundantia.

Porro Ancyra ob frequentissimum inibi commercium opulentissima est; quippe in ea duntaxat civitate ex subtilissimis caprarum Ciliciæ pilis cymatilia splendidissima texuntur, qui postea per omnes mundi plagas venum exportantur.

PAPHLAGONIA. *Paphlagonia*, nonnullis Henetorum seu Venetorum regio nuncupata, unde & Veneti prodiisse circunferuntur, sub novissimis etiam Græciæ Imperatoribus, Paphlagonum Thematis nomen sortita est: Penderachiam Turcæ illam vulgo nominant, quasi Spenderachiam diceres, tractus omnes versus Pontum Euxinum cum Paphlagonia continentem.

Paphlagoniæ limites ii assignantur; Leucosyria nimirum, parsque Cappadociæ ad Halym fluvium ab Oriente; à Meridie verò Galatia; ab Occasu Bithynia necnon & Maryandini; Pontus denique Euxinus à Septentrione.

Vrbes. Civitates Paphlagoniæ sunt, Sinope, ad Pontum Euxinum in colle peninsulæ cujusdam sita, omniumque illius littoris urbium primaria, quæ & portu commodissimo exornata est; modicoque ab ea intervallo Gangra, quæ & Pompejopolis, conspicitur, atque Amisa urbs maritima, quæ hoc tempore Simiso appellatur. Est & Bollis, quam Turcici Annales Bolim nominant, à Ptolemæo autem Aboni Teichos sive murus Galatiæ indigetatur; hanc excipit Tios oppidum, hodie Tio dictum; occurrit deinde Cromna & Cimolis, dicta nunc Cinopolis, quæ & ipsa est Quinopolis.

Halys. Halys autem fluvius, qui regionem hanc à Cappadocia dividit, Lali nomen impræsentiarum obtinuit: ille verò à Tauro monte ducit originem, multisque per Armeniam procurrens peractis ambagibus, ad Occidentem properat ducentis ab Ajazzensi Sinu milliaribus, Continenti indesinenter adhærens; postmodum reflexo ad Aquilonem cursu, Galatiæ, Paphlagoniæ, ac Leucosyriæ tractus interluit, quos ab aliis regionibus disterminat.

Amœna est hujus agri planities, & fœcundissima; & quamvis Amisæ solum quadantenus sterile appareat, attamen pascuis est uberrimum, atque nonnulla sui parte, tritico opportunissimum; tota denique Halys fluvii ora tot herbis tantaque viriditate est consita, ut Paradisum imitari videatur.

PAMPHYLIA. *Pamphylia*, cui Mapsopiæ nomen Plinius indidit, à modernis Setilia, quin & Zina ob antiquam illius Metropolim in mari conditam à nonnullis vocatur; ab Occasu Lyciam, ab Ortu Ciliciam partemque Cappadociæ; à Meridie Mediterraneum mare, quod illic Pamphylium nuncupatur, demum à Septentrione Galatiam habet.

Vrbes. Vrbes Pamphyliæ sunt, vetus Attalia, hodie Satalia, quæ & à Turcis Antalia nominatur; est & Sinus illi proximus cognominis; porro civitas est omnium sui tractus fortissima. Inde progredienti se offert Eurymedon fluvius, nunc Zacuth dictus, qui in pelagus exoneratur. Quæ autem in Pamphyliæ gremio urbes jacent, sunt: Perga, modò Pirgi, oppidum pervetustum, quod ad Cataracten fluvium

fluvium insidet; Seleucia, hodie Charazasa; Candelor, olim Sida; Cebira, prisco ævo celeberrima, nunc autem vix ullum antiqui splendoris retinet vestigium; ipsa vero in prærupto montis posita est, videturque omni ex parte inexpugnabilis.

Qualitas. Regio hæc quantumvis aspera sit & montibus obsita, attamen ubique fere luxuriat, ipsaque etiam Seleucia vitibus circunsepta est, etsi illius ager desertis arena scatentibus finitimus sit; quod autem ager in tantam evaserit ubertatem, inde proficiscitur, quod depressa convallium à montis summitate defluentem accipiant pinguedinem, aquisque salutaribus perfundantur. Porrò apud Santaliam maximum viget commercium, atque Cypri habitatores præ omnibus, ibidem summopere negotiantur.

PISIDIA, & ISAURIA. *Pisidia*, & *Isauria*, quæ & à Turcis Sauria vocitatur, maxima sui parte in extremis Tauri montis assident, nonnullaque regionis portio ipsum montem occupat, & quidquid superest, ad radices montium versus Pamphyliam excurrit, pertingitque ad Phrygiam, Lydiam & Cariam, & ab Aquilone & Ortu ad montes Ciliciæ.

Selga. Pisidiæ caput Selga, nunc Philadelphia, civitas olim potentissima; accensetur quoque Antiochia, nunc Tachia, nonnullæque aliæ momenti minoris.

Vrbes. Isauriæ civitates quod attinet, extant etiamnum antiquæ Isauriæ quædam vestigia, quæ olim hujusce regionis civitas princeps; vetus etiam hic jacet Saurata, à suis habitatoribus nunc Souraseria dicta.

Ager. Selgensis ager etsi montanis aliqua sui parte horridus, attamen frumenti fertilissimus est, maximæque hominum multitudini annonam affatim suppeditare potest; olivetisque, vineis, & pascuis ad alendos cujuscunque generis greges idoneis, refertissimus est.

LYCAONIA. *Lycaoniam* Strabo & ipse Cappadox, à Cappadocia dividit; ut ergo regiones meliùs ab invicem discernantur, bifariam Lycaonia dividetur, in Occidentalem videlicet, & Orientalem; hæc ad Cappadociam, illa autem ad Galatiam pertinet.

Fines. Terminos habet Lycaonia, à Septentrione quidem Cappadociam, & ab Austro Caramaniam; ab Occidente verò Sataliam & Sauriam. Tandem à Cilicia Trachéa, sive Aspera, Tauro monte dirimitur.

Iconium. Civitas hujus plagæ notissima est Iconium, nunc Cogno, Cogny, Cogna, Cognia, & Conia, variis quidem nominibus, sed vix ab invicem dissitis, appellata, nec procul abest à Tauri jugis, multisque fluminibus irrigatur.

Qualitas. Frigidi sunt colles Lycaoniæ, plantisque & arboribus destituti; ibique magna est aquarum penuria; nec nisi in puteis profundissimis reperiuntur. Ager verò Cogniacensis præcellit cæteris; vitibus enim cultissimis opimisque abundat.

CAPPADOCIA. *Cappadociæ* mediterranea portio, olim Leucosyria, à nonnullis hodie Amasia nominatur; verum id nominis Galatiæ quoque & Paphlagoniæ commune est.

Fines hujus provinciæ, quæ ad Pontum usque Euxinum porrigitur, sunt ab Occidente Paphlagonia, Galatia, & aliqua Pamphyliæ portio; à Meridie Caramania; ab Oriente autem Anti-Taurus minori Armeniæ adjacens, mons quoque Moschius, & ex quadam sui parte Euphrates; à Borea denique Pontus ipse Euxinus, qui & Mare Majus vocatur.

Patet illius littus 450 milliaribus, seu 150 leucis Francicis in longitudinem.

Vrbes. Porro Cappadociæ loca, littus legenti, hæc sese offerunt, principiò quidem Lycastum, nunc Docastelli, quod quidem Mela ad Halym amnem collocat; Iris deinde fluvius, jam Lirio seu Casalman dictus; qui & ingenti aquarum mole tumidus, longisque ductis flexibus, è monte Scordiaco sese præcipitat, atque Themiscyræ irrigata planitie in Pelagus evolvitur. Porro Themiscyra Amazonum sedibus, regumque secessu nobilissima est; nec silentio sepeliendus amnis Thermodon, qui hodie Pormon nominatur, is quippe celsis è montibus irruens, multisque auctus rivulis, ubi cognominem sibi regionem Iri conjunctus interluit, in mare tandem immergitur. Ad Thermodontem verò urbs Vatiza conspicitur; hæc olim Polemonium vocabatur; ibi & Thermodon sese ostentat oppidum pervetustum, quod Hermonazza novo nomine nunc indigetatur.

Neocæsarea. Invenitur in hoc quoque tractu Neocæsarea, nunc Nisan aut Tocata, Lyco amni insidens; necnon & civitas, Cerasus nomine, quæ tamen à Colonis Omidia, aut potius Hemidia vel Emidia vocitatur; nec procul Gelvazia, aut Giulvaza; postmodum Chirisonda, olim Sida; Trapezus denique seu Trebizonda Imperii caput, veluti in angulo, aut montis angustiis conclusa, Tarabossana à Turcis hodie nominatur, quandoque etiam Trabosana. Demum in plaga Trebizondæ sedet oppidum Rhisus appellatum, impræsentiarum autem Erisso sive Erisa.

Cæsarea. In ea autem quæ Propria dicitur Cappadocia, extat urbs Cæsarea, nunc Tisaria, sub monte Argæo posita, quæ primò Mazacæ & Mozæ nomen sortita fuerat; quæ autem supersunt civitates, hoc ordine recensentur: Derbe, nunc Dervasa; Tabachzama, olim Comana Pontica ad Irim; Nazianzus Cæsareæ proxima, Gregorii Nazianzeni summi Theologi ortu nobilis; Cucusa, aliàs Maganopolis, juxta Pontum Euxinum sita; Sasum, olim *Nazianzus.*

olim Saſima; & Chadiſa, quæ hodie Phadiſa dicitur. Iſta etiam regione Seutina, Quiſſo, & Gonca civitates non procul à Pelago conſpiciuntur, necnon & in Midelienſi & Anarſuranenſi tractibus. Cæterum Arealoga & Suvaſia Cappadociæ, à Sivaſia Armeniæ, quæ olim Sebaſtopolis, atque à Ianico & Chiormo, quæ maximi momenti civitates ſunt, diverſæ omnino cenſentur.

Tyana. In provinciola quoque Cappadociæ, nomine Tyana, jacet urbs cognominis, patria Apollonii Tyanei, Magici celebris, cujus vitam ſcripto etiam volumine exequitur Philoſtratus. Sedet autem illa urbs ad radices Tauri montis, hodieque Tiagna vocatur.

At Cappadociæ metropolis eſt Amaſia, antiquo adhuc nomine inſignita; Sita eſt in vallis profundo ad Irim fluvium, Strabonisque natalibus gloriatur.

Montes. Montes habet Cappadocia Anti-Taurum, Scordiſcum & Argæum; quorum poſtremus, omnium editiſſimus eſt, atque ex ipſius vertice, ubi cœlum ſerenum eſt, Pontus Euxinus Mediterraneumque Caramaniæ pelagus facilè proſpiciuntur.

Qualitas. Tractus hic, etſi plus vergat ad Auſtrum, quam ipſe Pontus; attamen frigidior eſt, montiſque Argæi faſtigium aſſiduis fere nivibus operitur; tritici ferax eſt, præſertim vero frumenti; pars autem, quæ magis accedit ad meridiem, radiceſque Tauri montis occupat, vix ullis arboribus frugiferis conſita eſt.

CILICIA. *Cilicia*, ſecundum nonnullos, Turcomaniæ nomen hodie ſortitur; Caramaniam alii vocant, quod à Caramano Turca, à quo Armeni ex ea pulſi, id nominis acceperit.

Fines. Ab Occidente, Pamphyliæ collimitanea eſt; à Septentrione, Tauro monte clauditur; ab Ortu autem habet montem Amanum, qui nunc *Monte Negro* ab Italis, ſeu mons Niger dicitur; demum à Meridie, Mare Mediterraneum, ſive tractum illum, qui cenſetur Ciliciæ pelagus, quod per trecenta navigationis milliaria in longitudine porrigitur. Porro in Trachéam ſeu Aſperam, & Campeſtrem concinne dividitur.

Loca. E Pamphylia proficiſcenti, prima ſe offert in Ciliciæ littore Arx Iotapa, nunc Lombardo, in colle conſtituta; mox Antiochia Ciliciæ, impræſentiarum autem Antiochetta, mari adjacens, ad exigui fluminis oſtium; dein Lalaſis fluvius, qui & ab hujus plagæ incolis Calendes appellatur; nec procul eminet promontorium Stalemula nomine, priſcis Anemurium. Cornachietto ſeu Crommyo Cypri Inſulæ promontorio è regione poſitum; quo ſuperato, Melas fluvius, qui nunc Crionera, conſpicitur; denique Celenderis ornata portu civitas, quæ hodie Panopolis, ſeu potius Crionero nominatur.

Cilicia Campeſtris. Occurrit poſtmodum Campeſtris Cilicia, quæ Tauro monte circumſcribitur, qui è mari juxta Trachéam aſſurgens, reflexis ad Septentrionem jugis, altero ſui faſtigio extenditur ad littus, à quo Campeſtris Cilicia terminatur.

Loca. Inter loca hujus Ciliciæ maritima cenſetur Corycus, quæ nunc Curco, aut Curcho, vel Corucha & Chura, ac demum à Turcis Charachiſar nuncupatur. Hoc autem inſigne de Coryco monte memoratur, quod in quodam illius antro Sibylla Herophila primam hujus lucis uſuram acceperit.

Cydnus amnis. Notiſſimus quoque eſt Cydnus Ciliciæ fluvius, cujus aquas podagra laborantibus ſalubres eſſe teſtatur Caſſius Parmenſis Poëta, ut lib. 13. Plinius annotavit; attamen eædem Cydni aquæ aliis de cauſis male audierunt; nimirum tum quod Alexandro in iis ſe lavanti, fere ad mortem exitiales fuerint, tum & ex eo quod Fridericus Barbaroſſa præ nimio illarum frigore expirarit. Cæterum, qui aliàs Cydnus amnis vocabatur, nunc ab accolis Tarſu, à Turcis verò Coraſu vocitatur, ſuamque habet in Tauro monte ſcaturiginem, atque ad Tarſu promontorium, olim Zephyriæ, in mari ſepelitur.

Tarſus. Tarſus Ciliciæ urbs clariſſima, olim totius regionis caput, in campis ſita eſt, Cydnoque amne irrigatur; quinque tantum à pelago diſtat milliaribus; antiquo adhuc nomine inſignitur; à quibuſdam tamen Hama & Hamſa, Malmiſtraſia, Terſis & Teraſſa, adinventis recens nominibus, vocitatur.

Sarus fl. Nec longe à Cydni faucibus Sarus amnis occurrit, nunc Adena dictus; deinde Pyramus, hodie Malmiſtra, qui ex amœna ultra Taurum planitie profluit; Ajazzus quoque civitas, quæ olim Iſſus, & Sinus illi cognominis, apud quem Alexander Darii exercitum expugnavit.

Sinus iſte ducenta circiter milliaria in ambitu colligit, amphitheatrique figuram exhibet, quin & Pamphyliam, Ciliciam, & Syriam ad invicem conjungit.

Philadelphia. Tandem ut ad Aſperam veniamus Ciliciam; Philadelphiam etiamnum hic conſpicies, antiquam ſuo etiam nomine civitatem, necnon & Seleuciam Trachéæ, quæ nunc Saleſica, Sileſica, & Suida dicitur, Calycadnoque fluvio inſidet.

Cætera quod attinet Ciliciæ loca, hac ſerie recenſentur; Adena ſcilicet, olim Adana, urbs ampliſſima, frequentiſſimaque, unius diei itinere à Tarſo remota; quæ & exornatur caſtro quatuor quidem turribus, ſed non adeo firmis, inſtructo. Invenitur & in Cilicia, Anazarbus ſive Cæſarea, nunc Azar civitas ad Pyramum fluvium ſita, Oppiani Poëtæ, & Dioſcoridis rei herbariæ peritiſſimi ortu

ortu nobilis ; & juxta Castabalam Portæ Amadides seu Ciliciæ visuntur, à Græcis Pylæ vocabulo indigetatæ.

Anchiala. Supersunt & in Cilicia veteres Anchialæ civitatis reliquiæ, in qua Sardanapalus omni libidinis mollitiæque genere effœminatissimus, ab Assyriis victus in regiam se recepit, & extructâ pyrâ, rebusque omnibus pretiosissimis eò congestis, seipsum unà cum regia combussit; est quoque oppidum S. Theodoræ nomine insignitum, quod olim Aphrodisias Augusta dicebatur; hanc Ramusius Sevestæ M. Pauli subrogat; iis accensetur & Marata, olim Maronias, urbs maxima, ut relicta ejus vestigia non obscure testantur. Heraclea etiam Ciliciæ in planitie jacet, non procul à Tauro monte.

Qualitas. Regio illa plane est amœnissima, variis enim intersecatur fluminibus; verum amœnitas fertilitatem vincit; illius planities agro Lodumensi Galliæ venit comparanda; vix enim fodi potest, quin ex ea silices eruantur.

ARMENIA MINOR. Vltima Natoliæ, seu Minoris Asiæ provincia, vergendo ad ortum, *Minor* est *Armenia*, olim Leucosyria, quo etiam vocabulo Cappadocia censebatur. Nonnulli tamen existimant eam nunc Anaduolam, Pegianam alii, & Accojonlu nominari, qua parte Colchidi finitima est.

Fines. Armenia minor ab Ortu terminatur Euphrate, qui eam à Majori dirimit Armenia; ab Occasu Cappadociâ; à Meridie autem, Ciliciâ, quà Taurum montem superat, necnon & angulo Syriæ, ultra Amanum montem, qui Tauri montis quædam portio est; tandem ab Aquilone, cornu illo, in quo Anti-Taurus & Euphrates coalescunt.

Vrbes. Civitates habet hæc regio, Sivasiam, quæ antiquitus Sebaste, nunc à Turcis Sivasscheher, ab aliis Sebastos dicitur; cui proxima est Kemachus, priscis Camachus. In eadem etiam plaga sese offert Erzinga, aliàs Erzinza, vel Ertzica, olim Aziris dicta, quæ & à quibusdam Arzingama, aut Erzingana nuncupatur. Invenitur quoque in Armenia Minore urbs Melitina, quæ à Turcis Melatiga vocatur, in confluenti Melæ atque Euphratis amnium posita; eo loci ponte fabricato Euphrates transvadatur; demum si curiosius aspexeris, ipsam adhuc Cybistram in ipso montium recessu reperies.

Amnes. Multis hæc regio fluminibus est irrigua, sed inprimis Melas fluvius, nunc Genefici, per eam decurrit, qui postmodum in Euphratem infunditur; ideoque illius ager agrum Cappadociæ, sibi conterminum, vincit bonitate; attamen ora Suarea frugiferis omni ex parte consita est arboribus, quin & oleum producit, vinumque Monariticum quod Græcanici meri refert suavitatem.

Enumeratæ hucusque regiones Turcarum parent imperio, unde & Mahometismum impense profitentur; Christiani nihilominus Græci, imo & Catholici in omnibus passim locis inveniuntur illis permixti.

I N S V L Æ
ad Natoliam pertinentes.

THYNIAS. Quæ magis in Ponto Euxino solem Orientem respicit Insula, Ptolemæo *Thynias* nominatur & Daphnusia; à Plinio autem Thynnias & Apollonia, à Continenti uno dumtaxat milliari sejuncta, triaque in circuitu milliaria colligens. Farnasiam vocant moderni; nec procul abest à Cio Bithyniæ civitate, quæ olim Diospolis, priscisque temporibus quadam urbe exornata est.

CYANEÆ. *Cyaneas* sive Symplegades Insulas silentio forte mitteremus, nisi ob celebrem illam Argonautarum expeditionem tantam sibi famam conciliassent; Planetarum seu erraticarum aut Symplegadum nomen retulerunt, quasi invicem repercutientium; Paronaræ autem hodie vocitantur. Cæterum binæ sunt Insulæ, imo rupes ultra Bosphorum seu fretum Constantinopolitanum, ad Ponti fauces positæ; distat una à Continenti Europæ mille quingentis passibus, altera vero pari spatio à Continenti Asiæ dirimitur.

DEMONNESA. Principiò quidem in Propontide se offert Insula nomine *Demonnesa*, Nicomediæ objacens; at à nonnullis novem aliæ recensentur; à quibusdam tamen quinque dumtaxat, quæ hisce nominibus indigetantur, *Prota*, nimirum, *Antigona*, *Chalcea*, *Printzipos*, sive *Principis Insula*, & *Charia*. Apud Chalceam, insignia duo visuntur Asceteria; in Insula autem Principis, quæ erat amœnissima, liberi Cæsarum educabantur.

TENEDOS. *Tenedos* Insula, quæ Tenedo etiamnum vocitatur, etsi à Turcis Bouchadda barbaro nomine indigetata, ipsa est, in quam Græci Trojam directuri sese abdiderunt; Iannizari promontorio è regione posita, adeoque proxima, ut nonnisi exiguus admodum, scilicet quinque milliarium, alveus transmittendus sit. Iacet in Hellesponti introitu à meridie, habetque triginta in circuitu milliaria. Duobus ab Oriente navalibus exornatur, inter quæ ipsamet civitas fuit olim constituta.

LESBOS. Archipelagum ingredienti, *Lesbos* Insula mox occurrit, sedet è regione Æolidis, & Grynæi civitatis antiquæ, in qua templum Apollinis, & locus vaticinandi pervetustus, unde & Apollo Grynæus appellabatur; ipsa autem Insula nunc Mitylene vocatur, extenditque se à Lette promontorio usque ad Canum; à Chio versus Aquilonem quinquaginta

ginta milliaribus est remota; à Stalimene verò seu Lemnos, octuaginta, ex ea parte qua Euroaquilonem respicit; à Delos autem Insula, centum & septuaginta milliaribus distat. Ambitus ejus est centum triginta, aut potius ducentorum sexaginta milliarium. Patet ab Oriente in Occidentem illius longitudo septuaginta milliaribus Italicis, duobusque portubus, aut potius Sinubus est instructa.

CHIO. *Chio* Insula, una ex quinque Sporadibus, *Scio* ab Italis, à Turcis vero Saqua seu Saquezada, id est, Mastyches insula, hodie nominatur. Sedet in Archipelago, in ipso scilicet Icariano mari, juxta Chersonesum Ioniæ, Clazomenæ obversa, habetque à Septentrione Lesbos Insulam, quinquaginta distantem milliaribus; abest autem à Delos Insula nonaginta, à Ko seu Lango octuaginta dumtaxat milliarium intercapedine.

Ab Apanomerea, quæ quidem Græca vox partem superiorem significat; & à Catomerea, quæ partem inferiorem, sibi hinc inde adjacentibus, dirimitur.

Scio. Nec procul à Delphinio portu, Scio seu Sio provinciæ metropolis invenitur; quæ cum principiò in montis cacumine fuisset condita, postmodum in littore, attentis incolarum commodis, ædificata est.

In hac Insula plurimæ sunt aquarum limpidissimarum scaturigines, necnon & à quibusdam fluminibus eam irrigantibus ad omnimodam fœcunditatem impinguatur.

PSYRA. Exigua quoque apparet Insula, nomine Psara, seu Psyra, Chio Insulæ ad Occidentem obversa, non longe à Mastyches promontorio ejusdem Chio Insulæ. Illa olim Phanea dicebatur; multos nutrit onagrorum greges Ayriensibus omnino dissimiles; qui quidem sub alieno cœlo laborant ægritudine, moxque ut alibi transmiserint, protinus emoriuntur.

SAMOS. Tres recensentur Insulæ, eodem Samos vocabulo insignitæ; Samos nimirum Thraciæ, quæ Samothracia uno verbo, nunc autem Samandrachi appellatur; sedet in Archipelago prope Thraciam; secunda Epiro obversa est, atque hoc ævo Cephalonia vocatur; ea autem qua de impræsentiarum agimus, Samos est Ionica, Iunoni olim sacra, quam & Pythagoras, & Sibylla Samia ortu suo nobilitarunt; hinc vasa illa fictilia, Samia etiam dicta, à veteribus tantopere celebrata. Hoc etiam tempore à finitimis Samo, à Turcis verò Samos nominata, Insulis Sporadibus annumeratur.

Hæc Insula in Icario mari, è regione promontorii Trogylii, necnon & Ephesi, posita est inter Icariam Insulam cornuque Ioniæ, quinque ab illa milliaribus; à Pathmos autem quadraginta mil. Italicis.

Samos orbicularis potius est figuræ, quam longæ aut latæ; editissimum ab Aquilone montem habet, cujus etiam inaccessæ propemodum sunt rupes. Totam hanc Insulam vastaverant pyratæ, adeò ut habitatoribus esset deserta; verum postea rursus cœpit habitari, atque à populis magno numero sedes ibi ponentibus frequentari; ad Ortum atque Occasum pontibus exornatur; ad meridiem verò superbas ostendit amplissimæ olim civitatis ruinas.

CARIA. Vlteriùs ad Meridiem procedenti sese ostentat Icaris Insula, Icari lapsu celebris; qui & Icariano pelago nomen de suo nomine communicavit. Sedet ad Occidentem Samos insulæ, exiguamque habet latitudinem; sed in longitudinem ipsa plurimum se extendit; ejus ambitus septem milliaria complectitur.

PATHMOS. Insula Pathmos, ad quam Ioannes Euangelista abs Domitiano deportatus, hodieque nomen servat; attamen à quibusdam *Palmosa* nominatur, à nonnullis quoque *Pactino*, atque *Patino*. Iacet sub Samos & Icari versus Meridiem, magisque sedet ad Occasum in Icariano mari, quam ipsamet Icaris Insula; octodecim in ambitu numerat milliaria. Commodum habet portum ab Ortu, urbemque sibi cognominem. Ibi non procul à pelago conspicitur specus, in qua D. Ioannes Apocalypsin suam scripsisse circumfertur.

MYRTO. Nec longè à Caria Myrto Insula, nunc Mandria, reperitur, quæ Myrtoo mari nomen de suo nomine imposuit, quod & Mandrianum mare hodie quoque nominatur.

PHARMACO. Cœptum prosequendo iter à Septentrione ad Meridiem, invenitur Pharmaco Insula, olim *Pharmacusa*, in Ægeo mari juxta Cariam. Hic Cæsar Rhodam proficiscens, celeberrimi Molonis doctrinam excepturus, in Pyratarum manus incidit; deserta est impræsentiarum hæc insula.

LERO. Lero Insula, olim Leros dicta, Cariæ è regione posita est. Octodecim in ambitu colligit milliaria. In ea vetustissimæ arces collibus impositæ conspiciuntur. Montana hujus insulæ, montes Samos altitudine superant. Colitur incoliturque à Turcis hæc Insula, qui in ea sedulam navant operam, sicut & Christiani; ex ea quippe copiosissimum aloës faciunt proventum.

Inde ad amplissimam pervenitur insulam, Calimno nempe, Patmo & Co insulis, in Ægeo mari, interpositam; postea verò in Psermo quoque Insulam, ubi duæ aut tres civitates pagique plurimi visuntur; Porro utraque hæc Insula à Græcis Christi asseclis inhabitatur.

ASTYMPALEA. Asiæ Propriæ Insulis accenset Ptolemæus Astypaleam, quam moderni Stampaliam vocitant.

citant. Iacet in Myrtoo pelago ad Euro-austrum Co Insulæ. Nonaginta complectitur in ambitu milliaria, urbe & pagis plurimis exornatur, multisque commodissimis navalibus.

CLAROS. *Claros* Insula, nunc *Calamo*, jacet in Myrtoo mari, quod maris Ægei quædam portio est, non longe ab Asiæ Propriæ promontorio; quadraginta numerat milliaria in circuitum; nil autem nisi vetusta dirutorum ædificiorum rudera ostentat. Ibi montes præcelsi, è quibus Ephesum civitatem, etsi octuaginta distantem milliaribus, prospicere facillimum est.

CO *sive* LANGO. Quæ à Ptolemæo Insula Co nominatur, à Strabone *Cos*, ab aliis verò *Coos*, nunc autem Lango dicitur, at à Turcis *Stancou*, vel Stankoi; insidet mari Carpathio, quod pars est maris Ægæi, Halicarnassoque Cariæ civitati è regione posita est; septuaginta quinque milliaria ambitu suo colligit; panditurque ab Oriente in Occidentem, quadraginta in longitudinem milliaribus. Hanc insulam Hippocrates Medicus toto orbe celeberrimus, hanc & Apelles celebratissimus pictor suo ortu nobilitarunt.

Vrbes. Belonius civitatem in ea ponit atque castellum, *Stancou* utrumque nomine, quæ à Turcis tantùm inhabitantur. Porro quindecim abhinc milliaribus *Harranges*, aliàs *Atangea* oppidum invenitur, ubi pervetustæ ædes marmoreæ, nec procul inde superba Hippocratis ædificia conspiciuntur.

COSTILE. *Costile* tenuis Insula, proxime ad Lango insulam accedit; validissimo olim castro ante captam Rhodum defendebatur, necnon & turre editissima, unde & triremes in mari, quinquaginta inde navigantes milliaribus, prospiciebantur; & si quæ illuc appellerent, hujus Insulæ incolæ, dato signo, fumi quidem per diem excitati; ignis verò per noctem accensi, Rhodenses faciebant certiores, ut hac demum ratione ab hostibus sibi caverent.

CASOS. *Casos* Insula, nunc *Cassio* vel *Casso*, ad Occidentem Scarpanto Insulæ sita, novem milliaribus ab eadem sejuncta est, à Salamone verò, seu Salamo Cretæ promontorio triginta distat milliaribus; novemque tantum in ambitu milliaria complectitur.

SCARPANTO. Insulæ, Græcis olim *Carpathos*, Latinis *Carpathus* dictæ, hodie *Scarpanto* nomen inditum est. Sedet in Carpathio sibi cognomine pelago; ab Aquilone Icariano mari; ab Occidente, Ægyptiaco, Cretensique & Africano clauditur. A Cretæ promontorio, Salamo nempe, quod Orienti vicinius est, quinquaginta milliaribus dirimitur; Ambitus ad septuaginta excurrit milliaria; ab Ortu verò in Occasum, sese porrigit in longitudinem; est autem angustissima. Ternis portubus iisque tutissimis, multarumque navium capacissimis gloriatur.

Nec procul apparet amplissima Scarpanto civitas, quæ vetustum existimatur esse Posidium; accensentur & alia duo oppida, Tristanum scilicet, quod hodie *Faria* scopuli cujusdam nomine insignitur; & Corezi: hoc quidem ad Occidentem non longè à Gomello monte; Tristanum autem in Oriente, posita sunt.

In Græciæ delineatione, quæ nostri Atlantis portio est, duas inveniet Lector Insularum Archipelagi Tabulas, queis plurimas inspiciet Insulas nuper hoc volumine descriptas, Lesbos nimirum seu Mytilene, Chio seu Scio, Tenedos, Samos, Psyra, Icaris, seu Nicaria, Astipalea seu Stampalia, Pathmos, Leria seu Lero, Claros seu Calamo, Carpathus seu Scarpanto; quæ omnes & singulæ juxta Natoliam, seu Asiam Minorem, sitæ sunt.

RHODUS. *Rhodus*, Insula nobilissima, præ cæteris olim nominibus, *Telchinis* quoque vocabatur, eò quod Telchines, homines malefici, qui solo aspectu cuncta effascinarent, sedes ibi collocassent; hodie autem à Turcis *Rodosta* dicitur. In mari Carpathio sita est, Lyciæ objacens, quam habet ab Occidente, quemadmodum & ab Oriente Cypri Insulam. Abest à Scarpanto quinque & viginti milliaribus; à Continenti octodecim; à Stanco autem seu Co centum, à Cypro centum sexaginta; ab Alexandria demum Ægyptiaca quingentis & septuaginta circiter milliaribus distat. Ejus juxta nonnullos ambitus triginta supra centum milliaria continet, secundum alios verò aut 140, aut 125, at in longitudine 40, in latitudine viginti duntaxat milliaria protenditur.

Loca. Tres olim habuit civitates Ilissum scilicet, seu Ialyzum, Camurum, & Lyndum Cleobuli ortu celeberrimam, qui septem Græciæ sapientibus annumeratur; verum hisce urbibus hodie viduata est, sola Lyndo superstite, & cognomine cum Insulâ ipsâ civitate. Binis exornatur navalibus, uno communibus navigiis commodissimo, altero triremibus opportuno; Hujus ostio incumbebat ingens ille Colossus 70 cubitis sursum eminens, ab unaque parte in oppositam crura dividens, cujus moles ex ære solido tota coaluerat; at triginta duntaxat annis stetit incolumis, ac terræmotu concussa humi prostrata est. Porro ipsi Rhodenses ab eodem Colosso inter orbis miracula recensito Colossensium nomen acceperunt; ii sunt ad quos D. Paulus Epistolam sub hoc ipso nomine exaravit. *Colossus.*

Vrbs. In cornu Insulæ, in montisque prærupto sedet civitas, quæ figura constat ferè orbiculari,

culari, tribus hinc inde fossis vallata, totidemque mœnibus, adjectis quoque propugnaculis ac turribus exiguis, munita. At quantumvis elegans sit hæc civitas, minor tamen in illa visitur nunc populi frequentia; è regione Marmocæ urbis Lyciæ posita est; nec alia magis quam hujus arce civitatis Turcicum gloriatur imperium. Vnicus irrigat totam hanc insulam amniculus, Gadura aut Candura dictus, qui ne quidem navigabilis est; Attabyris ibi mons, nunc Filerno, præ cæteris eminet; is olim Iovi Attabyriano sacer: alter autem, qui in medio insulæ, Arthemita nominatur.


Qualitas. Aër hujus regionis clementissimus est; cœlum quoque adeò serenum, ut raris admodum nebulis temeretur, Solque nec unum diem faciat, quin benignis eam radiis exhilaret; quamquam autem desint amnes maximi, at in collibus & planitie limpidissimis ubique fontibus referta est. Solum arenosum est, campi quoque angusti, & lapidibus obsiti. Ab aquilone in planitiem expanditur; à meridie autem in montes assurgit. Porro ubi defecit natura, emendavit supplevitque industria, adeo ut hæc insula nunc tandem feracissimis accenseatur, quæ & viridantibus nonnullo tempore consita sit arboribus, quasi verna tempestate nusquam interrupta gaudeat. Omni generis frugiferarum arborum copia exundat, vinetis nimirum, olivis, malis citriis, aurantiis, & ficubus exquisitissimis; triticum parce quidem gignit, sed ferri ærisque fodinis fœcundissima est.

Tandem ab Equitibus Hospitalariis S. Ioannis Hierosolymitani conquisita, Ioanne XXII summo Pontifice, Neapolitanoque rege, opem ferentibus; illam postmodum adversus Mahometanorum impetus strenue defenderunt; verum anno 1522 Solymanno cum ducentis bellatorum millibus, ingentique trecentarum navium classe obsidenti, eam dediderunt, prima Ianuarii die, an. 1523; à quo etiam tempore Turcæ illam possederunt, quemadmodum & omnes hucusque enumeratas Insulas, quæ passim à Mahometanis, & Græco-Christianis; nonnullæ autem à Iudæis, quibusdamque Catholicis hodie incoluntur.



C Y P R V S
I N S V L A.

Nomina.



YPRVS *Insula*, ab Hebræis *Chetim*, vel *Cethim*, & à nonnullis veterum, *Ophiusa*, *Acamantis*, *Amathusia*, *Macaria*, seu *Fortunata*, multisque aliis nominibus indigetata, apud Europæos priscum nomen etiamnum retinet; ii quoque, qui ex illa oriundi sunt, lingua gentis vernacula *Chipro* eam nominant; Turcæ verò, atque etiam Mauri, *Korbos* ei nomen imposuerunt: unde & Croisas seu Crusados aurei, in eadem Insula Kobrosi vocitantur.

Situs. Sedet Cyprus in mediterraneis, à Septentrione sinui Ajazzo adjacens, nec non & Caramaniæ, à qua sexaginta dumtaxat milliaribus distat. *Fines.* Habet ab Ortu Syriam, quæ tantùm ab ea centum abest milliaribus, quæ ut plurimum unica nocte peraguntur; ab Occasu autem Rhodum Insulam, ad quam usque, tres navigationis dies circiter numerantur; à meridie verò Ægyptum, quo, trium aut quatuor dierum spatio solventibus è Cypro, Alexandriam pertingere facillimum est; vel ut clarius id explicetur; è Cypro Alexandriam usque, 550 milliaria computantur, in Candiam verò 400; in Iaffam Iudææ portum, 200; ad Tripolim Syriæ, 100; adusque tandem Sataliam maritimum Pamphiliæ & Caramaniæ portum, 60. Longior illi per æstatem dies ad horas quatuordecim, tertiamque horæ partem extenditur. Illa porro Insula 700 in ambitu milliaria Cypria colligit.

Extensio. Patet verò in longitudinem, 220 milliaribus juxta modernorum calculum, si illa parte emensus fueris, qua Acamanti, seu sancti Epiphanis, ac Dinaretho seu Clidibus, nunc S. Andreæ promontoriis interjacent; maxima autem latitudo, à Gattæ, olim Curias, promontorio, ad Cormachitium quoque promontorium expanditur, habetque sexaginta milliaria. In undecim hodie districtus dividitur, qui hoc ordine hisque nominibus recensentur; Baffo, olim Paphus, agmen ducit ab Occidente; succedunt deinde Audino, Limisso, Masoto, Salinarum districtus, atque Suvoriensis, omnes ad meridiem juxta mare positi, ab aliisque longo montium ductu sejuncti; patent ab Aquilone alii, hisce nominibus insigniti, Crusoco nimirum, Pendalia, Cerinesa, olim Ceraunia, & Carpasso, olim Carpasia; postrema demum Vicecomitatus nominatur, jacetque inter Salinarum Cerinarumque regiones.

Porro Cerinensis regio à cæteris quoque dirimitur, interjectis quibusdam aliis montibus uno milliari & dimidio dissitis, tribus autem à littore versus septentrionem milliaribus; si autem aliis Insulæ lateribus, eodem montes ordine collocarentur, quamplura in Cypri regno, quibus hodie ad securitatem indiget, minime desiderarentur; hæc quippe regio initium ducit à Cormachiti promontorio, & continuo veluti montium sepimento cingitur, qui usque ad D. Andreæ promontorium indesinenter excurrunt, ne tantillo quidem spatio in illa plagula relicto, quo montes inter & pelagus, vel exiguus ad centrum insulæ pateat aditus. Illorum autem montium quidquid residuum est, Insulam intersecat, initio quidem facto à Solia veteri, octodecim à Cormachiti milliaribus remota; per ipsius verò medium Insulæ transeundo, usque ad Crucis montem Masotto promontorio objacentem, Baffo tenus in ipso maris littore expanduntur; unde ad latus aliud deflectunt, littusque occupant usque ad Soliam supra memoratam. Attamen non adeo proceri sunt ii montes aut asperi; qui autem cæteris præminet, Trochodos à Græcis vocitatur, qui Olympus priscis dictus est, qui & quatuor milliaribus surgit in altitudinem, quinquaginta verò milliaria, seu leucas octodecim Francicas ambitu complectitur. Exornatur etiam mons iste D. Michaëlis appellatione, est quippe ipsimet Archangelo sacer, quemadmodum & sacellum in ejus cacumine positum. In hac porro Insula unicum est monasterium, quod S. Annæ vocatur; verum antiquitus octodecim monachorum cœnobia ibidem visebantur.

Promontoria. Plurima incumbunt huic Insulæ promontoria; Acanias scilicet, seu Acamantis, hodie S. Epiphanis promontorium, ab Occidente; deinde Malotu, olim Zephyrium; Abium quoque promontorium, quod à priscis Phrurium dicebatur, primumque est à meridie; Chata, seu Gata, antiquitus Cutias; Cormacchitti, olim Crommium; Limnito, prius Callinusa; Alexandrena, alias Delenum; Dades, nunc Chiti; Throni, hodie Pila; Pedasium,



MARE MEDITER
RA
NEVM.
CYPRVS INSVLA
PAPHIA
AMATHVSIA
LAPETHIA
SALAMINIA
Olympus Mons
Milliaria Italica
Milliaria Germanica

sium, quod impræsentiarum Griego, seu Grécum; ac demum S. Andreæ, quod olim Clides, habet Cyprus promontoria.

Portus. Nullo autem nunc portu exornatur, nisi Famaguſtano; plurimos quidem olim habuit, verum ipsi incolarum incuria oppleti fuerunt. Sunt tamen eximiæ per hujus Insulæ circuitum plagæ, naviumque stationes, apud Salinas nimirum, Limiſſo, Baffo, Grusoco, ac tandem in Tractu Cerinensi.

Vrbes. Multis quoque splendidiſſimis urbibus olim Cyprus honestabatur, quas inter Paphos, Palepaphos, Cytherea, Curias, Cithium, Ceraunia, Salamis, Amathus, Lapithe, Soloë, Tamasus, Arsinoë, Carpasium, aliæque magno numero civitates recensebantur; at illæ prorsus jam dirutæ, aut in pagos ignobiles sunt redactæ.

Paphos. Antiqua Paphos, seu Palepaphos, sedens in parte littoris meridionali, nil nisi vetustas ostentat ruinas; nova autem, quæ nunc Baffo dicitur, à vetere, sexaginta stadiis diſſita, pagi specimen, nilque præterea, præ se ferre videtur. *Cytherea.* Cytherea, Veneris civitas, à qua & ipsa Venus cognomen accepit, non procul à Paphos, eodemque in littore sita, pagus est hodie, Convelia dictus. Curias autem pro Limiſſo à nonnullis usurpatur, ab aliis pro vico Piscopia vocitato, qui à Limiſſo novem distat milliaribus. *Amathus.* Amathus sexto à Limiſſo lapide, antiqua duntaxat ostendit rudera. *Cithium.* Cithium, à Cethum Noë pronepote, ut creditur, conditum, hodie Chiti nominatur; sedet à parte Australi, octo à Salinis milliaribus, nihil præter veteres semirutæ turris reliquias, tenuesque aliquot ædiculas habet. *Salamis.* Salamis, secundo à Famagusta lapide, desertum fere nunc oppidulum, vetus nunc Famagusta vocatur. *Carpasium.* Carpasium pagi nomine fere indignum, nunc Carpaſſo nomine indigetatur. *Ceraunium.* Ceraunium in prærupta rupe positum, nunc Cerines, pagus est non ignobilis, ut pote populo frequens, & arce conspicuus. *Lapithe.* Lapithe civitas, regum olim sede nobilis, ob commodam navium stationem, maximasque quas habet triremes celeberrima, duodenis à Cerines remota milliaribus, priscum nomen etiamnum retinet. *Soloë.* Soloë, urbis honore spoliata, in viculum hodie Solia nomine redacta est; aſſidet autem Aquiloni, Corchitique promontorio & cornu Alexandretæ intersita est. *Arsinoë.* Arsinoë quoque civitatis viduata titulo, pagus nunc appellatur, à nonnullis quidem Crusoco, ab aliis verò Lescara; Famagustam tamen Arsinoës locum occupare, quidam suspicantur. *Tamasus.* Tamasus etiam pro Tamasia juxta Nicosiam viculo, à plerisque sumitur. *Idalium.* Idalium porrò, sedes Veneris, ut Poëtæ fabulantur, abs Lusignano Dalim oppidum, ab aliis autem nomine Dali vocitatur. Insigniora tandem hujus Insulæ loca sunt Nicosia, & Famagusta.

Nicosia. Nicosia, Græcis Leucosia, in ipso fere hujus Insulæ umbilico sita, quadragesimo à Famagusta lapide, trigesimo autem, ac decimoquinto abs pelago milliari. Civitas hæc, olim quadraginta mille resplendebat ædibus, Lusignanorum etiam regum Curia, sedeque Archiepiscopi totam Insulam moderantis inclyta, quæ anno quoque 1567 novem adhuc milliaria suo ambitu complectebatur; at cum Venetorum Dominatus vellet efficere munitiorem, ad tria dumtaxat milliaria, ampliſſimum, quem habebat, ambitum redegit. Multi paſſim per hanc urbem procurrunt rivuli. Sedet autem in maxima Mestareæ planitie, 78 in longitudinem milliaribus excurrens, 30 verò in latitudinem, feraciſſimis undique collibus circumsepta, plurimisque amnibus irrigua. Visitur etiamnum Sanctæ Sophiæ Cathedralis ædes in Turcicam Mesquitam conversa. Cæterum hæc urbs figura constat orbiculari, undecim propugnaculis, fossisque latiſſimis munita. Equidem mœnia nec debita sedulitate restaurantur, nec ad propulsandos hostium impetus videntur sufficienter idonea. Pedéus amnis, seu torrens potius, civitatis medio præterlabitur. Tandem urbs illa sedes est hodie Beglerbegi seu Baſſæ Cyprensis.

Famagusta. Altera autem civitas, Famagusta nimirum, quasi Latine dixeris *Fama Augusti*, quondam Arsinoë vocitabatur, una ex tribus in littore collocatis, eodemque prorsus nomine insignitis, quarum hæc Pedaliam inter & Salaminam; alia verò, quæ nunc Aphdima, veteri novæque Paphos interjecta; tertia denique juxta Callinusam sedet, Lescaraque impræsentiarum nominatur.

Hæc autem posterius recensita, fuit olim Episcopali sede egregioque portu nobilis; sita verò est in extremis Insulæ, quæ Orientem aspicit. Nec modica est hæc civitas, figura pæne triangulari, unicumque Cypri Præsidium; quà enim Continenti obversa est, propugnacula habet arte ingenioque singulari extructa, atque à Venetis, dum in ditione haberent, exædificata; præterquam quod in rupe posita est, cui nec cuniculis, nec eversioni ullus omnino fit locus. At Turcæ tanta laborant incuria, ut muri illius peſſum ituri citiſſime videantur.

In tota verò quaquaversum Insula, præter assignatas modo duas civitates, nullum prorsus oppidum videre est mœnibus circumcinctum.

Celebriora hujus Insulæ oppida sunt, Lapitho, Siluri, Carpaſſi, Lescara, Constantino, Limnati, Silica, Arnica, Pellendria, Chilani, Coloſſo, Piscopia, Salinæ, Conuclia, Otima, Cerines,

Cerines, Arzos, Omodos, Crusoco, Solia, Limisso, Morphu & Lephca.

Vrbes. Comercio oppidulum, pro veteri usurpatum Cypria, quæ suum nomen huic Insulæ communicavit, etiamnum mercatoribus admodum est frequens, sed minus, quam olim dum à Christi cultoribus habitabatur. Arnica, quondam Piscopia, milliari circiter à littore sejuncta, suis hodie ruderibus maximum priscæ amplitudinis ostentat documentum; residuas nunc habet humiles unius duntaxat contignationis casas.

Duobus ab Arnica milliaribus, maxima Salinarum vallis conspicitur, quæ præcipitem ex Olympo monte torrentem excipit, ut & pluviales aquas è vicinis montibus atque præruptis defluentes; quæque hybernis temporibus lacum quaternis aut quinis pedibus altum summâ suâ affluentiâ conficiunt.

Amnes. Cæterum nullo Insula hæc amne navigabili potitur; sed quibusdam solum rivulis atque torrentibus, quorum præcipui sunt, Pedeus, qui Nicosiam præterfluit; Lycus ex Olympo monte ortum ducens, ac tandem fluvius nomine Tena.

Qualitas. Aër ut plurimum quadam corruptione laborat; unde & venenata magno numero insectilia ibidem enascuntur, præsertim vero notæ cujusdam pejoris locustæ.

Anni tempestates. Videntur quoque hujusce Insulæ tempestates nostris adversæ; æstivis enim mensibus omnia quaquaversum præ solis ardore, aërisque siccitate in tantum arescunt, ut ne tenuis quidem planta, nisi à cultoribus irrigata, virescat; Vernant autem hyeme campi autumnalibus longo tempore pluviis perfusi; diceres commutari adinvicem hasce duas, æstatem nimirum atque hyemem, tempestates. Et me hercule, in hac Insula, æstati præcellit hyems sua commoditate, seu agricolarum labores respicias, seu infirmorum valetudinem; nusquam enim hyems hic molesta est, nisi cum regionem hanc sævus aquilo perflarit.

Cum sit ergo hæc Insula fluminibus destituta, & certis solum torrentibus gaudeat, limpidissimæ quorumdam fontium aquæ subterraneis huc cuniculis adducuntur, quæ rotis aliisque id genus instrumentis sublevantur: cum autem vehemens imber ingruerit, vasis in hunc usum præparatis decidentes è cælo pluvias diligenter excipiunt, atque asservant. Porro si defecerit pluvia, ut & hîc rarissima est, tunc demum plurimi hujus Insulæ tractus siccitate laborant.

Vnico à Chiti oppidulo milliari, non procul à pelago lacus reperitur tribus circiter in circuitum extensus milliaribus, venisque velut sale imbutis scatens; qui circa medium Iunii mensis incumbentibus illi solis radiis incipit inspissari, circa medium vero Augusti totus in sal convertitur, marmoreamque duritiem imitatur.

Hanc Strabo Insulam à summa quam habet fertilitate laudavit, adeo ut nec ullam priorem habeat; hancque etiam feracissimam existimant moderni, quæ nec opus habeat res necessarias sibi aliunde suppeditari; verum irrigatione indiget, qua deficiente, terra quantumvis uber, vix ullam tamen profert annonam. Porro hoc quoque Cyprus infortunio laborat, quod frequentibus terræmotibus obnoxia sit.

Fruges. Regio hæc maximam frumenti copiam profert, quod quidem ab incolis mense Octobri seminatur; Aprili vero per totam Insulam peracta messe colligitur. Varii quoque generis habent legumina, ut & vinum præstantissimum, quod & stomacho saluberrimum sit, & in multos annos possit asservari, adeo ut à nonnullis ad octo nonnumquam annos intemerata suavitate fuerit custoditum.

Hic etiam abundant malopepones, cucurbitæ, museæ, cappares, quibus & amplissimæ interdum plagæ sunt refertæ. Ingens ibidem est olei copia, nec non & ficuum, limonum, malorum, citreorum, aurantiorum, susiman, & sumach, coriandri atque lentisci; nullæ tamen ibi castaneæ nascuntur, neque corna, aut cerasa; saccharum autem, crocus, dactyli, brassicæ, gossypium, rubia tinctorum, herba quoque nomine Soda, ex cujus cineribus sapo efformatur, cypressi, therebintus, thus, rhabarbarum, storax, cæteraque gummi, passim in hac insula reperiuntur.

Metalla. Sunt & aluminis fodinæ, sulphuris, auri, æris & argenti, iaspidis, crystalli, corallii, multorumque aliorum magni nominis lapillorum, qui etiam à Plinio huic Insulæ attribuuntur.

Mores, & Indoles. Cypri incolæ magna pollent fortitudine, nervosi sunt, ad armaque supra modum idonei existimantur; cæteris quoque Turcæ subditis præcellunt mansuetudine, atque in exteros comitate. Ingenium habent versatile & acutum, lingua manuque promptissimi, sed in libidinem supramodum proclives. Hæc illorum multis ab annis indoles; etenim cum Venetorum ditioni subjacerent, eo etiam tempore nobiles bene in alienigenas erant affecti; & quamquam ex iis nonnulli Latinorum, Græcorum alii, mores imitarentur, iracundi tamen, alacres, magnifici, in libidinesque erant effusi. Neque Cyprenses feminæ adeo de castitate laudantur, sed trita priscarum insulæ feminarum vestigia prosequuntur.

Lingua. Quintuplex obtinuit lingua apud Cypri habitatores; qui enim Turcicæ ſunt ditionis, Turcico etiam idiomate loquuntur; linguam alii Græcam uſurpant, quæ cæteris frequentior, à Græcis ipſis Romaica dicitur; tertia eſt Armenorum; quarta Albanorum; quinta denique Itala lingua numeratur. Cæterum Græci Cretenſem fere dialectum in omnibus æmulantur.

Commercia. Diſtrahunt è Cypro negotiatores, undulata aliûſque generis cymatilia, pulverem Cyprium, volucres etiam indigetes, ſericum, frumenta, cannabim, & goſſypium.

Vires. Tanto ſunt in pretio Nicoſiæ, ac Famaguſtæ munitiones, ut in illis Turcæ ſpem fere omnem confidentiamque reponant; eſt & Cevinenſe fortalitium quibuſlibet hoſtibus inacceſſum, Turcicoque præſidiario milite, nullo non tempore munitiſſimum.

Magiſtratus. Tota hæc Inſula unius Beglerbegi ſeu Baſſæ paret imperio, qui Nicoſiæ commoratur, qui non Inſulæ duntaxat civibus, verum & Turcicis quibuſvis Magiſtratibus, Sanjacis nimirum, Cadis, Soubaſſis, Emin, Turcis quoque militibus, Pedites ſint aut Equites, jus dicit, omniſque Cyprus Turcarum legibus gubernatur.

Religio. Non omnes, qui Cyprum incolunt, Turcæ ſunt, Mahometani, aut forſan Iudæi; at Græci etiam Chriſtiani illic inveniuntur, Græcanæ Eccleſiæ fidei ceremoniiſque addicti; ſunt & aliqui Maronitæ, Neſtoriani, Iacobitæ, quin & Coptitæ, qui captis à Saladino Ieroſolymis è Paleſtina ſeceſſerunt, priſcis ritibus uſque nunc obſervatis. Sedes in Cypro habent & Armeni, Indi, Georgiani, atque Catholici. Porro unaquæque Religio ſuis Antiſtitibus exornatur.

Regimen. Iacobus Ioannis Cypri regis ſpurius, è ſtirpe Regum Luſignianorum, hocce regnum occupavit, Carolamque ſororem, ejuſdem Regis filiam legitimo exortam thalamo, ejus gloria ſpoliavit; Famaguſtam quoque abs Genuenſium extorſit manibus; & ut ſecurius ſuis rebus provideret, uxorem duxit Catharinam, Marci Cornaro Nobilis Veneti filiam, quæ veluti è Senatu genita, illi in matrimonium aſſignata eſt, eximia etiam conſtituta dote. Iacobus ergo diem claudens ſupremum, utero gravidam reliquit Catharinam, quæ filium peperit Iacobum nomine, poſtea Cypri regem inauguratum, ſed biennio tantum ſuperſtitem; unde & Cypri diadema ad Venetam remiſit Catharina Dominationem; ad quam & ipſa transfretavit, ſolennique excepta apparatu, Aſolo Treviſanum à Veneta Republica dono accepit. *Veneti.* Hac itaque ratione Venetorum Senatus Cypri Dominatum adeptus eſt anno 1470, aut 1473.

Turca. Anno autem 1570, die 24 menſis Iunii, numeroſum transmiſit exercitum Selim ad Nicoſiam, illamque octava Septembris expugnavit; poſtea vero Cerineum fortalitium inito cum Præſidiariis pacto obtinuit; Famaguſtam deinde ad menſem uſque Iulium anni 1571 perpetua cinxit obſidione, ducentis armatorum millibus in ſtatione collocatis; qua capta civitate, reliquam illico Inſulam ſuæ ſubjecit ditioni; quæ Turcico etiamnum imperio ſubdita eſt.

TERRA

TERRA SANCTA, Sive PALÆSTINA.

Nomina.



Erra, quæ nunc multis nominibus *Sancta* nominatur, olim terra *Canaan*, sive *Cananæa* vocabatur, accepto scilicet nomine à Canaam filio Cham illius possessore; eadem quoque *Terra Promissa*, seu *Palæstina* dicta, sed degenere à Philisthinorum nomine vocabulo, qui illam quidem possederunt, non tamen totam, at illa solum loca, quæ Tribubus Iuda, Dan & Simeon sorte ceciderunt.

Fines. Expanditur felicissima illa regio, ab Ortu quidem, ad Desertam usque Arabiam, hodie Beriaram; ab Occasu verò ad Mediterraneum pelagus; à Septentrione usque in Phœniciam ad præcelsa Libani, ad Syriamque & Damascum; à Meridie tandem ad Petræam excurrit Arabiam, quæ impræsentiarum Barraab, & Bengancal etiam nuncupatur.

Divisio. Terra hæc olim Israëliticas inter Tribus, utpote illius triumphatores, sorte fuit divisa. Et quidem pars una cis Iordanem; ultra verò eundem fluvium pars altera, sedes sibi proprias acceperunt; fuere autem qui ultra Iordanem incoluerunt, Gad & Ruben, dimidiaque tribus Manasse; cæteræ verò cis amnem Tribus sedes posuere, ut Oracula sacra testantur.

Longitudo. Vt autem certius Terræ Sanctæ longitudo percipiatur; Ad Aquilonem illa incipit sub monte Libano, ubi Dan seu Lachis civitas insidet, quæ postmodum Cæsarea Philippi, à Ptolemæo autem Cæsarea Panias, atque à modernis Velenas dicitur; extenditurque à Meridie usque ad Bersabeam Iudææ, nunc Gybelim, juxta regionem Deserti. Cæterum hæc variis Scripturæ locis longitudo designatur, ubicunque Israëlitas à Dan usque Bersabée congregatos memorat. Porro quæ inter utramque est intercapedo, 240 complectitur milliaria, seu leucas octoginta Gallicas. Quæ demum ultra Iordanem est regio, in longum porrigitur à mari Galilææ usque ad torrentem Arnon 54 milliaribus.

Latitudo. Illius vero, Terræ, inquam, Sanctæ latitudo, ducto à Iordane initio usque ad mediterraneum pelagus, 54 colligit milliaria, aut si lubet, leucas octodecim; sin emetiaris ab Sirbonitide lacu, qui nunc Stragnone, olim vero torrens Ægypti Gazæ vicinus à Meridie, perque vastam Deserti solitudinem usque ad montem Seir, & mare Mortuum perrexeris, 103 Italicis milliaribus constat.

Provinciæ. Regionis hujusce provinciæ sunt, Iudæa, Galilæa, Samaria, Idumæa, Ituræa, & Trachonitis, quibus nonnullæ etiam provinciolæ includuntur.

Montes. Montes autem celebriores sunt, principiò ipse qui à Brocardo mons Christi appellatur, tribus à Sephet, seu Saphet milliaribus, nec procul à Galilææ pelago. Is quippe frequentissimo Christi adscensu nobilissimus est; nec perperam, in eo enim panibus quinque totidemque piscibus, tot quoque hominum millia Christus satiavit; ex eo profugit, ne rex inauguraretur; in hoc, perfectissimam orandi rationem discipulos edocuit; hic & Centurio filii paralytici sanitatem exoravit; ibi denique leprosum solo manus contactu sanavit. Ex hujusce montis vertice Galilæum pelagus, Ituræa, Trachonitis ad montem usque Libanum prospiciuntur.

Thabor. Sedet quoque Thabor mons insignis in mediis Galilææ campestribus, mira sublimis rotunditate; nam ejus altitudo per leucam assurgit & quadrantem; ascensu prorsus difficilis est; vertex autem ipse campestris, plus uno milliari in planitiem panditur. Mons hic cœlo gaudet temperatissimo, vinetis ubique & olivetis frugiferisque arboribus exornatur, vernat & floribus, ac perpetuo rore perfusus numerosis volucrum ferarumque turmis pabulum subministrat. Tandem ipsius Servatoris Transfiguratione celeberrimus est.

Ad hujus radices montis, qua spectat ad meridiem, sacer ille conspicitur locus, in quo Melchisedech, obviam profectus Abrahæ à quatuor regum cæde reduci, Panem illi Vinumque ministravit.

Carmelus. Cæterum Thabor, de quo nunc mentionem injecimus, Carmeli, seu Carmeni montis duntaxat portio est, qui usque ad pelagus excurrit, editissimusque est; vinetis, olivetisque olim & arboribus floruit feracissimis, nunc autem senticetum est, nullis humanæ vitæ usibus idoneum.


Horae itineris. 24. stadiorum. 1000 Passuum.
Mare Mediterraneum
Mare Ægypticum
Mare Syriacum
Mare Rubrum
Mare Galileæ
Septentrio
Meridies
Oriens
Occidens
Ægyptus
Terra Gosen
Philistæorum Terra
Simeon
Iuda
Dan
Beniamin
Ephraim
Manasse
Sabulon
Aser
Neptalim
Gad
Ruben
Moab
Ammonitæ
Regnum Basan
Traconitis
Regnum Zoba
Celesyria
Betania
Terra Syro Phœniciæ
Arabia Petræa
Desertum Zur
Desertum Sin
Desertum Pharan
Campus Elaths
Evila Desertum
Amalechitæ
Terra Madian
Terra Tob
Terra Galaad
Damascus
Tripoli
Ierusalem
TERRA SANCTA
quae in Sacris
Terra Promissionis olim
PALESTINA
Amstelodami
Ex officina Guiljelmi Blaeuw 1629

4.

Montes quoque plurimi ultra Iordanem conspiciuntur, Seir nempe, Hermon, Libanus atque Galaad. Hi omnes unicum montem efficiunt, etsi pro varietate locorum varia quoque nomina sortiantur. Horum omnium caput est Galaad, quem Hippos Ptolemæus indigetat; is quippe cæteris altitudine præcellit. Mons Seir, Hebræis Schir, aliàs Sanir, Terræ Hus ad Orientem assidet, Hermonque monti ab Aquilone jungitur; Galaad à Meridie; abest autem à Capharnaum & Chorozaim, ex una quidem parte sex, ex alia verò quatuor milliaribus. Invenitur & alius mons cognominis, non procul à Pharan solitudine, in quo Chodolahomor, cum aliis regibus, Horræos expugnavit habitatores Seir, montis, inquam, illius quem & Esau ejusque posteri coluerunt. Porrò mons Seir, quem prius recensuimus, sub ditione regis Basan olim ponebatur.

[G]alaad. *[Se]ir.*

Mons Hermon monti etiam Seir annexus est, universamque ambit Trachonitidem, & excurrens usque Damascum, ipsi Libano aggregatur Velenascum inter & Damascum; ultra Iordanem eminet è regione Velenasci, quæ illi ad Orientem, monti vero Seir ad Meridiem objacet. Est & Hermon modicus binis tantum à Nazareth milliaribus, cujus ad Aquilonem sedet Naim Galilææ civitas, ubi unigenitum viduæ filium, fatis jam functum, Christus hominum Servator ad lucis usuram revocavit.

[He]rmon.

Montes Gelboe à Bethsan incipiunt, longaque duorum milliarium serie sua juga producunt usque ad Iezraël, nunc Zarazin, quæ olim fuit regum sede nobilis, at hodie in tenuem redacta viculum ad radices Gelboe sedet à latere Occidentali, ubi & Nabothi olim visebatur.

In valle Hermon & Gelboe montibus interposita plurimis, teste Scriptura, præliis dimicatum est; ibi Gedeon Madianitas expugnavit; Saul quoque contra Philisthæos, Achab contra Syros, ac nuper Tartari adversus Sarracenos acerrime decertarunt.

[Va]llis.

Proficiscentibus ex Hierusalem in Iericho mons sese offert Quadragesimalis, sesqui à Galgala milliari; is plane jejunio Christi Servatoris, quod ad quadraginta dies noctesque totidem protelavit, ab ejusdemque tentatione notissimus est. Mons iste celsus est & præceps, illique adjacet fons iste, cujus aquas prius amaras Propheta Elisæus immisso ligno dulces effecit.

Cæteros minoris extensionis montes quod attinet, propriis regionum locis illos inseremus; id quippe ad seriem nostræ narrationis maximi omnino momenti est.

Solus Iordanis ex cunctis hujus plagæ fluminibus est insignis, cui fontem Panium pro scaturigine Iosephus assignat, aut Phialæ lacum, ex quo emergens, per subterraneos cuniculos in hunc fontem influit; alii vero binos fontes constituunt, Ior & Dan nominibus, qui non procul à Velenas seu Cæsarea Philippi scaturiunt, ad radicesque Libani commiscentur, ex quibus unicus ipse Iordanis fluvius coalescit. Cæterum amnis hic è Velenas oris progrediens, multis peractis ambagibus in Galilæum pelagus, Capharnaum inter & Chorozaim immergitur; unde & postmodum emergens pergit ad Meridiem, multisque auctus torrentibus, quos inter, Iaboc & ipse torrens ab Ortu affluit; Carith autem ab Occasu, in Mare Mortuum se suumque nomen sepelit. Attamen, si quæ Mahometanis fides, testantur ipsi, Iordanis aquas undis Mortui pelagi nullatenus immisceri, sed levissimo eas cursu percurrere, moxque novo velut alveo reviviscens, aliquo adhuc procurrere terrarum spatio, tandemque occultis sub terra cuniculis influere, Maratoque ad fretum Mequitanum evolvi.

[Iorda]n[is] fl.

Exiguus quidem est Torrens Cison, sed rebus apud eum gestis nobilis; ex undis pluviæ à Thabor & Hermon defluentibus coalescit, alluitque ab Ortu radices Thabor, ubi Barac strenuus Sisaram debellavit. Variis dividitur brachiis, quorum unum in Orientem porrigitur, Galilæoque pelago immittitur; alterum verò, quod ad Occidentem vergit, multas è monte Ephraim vicinisque Samariæ locis, ac Esdrelon campestribus undas excipit, quatuorque ab Acrá milliaribus procurrens, ubi Elias sacerdotes Baal è medio sustulit, in mediterraneum pelagus ingreditur, tribus à prædicta civitate Acra milliaribus.

Cison Torrens.

Palæstina duos habet Lacus celeberrimos, maris etiam nomine insignitos, Genezareth nimirum seu mare Galilææ; & lacum Asphaltiten seu Mare Mortuum.

Lacus.

Lacus Genezareth à vicina sibi regione nomen mutuatur; vocatur quoque Tiberiadis ab urbe illius margini insidente; imo & Cinereth pelagus atque Galilææ. Hodie verò Tabaria nominatur, quod itidem nomen Tiberiadi inditum est civitati. Porro lacus hic Tiberiade, Capharnaum, Bethsaida, Bethsan, Gadara, Tarichæa, Chorozaim, aliis civitatibus in ripa sitis exornatur. Illius aquæ limpidissimæ sunt, potuque salubres & gratæ; quod cæteris lacubus insolitum est. Variis etiam abundat piscibus, specie saporeque non vulgaribus.

Genezareth.

Lacus Asphaltites ab innato sibi asphalto seu bitumine nomen accepit; Mare quoque Mortuum dicitur, eò quod ne unus quidem piscis in illo possit vivere, imo in eum projectus statim emoriatur; nonnunquam etiam

Asphaltites.

M[...]

Mare salis, Hebraice Haijammelech, quod aquis salsissimis refertum sit, ac tandem Mare deserti, quod propius ad Arabiæ accedat solitudinem. Iacet ipse lacus in valle, quæ præclaris olim civitatibus Sodoma, Gomorrha, Adama & Seboim gloriabatur; sed eæ postmodum igne cœlitus emisso in vindictam scelerum in iis patratorum consumptæ sunt.

Extensio. Hujusce lacus longitudo ab Aquilone ad Meridiem viginti supra centum censetur milliaribus; latitudo verò ab Oriente in Occidentem, septuaginta. Quæcunque gravia in hunc lacum projeceris, mox in sublime repellit; neque ullus in illius fundo consistat ullatenus; quod quidem Vespasianus Imperator expertus est, homines enim natandi imperitos, alligatis etiam manibus in eum mergi imperavit, sed perperam. Producit nonnullibi gazas bituminis, quod nonnisi menstruo feminarum sanguine potest dissolvi, aut emisso ab eisdem urinæ excremento. Cæterum bitumen illud non inutile est, imo ad picandas naves aptissimum, ulceraque & plagas impense sanat. Arbores juxta hunc lacum consitæ, non oculis quidem ingratæ sunt, at nullum edunt fructum gustui accommodatum; præcellunt certe poma si exterius tantum aspexeris, si autem contrectaveris, fatiscunt, in cineremque & favillam prorsus abeunt. Stat aqua hujus lacus velut immobilis, picisque in modum tenax densum nonnullo tempore fumum exhalat, Inferni caminum diceres; adeo ut vallis illa, quæ Illustris olim dicebatur ob singularem amœnitatem, inpræsentiarum male audiat, infamis omnino, nulliusque rei circumquaque ferax, nec ullam gignens herbam quinorum spatio milliarium, donec ad campestria Iericho pertigeris, cujus viridaria Elisæi fons irrorat. Augetur quandoque lacus Asphaltites decidentibus è Libano aquis nivalibus, aut ubi in Galilæa pluerit, aut in monte Galaad, vel in regione Moab, Ammon & Seir; has enim omnes pluvias excipiens Iordanis crescit, easque tumidior factus in Mare Mortuum ducit. Demum lacus hic tetram exhalat omni tempore Mephitim, instarque sulphuris pessime olet; & si forte Iordanis magna auctus aquarum congerie nonnullos pisces eò perduxerit, ipsi nulla interjecta mora fatiscunt.

Qualitas. Summa est aëris hac in regione temperies, adeò ut nec calore uratur, nec vexetur unquam frigore; lacte & melle, prout sacra refert Scriptura, omni ex parte perfunditur, quod maximam indigetat rerum omnium ubertatem; ager quippe illius feracissimus est, maximosque, excultus modice, proventus facit; unico enim boum jugo illius arvum subigitur, neque marga aut fimo indiget, ut sit fœcundius, est quippe suopte genio pinguissimum, & frumento ferendo maxime idoneum. Vernat & rosis sponte nascentibus, floribusque aliis & plantis suaveolentibus.

Fruges. Frumentum vero, quod hac in regione nascitur, tanta comedentis palato suavitate arridet, ut illuc peregrinationem obeuntes extollant sæpissime præ omnibus Ierosolymitici panis bonitatem. Abundat & Terra Sancta cujusvis generis leguminibus; vix tamen poma, pyra & fructus hujusmodi in ea reperiuntur, verum hi asportantur Damasco, quin ob nimium caloris æstum nec diu possunt asservari. Solatur horum fructuum penuriam ubertas aliorum toto etiam anno ex arboribus dependentium absque corruptione, ita ut rem gratissimam spectent habitatores, in eadem scilicet arbore, iisdemque ramis fructus anni jam exacti, ac flores novi & jam adolescentis, quibus cibos, pisces, & alia quævis edulia condiunt. Habent & mala citrea, quæ saccharo imbuunt, ex iisque liquida faciunt bellaria; nec tacenda sunt stupenda illa Paradisi poma, quæ apud illos enascuntur, crescuntque in modum racemi, at tantæ evadunt magnitudinis, ut corbem modicum sua mole adæquent, adeò ut centena sæpe poma videas ovi magnitudine, uno veluti in racemo, sese invicem contingentia, quæ & cute subflava spissaque operiuntur, verum ubi eam detraxeris, suavissimum illico ac sapidissimum perceperis fructum. Arbor, quæ non vulgare hoc pomum gignit, biennio solum perdurat, quo exacto marcescit, novos nihilominus è radice surculos proferens. Porro illius folia ad hominis pertingunt magnitudinem, tantæque sunt latitudinis, ut bina totum hominem possint amicire. Sane non alia videtur hæc arbor à Mauza seu Musæa, licet non adeò perspicue loquantur authores.

Vineæ. Terra Sancta plurimis est vineis consita, quibus multo magis abundaret, ni Mahometani illius essent possessores; interdictus quippe est illis vini usus lege Mahometis; quapropter illius asseclæ variis è partibus vites avulserunt. Quod in ea regione vinum cæteris præcellit, apud Bethlehemum nascitur, in valle Raphaim, & Nebeleschol, è qua missi ad contemplandam terram exploratores, præclaros adeo racemos extulerunt. Triplici fere tempestate ex eadem vinea, eodemque anno racemi colliguntur.

Maxima quoque hac in regione est ficuum copia, ut & malorum granatorum, aurantiorum, melonum, cucurbitarum, cucumerum, limonum, olivarum, dactylorum, aliorumque id genus fructuum.

Arbusta etiam hic videas, gossypium magna vi proferentia; ut & cannas saccharo fœcundas. Præclara triumphansque regio palmas ubique prætendit, therebinthos quoque, cedros & cupressos, arboresque alias mero balsamo diffluentes; manna & mel ibi passim reperitur; montes amœnitate incredibili perpetuo virescunt, prataque visuntur lætissima. Multis tamen in locis nullos habet habitatores, aut qui ejus culturæ navent operam.

Numerosos alit Palæstina camelorum greges, ut & dromedariorum, asinorum, mulorum, equorum, ursorum, leonum, Pardoleonum, aprorum, cervorum, damarum, caprearum, leporum, cuniculorum, perdicum, turdorum, coturnicum, phasianorum, columbarum, ac denique turturum.

Incolæ. Præter Iudæos Terræ Sanctæ habitatores, qui exiguo sunt numero, sunt & Turcæ, quorum mores notissimi; nonnulli quoque Christiani reperiuntur; cæteri vero aut Mauri sunt ruri agentes, aut Arabes sub tentoriis. Illi quidem agriculturæ student aut negotiationi; hi vero, scilicet Arabes, more vivunt nobilium, soli duntaxat militiæ addicti.

Opes. Summus Turcarum Imperator ingens omnino tributum accipit à Principibus in quosdam hujus regionis tractus hereditario jure succedentibus; etenim ab Emiro Fracardino trecenta illi & quadraginta librarum millia quotannis persolvuntur; abs Bassa vero Gazeensi sexaginta millia; atque ab Emiro Tharabæo quatuor supra viginti millia. Mauri præterea, qui terras hujus regionis occupant, Turcico subditas imperio, vectigal quoque exsolvunt reale potius, quam personale. Quin & Gubernatores præter commune tributum, ingens aliud à Christianis extorquent, duos nempe aureos nummos ab unoquoque peregrinorum illuc adventantium, pro Ierusalem ingressu; præterquam quod nullus Sepulchrum ingreditur Christi Servatoris, nisi persolutis itidem aureis novem nummis. Plurima etiam aliis in locis constituta vectigalia, brevitati consulens impræsentiarum omitto. Cæterum si calumnias perpenderimus Christianis Turcarum malignitate affictas, ut sic eorum pecunias exhauriant; hac demum viâ plura Turcas emolumenta percipere, quam quâcunque aliâ, facile comperiemus.

Adepto jam Palæstinæ Dominatu, agnovit Sultanus Selimus plurimas Arabum familias, nonnullis Terræ Sanctæ provinciis jure à majoribus accepto præsidere, quæ idcirco Soldanis Ægypti tributum solverent, cumque non posset nisi ægre admodum eas labefactare, funditusque evertere, neve molestas atque infensas sibi nullo non tempore paterentur, quam tenebant possessionem non abstuliti, sed denuo permisit, extorto hac de possessione tributo; quod in maximum Ottomanis cessit emolumentum; perpendentes quippe Arabum Principes, quanti regionis hujusce protectio sua interesset, tanto lubentius populos eo adegerunt, ut eamdem cum illis obedientiam & fidem amplecterentur, itidemque Principes sibi successores obstrinxerunt; quod & facilius ipsis Turcæ Ministris aut Gubernatoribus præstitere. Sed ad provincias Terræ Sanctæ seorsim exhibendas sermonem convertamus.

IVDÆA.

Fines. IVdæa, præcipua Terræ Sanctæ portio, ab Ortu Iordane clauditur, ac Mari Mortuo; ab Occasu mediterraneum habet pelagus; ab Austro montes Seir; à Septentrione demum montes Ephraim, atque Samariam. Excurrit illius longitudo à Iordane ad Iaffam, & à Ptolemaïde juxta maris littus sese porrigit.

Nomina. Primaria Iudææ civitas est Ierusalem, Hebraïce Ierusalaim, Græci autem Hierosolymam vocaverunt, hoc est, sacram Solymam, à Solymitanis scilicet populis illius habitatoribus; quin & à Ptolemæo Capitolia dicitur. Hodierni autem incolæ, Coz, Godz, aut Chutz vocitant; Turcæ vero Cudzimubarek, id est, locum religiosissimum, exundantisque à Deo benedictionis, & Elkoudech, id est, Terram Sanctam; ipsi quoque Arabes Beyt Almocadas, id est, domicilium Sanctorum. Postremùm etiam Turcæ Hirslin, id est, civitatem Sanctam & Sacram nominant.

Situs. Civitas hæc multos inter montes posita est, priscæque olim civitatis partem obtinet, plurimaque hodie suo ambitu complectitur loca, quæ pridem mœnibus non erant inclusa, aliis, quæ intus erant, vice commutata extrorsum positis; mons etenim Sion ipso urbis ambitu continebatur; at nunc quædam illius portio extra muros projecta est; ipseque mons Calvariæ, extra urbem aliàs positus, nunc in eadem omnino constitutus est, murisque validissimis obseptus.

Termini. Habet ab Ortu Ierosolyma Vallem Iosaphat, quæ muros illius cingit in longitudinem; à Meridie Offensionis Montem, Vallemque Gehennon, & partem Montis Sion; ab Occasu verò Gion montem ex parte, & Vallem seu Piscinam Bersabeæ; ab Aquilone tandem Acræ montis portionem.

Magnitudo. Longitudo hujusce civitatis à Porta S. Stephani, quæ ad Orientem est, ad nova usque mœnia, qua protenduntur ad Occasum, mille ducentorum circiter passuum colligit, in

ambitu

ambitu autem integrum milliare; nullis vero mœnibus instructa est.

Portæ. Portis duodecim antiquitus exornabatur, quarum prima à figlina nomen acceperat; 2 Aquaria dicebatur; 3 Equorum; 4 Gregis; 5 Benjamin; 6 Piscium; 7 Vetusta; 8 Ephraim; 9 Anguli; 10 Vallis; 11 Colluviei; 12 Fontis: hodie vero sex præcipuæ numerantur, laminis ferreis, seu vectibus solidissimis undiquaque munitæ; Aurea nempe; Gregis sive Sancti Stephani; Ephraim sive Damasci; Iaffæ seu Hebron; Sion; ac denique Colluviei.

Templum Salomonis. Templum Salomonis omnibus, quæ in Hierusalem sunt, ædificiis præcellit; vocatur autem à Turcarum Gente Cubi-Sahara; eminet in monte Moria, qui maximo circumquaque expanditur ambitu, multaque præclara, tum nova, tum vetera continet: juxta portam auream templum illud positum est, quæ majori objacet illius areæ, quæque ducentis sexaginta passibus patet in longitudinem; in latitudinem vero centum quinquaginta. Ab uno illius angulo ad meridiem sedet Præsentationis Templum, quod etiam hodie venustum est, atque augustum, tribusque contignationibus plumbo opertis conspicuum; præfert quoque in summitate navis amplioris duo Domata, unum ad Meridiem, ad Aquilonem alterum. Hic, hic, inquam, Simeon ille Sanctissimus Servatorem in ulnis gestans exultabundus cecinit solenne illud Canticum *Nunc dimittis*. Impræsentiarum autem in Mosquéam Turcicam redactum est. Conspicitur & asceterium ad Meridiem, tecto etiam plumbeo olim exornatum, quod hodie urbis murus & munimentum est. Porro ad Occasum porta Speciosa est, juxta quam Claudo mendicanti, Petrus stupendo miraculo gressum solidavit; nec procul inde visuntur fornices præclaræ admodum, artificioque non vulgari conspicuæ; ibidemque in parte Aquilonari Prætorium Pilati situm est. In centro propemodum amplissimæ hujus areæ assurgit Templum illud Salomonicum, figura octogonali, seu octo faciebus eximium, & à pavimento ad denûm pedum altitudinem pario marmore incrustatum, superius vero opere tessellato exstructum. Templi illius ambitus ducentorum est & quinquaginta passuum: quatuor exornatur partibus è regione invicem positis, totidemque januis. Habet facies quælibet fenestras quatuor, prominetque sursum appendicula, ad tecti elegantiam, quod totum plumbo coopertum est, ut & Doma medio è tecto assurgens fenestris quoque sedecim conspicuum. Totum fere templum niveo candore nitet, si musivi operis tantillum, veteris scilicet templi reliquias, excipias. Iacet in Templi medio lapis triangularis passibus decem longus, bina ex parte rupi adhærens, specumque hoc pacto subter efformans. Isto Iacob decubuisse lapide, Turcarum opinio est, nec non & hocce loco Scalam vidisse, quæ terræ innixa cœlum pertingeret, ascendentesque per eam Angelos, atque descendentes. Templum hoc intus duplici columnarum marmorearum serie fulcitur; neque ulla in eo cathedra, scamnumve conspiciuntur; accessus quoque Templi illius Christianis interdictus est; attamen facilis & absque periculo est illius è Pilati palatio conspectus, in eo jamque residet urbis Gubernator.

S. Helenæ Xenodochium. Inde progressus excitatum ab Helena muliere sanctissima Xenodochium invises, quod & fecit in gratiam Christianorum illuc peregrinationis causa adventantium; verum hodie excipiendis peregre proficiscentibus in Ierusalem Mahometanis prorsus addictum est. Fit dein obviam carcer ille cui Petrus jussu Herodis mancipatus est, qui quidem adhuc fere integer perseverat, mancipandis etiamnum reis inserviens; nec inde Palatium Equitum S. Sepulchri longe dissitum est.

Ecclesia S. Sepulchri. Porro Ecclesiam Sancti Sepulchri quod attinet, principiò quidem angustissimus est illius introitus, adeoque depressus, ut ingredienti collum inflectere necesse sit; progrediendo deinde subter fornicem triginta passus protensam, ad aream inhærentem Ecclesiæ pervenitur. Circa autem hujus areæ medium Crux conspicitur eidem insculpta loco, quo Christus Servator Crucem humeris gestans, sub tanto onere pæne exanimis cecidit. Cæterum locus hic impræsentiarum crate ferrea est munitus. At Ecclesiæ jam memoratæ vestibulum, quod spectat ad meridiem, quadrato lapide exædificatum est, multis etiam nitet hinc inde columnis marmoreis, fasciis, aliisque pulcherrimis operibus mira prorsus arte elaboratis.

Templi janua nullo non tempore clausa est, Sanjacique sigillo munita, atque iis duntaxat aperitur, qui *Maidin* (sic tributum appellant) capitatim solverint. Ecclesiam ingredienti se offert in limine lapis Vnctionis, hoc nomine insignitus, quod in eo Christus Servator unctus perhibeatur; converso deinde ad Aquilonem, à læva conspicitur sacellum S. Sepulchri; à dextris autem Templum Golgotha; iis porro transmissis ad Sacellum Apparitionis Virginis devenitur, quod vetustis quidem, at sericeis aulæis exornatum est, eoque utuntur Sacello Franciscani vice Chori & Ecclesiæ; ibique tria versus Orientem spectantur altaria, quorum medium nomine Virginis inauguratum, altare princeps appellatur; quod vero in dextra positum, Crucis; quod in læva, Flagellationis, nomina sortiun-

ſortiuntur; etenim in hoc poſtremo columnæ portio viſitur, juxta quam Chriſtus flagellis fuit immaniſſime cæſus, quæ ferreis cancellis circumſepta eſt, ut & portio ejuſdem columnæ altera, quæ Romæ aſſervatur in ſacello Eccleſiæ S. Praxedis. Cætera columnæ fragmenta, à Mahometanis disrupta, partim Paulo IV, ſummo Pontifici tradita, partim ad Ferdinandum Imperatorem, Philippum Hiſpaniarum regem, ad Venetamque ac Raguſianam Rempublicam transmiſſa fuerunt. Illa porrò columna rubicundo ex marmore, albicantibus reſperſo maculis efformata eſt.

Chriſti carcer. Viſitur ſpecus à parte ſiniſtra chori Golgothenſis Eccleſiæ, quæ à Chriſtianis Orientalibus, carcer Chriſti dicitur; credunt enim illo incluſum carcere Servatorem, cum ad Golgotha montem pergeret Crucem bajulans, donec foramen excavaretur in rupe, quò Crucis truncus immitteretur.

Crucis Sacellum. Deinde ſuo ordine ſequitur ſacellum, in quo titulus Crucis olim fuit depoſitus, impræſentiarum autem Romæ in baſilica Cruci dicata honorificentiſſime cuſtoditur; eadem quoque ſerie occurrit Sacellum Armenorum, eadem in regione, qua milites ſuper Chriſti tunicam ſortem poſuerunt.

Specus in qua tres Cruces inventæ. Paulò ulterius, ſacellum aliud, ſanctiſſimæ ſcilicet Helenæ ſitum eſt, ad quod triginta deſcenditur gradibus; indeque undecim etiam gradibus in rupe inciſis ad ſpecum illam Calvariæ pertranſitur, ubi Helena, Conſtantini mater, Crucem Servatoris, clavos, ſpineamque Coronam, cum latronum quoque crucibus reperit. Specus hæc 23 pedibus patet in longitudinem, 16 in latitudinem, formaque pæne triangulari conſtat. Ingens etiam ille rupis hiatus viſitur, quæ, dum Deus naturæ pateretur, concuſſis horribiliter omnibus mundi elementis, ipſa quoque velut accepto vulnere ea ſaltem ex parte adaperta eſt.

Columna improperii. Inde poſtmodum ad ſuperiorem aſcenditur Eccleſiam, ubi à ſiniſtris ſacellum ſtat Abiſſinorum, cujus inſigne ſummumque ornamentum eſt columna illa, ad quam milites purpureum Chriſto veſtimentum, dextræ arundinem, ſpineamque capiti impoſuere coronam, deturpata etiam ſputis facie, colaphiſque ad livorem prorſus & ignominiam percuſſa, unde & columna improperii Latine nominatur, hoc eſt, illuſionis & injuriæ; duos illa pedes attingit altitudine, candida eſt, nigris hinc inde radiantibus maculis diſſeminata; illaque ſub altari conſpicitur, accenſa diu noctuque lampade.

Mons Calvariæ. Poſtea reflectendo ad Altaris dexteram, octoque circiter ab illo paſſibus progrediendo, novemdecim occurrunt montis Calvariæ gradus, tres quidem inferiores lignei, cæteri autem lapidei; hos omnes, nudis inſcendunt pedibus Chriſtiani, aut poſitis ut minimum calceamentis. Adeptus jam montis ſummitatem, locum illum aſpicies, in quo Chriſtus duos inter ſceleratos Cruci confixus eſt, obverſa ad Occidentem facie. Viſitur quoque in medio ſacerrimum illud foramen, in quod implantata Crux fuit, rotundæ figuræ, pedis dimidii profunditate, argenteaque obductum lamina cum Græca inſcriptione, quæ hujuſmodi ſenſum præfert: *Hic Deus Rex noſter ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Bractea quoque argentea circa illius oram imminet, ubi varia Paſſionis Chriſti myſteria, ipſius veluti pietatis ſcalpro delineata proponuntur. Ex ſacratiſſimi hujuſce loci teſtudine dependent triginta duæ lampades, per diem noctemque accenſæ. Stant ab utraque foraminis parte duæ cruces marmoreæ, utriuſque latronis crucibus ſubſtitutæ: crucis locus latronis in dextera patibulati ſpectat ad Aquilonem, quatuor à foramine Crucis Chriſti pedibus, duabuſque palmis; alterius vero crucis locus eſt ad Meridiem, ſexque circiter pedibus diſtat ob ſtupendam illam Chriſto moriente factam rupis aperturam. Iſtud non accedunt altare Latini Sacerdotes Sacris operaturi, illis etenim nequaquam licitum eſt; in Georgianorum quippe illud eſt poteſtate; at fas eſt cuilibet ante illud exorare.

Huic ſacello aſſidet aliud verſus Meridiem, in quo Servator in Cruce extenſus, claviſque fuit atrociſſime confixus. Illud vero triginta tribus accenſis omni tempore lampadibus exornatur, maxima, jugique in curam luminis Franciſcanorum ſedulitate; qui eò loci bina quoque altaria extruxerunt, ad Orientem ſcilicet & ad Aquilonem, in eiſque Sacra peragunt nullo non die. Teſſellato varii coloris lapide nitet hujus ædiculæ pavimentum, nitidoque linteo jugiter operitur, nec quiſquam incedit niſi aut nudis pedibus, aut genibus incurvatis, in ſummam ſcilicet pretioſiſſimi Chriſti Sanguinis ibidem copioſiſſime effuſi venerationem.

Protoplaſten Adamum in Golgotha ſeu Calvariæ monte olim fuiſſe ſepultum nonnulli exiſtimarunt, eodem nimirum loco, quo Chriſtus crucifixus eſt. Ipſi etiam Coptitæ accenſam perpetuo ſervant lampadem, litantes velut Adami memoriæ in ſacello ſub foramine Crucis poſito, circa maximum ipſius rupis hiatum; credunt nempe Calvariam protoparentis Adami eodem in loco fuiſſe repertam.

Lapis Vnctionis. Deſcendenti è Calvariæ monte, obeundum tibi eſt iter ad Petram Vnctionis, verſus Occidentem; circumfertur quippe Ioſe-

phum

phum ab Arimathia atque Nicodemum, in ea Christum jam mortuum aromatibus perfudisse priusquam linteis involveretur.

Emensis deinde triginta ab Vnctionis Lapide passibus ad Occidentale progrediendo latus, Sanctissimum Christi Sepulchrum reperitur; positis igitur in janua calceamentis, prævia S. Sepulchri Capella subintratur, quæ proxime assidet, tum humiliter deosculato pavimenti illius operimento, specum ingrederis omni reverentia dignissimam; antequam autem illius ideam tibi præ oculis afferamus, ipsam convenienti ordine Ecclesiam tibi quoque exhibere operæ pretium duximus.

Ecclesia S. Sepulchri. Vna hæc S. Sepulchri Ecclesia ob formæ varietatem duplex quadantenus esse apparet, utpote diversis secundum varias partes extructa temporibus; cum enim figuræ sit orbicularis, Ionicique operis, Sacra autem ædes Golgotha rustici, suspicari licet, Christianos Palæstinæ reges illam, prout etiamnum conspicitur, olim exædificasse; posterior autem appendix, huic, quam Sanctissima extruxerat Helena, novissime fuit adjecta.

Porro amplissima illa S. Sepulchri Basilica tota intus rotunda est, ingentibus per circuitum columnis innixa primam ad usque porticum, cui incumbunt etiam aliæ pari numero columnæ marmoreæ, at nequaquam ejusdem magnitudinis. Complectitur in diametro ipsius templi circulus passus sexaginta & duodecim, unde ipsa etiam hujus basilicæ amplitudo quanta sit, facile admodum conjici potest, diametro scilicet per circulum multiplicata. Pars infima ad mediam usque contignationem tabulis erat marmoreis incrustata, quas inde Mahometani sustulerunt, ut templum ex iis Salomonicum exornarent: Suprema autem pars musivo est opere circumvestita, ubi etiamnum Constantini Helenæque illius matris effigies pæne intemeratæ conspiciuntur: ex cedro concamerata est magnifici hujus templi testudo, relicto circa medium orbiculari foramine, æqualis cum S. Sepulchri sacello extensionis; illo quippe sacellum lucem accipit. *Sacellum S. Sepulchri.* Sacellum itaque, in quo positum est Christi Sepulchrum, in Ecclesiæ meditullio sub hoc foramine conspicuum, formam habet oblongam atque pentagonam, tabulis quoque marmoreis exterius vestitum, decemque columnis hexagonis splendescit. Tota demum ædificii moles duas communiter dividitur in partes, quarum prior, quæ Orientem aspicit, Anticapella nominatur, seu prævia ad S. Sepulchrum capella; quæ verò ad Occidentem est, specus propriissime dicitur, sive sepulchrum Christi Servatoris. Locus uterque discooperto contectus est pavimento, maxima è basilica ad pedes quatuordecim assurgente, cui ad majorem elegantiam doma superstructum est, duodecim fultum columnulis ex lapide porphyrite, opere Corinthio dispositis. In pavimento autem discooperto, ne forte pluvia per foramen superius decidens, aut inibi consistens, Sanctum deformaret sepulchrum, effecti sunt canaliculi, queis inferius imber efflueret.

Intus pario nitet marmore S. Sepulchri specus aut sacellum, quo quidem saxum incrustatur; at testudo adeo nigricans est ex accensis perpetuò quinquaginta lampadibus, ut qua constet ex materia discerni nullatenus possit. Protenditur octo pedes in longitudinem, septem verò in latitudinem, totidemque in altitudinem consurgit, maximamque illius partem obtinet marmoreum altare, complectens illum Sepulchri locum, in quo positus fuit Servator capite ad Occidentem obverso; qui ingredienti occurrit ad dexteram, in parte Capellæ Aquilonari, quatuor habens pedes in latitudine, tres in altitudine, parisque cum sacello longitudinis.

Hujusce sacelli janua Orienti objacet, totaque Pario marmore exculta, tres alta pedes, septem palmos lata, ita ut hanc ingredientem Ianuam incurvari necesse sit. Ex his facile quis conjiciat, cujus sit formæ Sepulchrum, non enim quadratæ tumbæ, superius excavatæ, itidemque apertæ, quemadmodum vulgò pingitur, figuram præfert; sed in parte specus Aquilonari excisum est, apertumque à Meridie, quà etiam pretiosissimum Christi corpus intromissum est; ita ut è minori specus janua locus, in quo positus fuerat Servator, facile conspiceretur, atque etiam lintea fasciæque sepulchrales; at si nostrorum more sepulchrorum fuisset excisum, nequaquam è janua prospici potuisset.

Angeli lapis. E regione sacelli hujus visitur super ipso præviæ Capellæ pavimento saxum illud, cui insedit Angelus Christo jam à mortuis excitato; quod dimidium in quadro pedem colligit. Fulciebat saxum hoc, ingens aliud in quo sepulchrum erat excisum, hodieque in Caiphæ domo, quæ est S. Salvatoris basilica, in principe asservatur altari, sexque est pedes longum, tres latum, quatuor habens palmos in crassitie; ista verò Ecclesia Armenorum est.

Capella prævia. Quod autem ad Capellam attinet, quæ atrii vice Sancto subservit sepulchro, Anticapellaque vulgo nominatur, quadratam illa exterius figuram habet, rotundam interius, stratumque marmore pavimentum, quo & tota circumvestitur, duabus in utroque latere fenestris instructa, queis luce illustratur. Quæ ad Orientem est illius janua, aliquanto altior latiorque est Ianua S. Sepulchri.

Ecclesia Golgothæ. Ecclesia vero Golgothensis ad Ortum posita, majori Basilicæ assidet, & veluti sub uno eodemque tecto constituta; unicam cum illa componit Ecclesiam; quadrato hæc elegantique ex lapide extructa est, pluribus quoque quibus innititur columnis, exornatur. Illius medium chorus obtinet; ipsaque ab Oriente ad Occidentem centum cubitos protenditur in longitudinem, in latitudinem vero ab Aquilone ad Meridiem sexaginta sex; amplectiturque ista latitudo eam Ecclesiæ partem, qui utrumque ambit Chori latus, habetque à Septentrione sacellum carceris Christi, à Meridie vero nonnulla Regum Hierusalem mausolæa.

Sepulchra Regum Hierusalem. Iuxta D. Ioannis capellam, subter eadem rupe Golgothensi è regione Lapidis Vnctionis, conspicuus est locus septus mœnibus, viginti circiter pedes in quadro colligens, introitu præangusto; eo loci, si intus perrexeris, duo reperies mausolæa, quatuor marmoreis innixa columnis, quæ formæ sunt triangularis; & superiori ex parte in acumen desinunt in modum sepulchralium loculorum. Primum quidem fuisse Godefridi Bullionii testatur vetus inscriptio, fugientibus Lombardicis characteribus, quos nos Gothicos appellamus, exarata, hoc tenore:

Hic jacet inclytus Godefridus de Boüillon, qui totam istam terram acquisivit cultui Christiano, cujus anima requiescat in pace.

Alterum à læva versus Septentrionem est Balduini Secundi, adjectis hisce Leoninis versibus impolitis:

Rex Balduinus Iudas alter Machabæus,
Spes patriæ, vigor Ecclesiæ, virtus utriusque;
Quem formidabant, cui dona tributa ferebant
Cedar, & Ægyptus, Dan, ac homicida Damascus;
Proh dolor! in modico clauditur hoc tumulo.

Ab his tumulis abeunti occurrunt à dextris quatuor alia Regum mausolæa Chori muro inhærentia, mediam partem disrupta, quemadmodum & inscripta iis Epitaphia exesa sunt, aut mutilata; attamen apparent etiam hodie sequentia verba:

Septimus in tumulo puer hic regum tumulatus
Est Balduinus regum de sanguine natus,
Quem tulit & mundo sors primæ conditionis,
Vt Paradisiacæ loca possideat regionis.

Aliud est uxoris Balduini; verum exesi sunt adeo characteres, ut nulla prorsus ratione percipi possint.

In Navis extremitate sunt Iosephi ab Arimathia atque Nicodemi Sepulturæ, sedecim à Sepulchro Domini passibus sejunctæ, in petra etiam excisæ; eæ autem ad Suros pertinent.

Hactenus de sanctissimis spectatissimisque Hierusalem locis; cætera deinceps, sed non ejusdem momenti loca percurramus.

Viæ. Ædes. Viæ Hierusalem præangustæ sunt & tortuosæ; ædes utplurimum concameratæ, quo sibi quisque temperet à Solis ardoribus; domorum tecta tumulos imitantur, binis tantum contignationibus, ex lapide, ligno, aut lateribus, verum opere tumultuario & ineleganti extructæ.

Cœnobium F F. Minorum. Cœnobium F F. Minorum quod attinet, quod nomine S. Salvatoris exornatur, eminet in monte Gihon juxta muros urbis conspicuum, cui & sacra assidet ædicula. Duo duntaxat hodie supersunt conclavia excipiendis peregrinis, quibus mox ut advenerint, pedes abluuntur, quod humanitatis charitatisque officium sedulo peragunt Franciscani. Hi verò, si quinque in Bethlehem agentes, tresque alios sanctissimo clausos Sepulchro, computaris, quaternum supra viginti numerum implent. Ceterum vix aliquam Sanctorum locorum portionem, nisi quis Franciscanorum ope fretus conspiciat; illi quippe deducunt peregrinos, loca indigetant, atque à Turcarum infestationibus tutantur; & si opus fuerit, noxios atque injurios Magistratibus sistunt. Verentur etiam Turcæ Cœnobitas ipsos quadantenus offendere, à quibus ut & Mauri plurimi quot diebus annonam accipiunt; ipsi quoque Religiosi Turcarum benevolentiam sollicitius exquirunt, quatenus illos Christianis efficiant mitiores.

Loca insigniora. Inter nobiliora Hierusalem ædificia, censentur, principiò quidem palatium Herodis, Pilati deinde prætorium, quod hodie Sanjaci sedes, ut antea dictum est; mox Xenodochium, superbaque olim Divitis Epulonis ædificia. *Mosqueæ.* Ex Mosquéis autem, secundum à Templo Salomonis locum sibi vendicat ædes Præsentationis, de qua superius; Ioachimi quoque & Annæ domus visitur, quæ olim à Christianis in Basilicam fuit consecrata, adædificato etiam juxta illam cœnobio; verum eximia illa elegansque admodum Ecclesia à Turcis tandem in Mosquéam conversa est, quæ nec procul abest à porta Gregis, è regione Templi Salomonis. Tres sunt subter illius chorum subterraneæ specus, quæ Ioachimi Annæque uxoris olim fuisse conclavia existimantur, quæ & in rupe excisa sunt; postremum vero in quo concepta nataque creditur Virgo immaculata, sub altari principe positum est.

Locus sacrificii Abrahæ. Iuxta S. Sepulchri aream, capella videtur Abyssinorum, quæ à Christianis Orientalibus censetur locus, in quo Abraham ad unigeniti sui Isaac immolationem se accinxit;

tessela-

tessellatus quippe in pavimento lapis conspicitur, verus sacrificii locus. Assidet huic proxime sacellum aliud habens altare lapideum, in quo & Melchisedec sacrificasse perhibetur; nec procul visitur olea, illo nempe loco, ubi arietem cornibus inter vepres hærentem Abraham reperit.

Prope Templum quoque Salomonis extant superstites fortalitii Antoniani reliquiæ, quod maxima ex parte dirutum est; amplum tamen & magnificum id quod superest, ex marmoreoque miræ prorsus magnitudinis lapide extructum.

Fornix autem ubi Christus fuit ad populum productus cum hac indigetatione, *Ecce Homo*, est in Prætorio Pilati, formamque habet conclavis, duodecim pedes in longitudine, sex vero in latitudine continentis; at tecto caret, nihilque impræsentiarum ex eo præter muros invenias.

Via doloris.

Vt autem insigniora alia Hierusalem loca perlustres, ducens initum à Via Doloris, quam pertransivit Christus ligno Crucis humeris superposito, ad portam venies Iudiciariam, quæ nunc urbis ambitu clauditur; per illam autem januam Servator etiam Crucem tulit.

Ducit & alia ad portam Damasci via, in cujus angulo ad dexteram, cecidit Christus sub Crucis onere contra columnam humi jacentem; Iudæi verò, ne illico ipse animam exhalaret, Simonem Cyrenæum supportando Crucis oneri addixerunt. Arrepto deinde ad dexteram itinere versus Pilati prætorium, contemplabere domum, in qua Virgo ipsa Ioannesque præstolabantur donec pertranseuntem Iesum viderent; ibi quoque Iesus Materque mœstissima in mutuos ruerunt amplexus: hoc eodem loco Basilicam excitavit Helena, quæ vernacula Italorum Lingua *Sancta Maria del Spasimo* nominatur, in monumentum Spasmi Virginis Filium toto corpore deformatum conspicientis.

S. Maria del Spasmo.

Paulo ultra progressus, locum Christi ad populum ostensionis, *Ecce Homo*, scilicet, de quo mox locuti sumus, videas; altero vero ex latere binos candidissimo ex marmore lapides formæ quadrangularis, quibus insistebat Christus dum ostentaretur plagis omni ex parte lividus; utque nemo deinceps vestigio attingeret, aut prophanaret, exoravit Franciscanorum Custos abs Sanjaco, utrumque hunc lapidem muro compaginari: porro in horum altero, inscripta hæc verba recensentur: *Tolle, tolle, crucifige eum.*

Invisenda deinde Probatica Piscina, in qua Paralyticum Christus persanavit, quæ centum quinquaginta passus ad minimum complectitur in longitudine, & quadraginta in latitudine; ibique proximè porta visitur, quæ ducebat à Templo Salomonis.

Hoc peracto, ad aliud spectandum vocaris; Cœnobio etenim FF. Minorum egressus, ad Sion montem contendes; obviam autem habebis trium ædem Mariarum, quam Christus ipsa Resurrectionis die sua luce illustravit; exinde vero ad illam venitur Ecclesiam, ubi D. Iacobo Majori cervix amputata est; quæ ad Armenos pertinet, illaque non ignobilis, augustoque domate insignita circa medium; ædes postea se offerunt Annæ Pontificis; quodque inibi singulare est, extat olea septem radicibus terræ affixa, cui lugubri illa passionis nocte Christus fuit alligatus, donec de ejus detentione Annas certior fieret, quæ etiamnum viridissima est. Nec longe est Armenorum Ecclesia, ubi Christus examen subiit; præterlapsa dein Sion janua, adeundum Caiphæ domicilium; in quo gradibus undecim descenditur ad locum, ubi Petrus Christum ter negavit, ubi etiam accensus erat ignis, cui assidebant Iudæi seipsos calefacturi. Columna etiam candido ex marmore conspicitur ad lævam, ubi & fragmentum illius columnæ, in qua Gallus cecinit post Petri negationem; cui vicina est circa medium Ecclesia, ubi Christus fuit interrogatus, visiturque in ejus altari lapis, quo munitum erat Domini Sepulchrum. Si autem domus tumulum conscenderis, tum demum locum perspicies, qui asceterio pridem exornabatur; hodie vero in Mosquéam à Turcis redactus est; porro ibi sunt Davidis, Salomonisque & plurimorum aliorum regum sepulchra; neque illuc accedere Christianis licet, ut nec pleraque alia montis Sion loca sanctitate religioneque plenissima. Extant & in viridarii extremitate residua vetustæ Ecclesiæ rudera, ternæque in ea columnæ visuntur eodem loco positæ, ubi Christus cum Apostolis Cœnam celebravit, Spiritus S. descendit, Thomas in vulnus lateris manum immisit; Apostoli sejuncti ab invicem, toto terrarum orbe dispertiti sunt; ibique deinceps Beatissima Virgo commorata est. Eadem regressus porta superstites videbis Ecclesiæ S. Thomæ reliquias; aliquantulum vero ulterius Marthæ domus occurrit; cujus fores Petrus carcere emancipatus pulsavit, cum introrsum congregati Apostoli ardentes ad Deum preces funderent pro ejus liberatione.

Templum D. Iacobi Majoris.

Ædes Caiphæ.

Regum Iudæorum Mausolæa.

Cœnaculum.

Ecclesia S. Thomæ.

Domus Marthæ.

Perlustratis ergo præcipuis circa Hierusalem locis, delineatoque eorum circa varias hujus urbis partes situ; ea quæ foris sunt postmodum perspiciamus. Distat abs Hierusalem Acra civitas triginta sex milliaribus; Samaria sedecim; Sichem octo; Nazareth septem supra viginti; suntque cuncta hæc oppida in parte septentrionali. Iaffa autem octo

Situs urbium, quæ sunt extra Hierusalem.

octo circiter milliaribus sejuncta est Occidentem inter & Aquilonem; Iericho septem in parte Orientali; duabus leucis Bethlehem; Hebron denique octo ad Meridiem. Iam à principio montium Hierusalem circumjacentium positionem lustravimus; si quid demum animadversione dignum in iis fuerit, quanta potuerimus deinceps sedulitate annotemus.

Mons Sion. Mons Sion vere locus civitatis David, in quo etiam insignis illius regia tanto splendore emicuit, nihil hodie præter vetustas ostentat ruinas, & quædam præaltæ turris rudera, quæ Turris David fuisse creditur; de cujus rei veritate à multis disceptatur; illam enim penitus conflagrasse scribit Iosephus, testis locupletissimus.

Facies hujusce montis adeo immutata est, ut ne vestigium quidem ullius urbis in eo conspicuum sit; atque si domus Caiphæ turrim exceperis, sanctumque Cœnaculum, sive venerandum illud conclave, in quo Christus cum Apostolis in Cœna recubuit, cujus nuper mentionem injecimus, & Turcici Santonis domicilium, nihil præter ingentem lapidum congeriem videas.

Mons Offensionis. Mons Mashit, sive Offensionis, urbi è regione objacet, spectantque ejus muri ad Septentrionem; habet verò ab Occasu montem Sion; & ab Ortu montem Olivarum. Illud autem nomen sortitum est, eò quod Salomon in eo templa altariaque diis alienigenis concubinarum in gratiam excitavit. Conspiciuntur etiamnum antiqua vetustorum ædificiorum rudera. In declivitate montis istius, Ager Figuli visitur, aliàs Acheldama dictus, seu ager sanguinis, communi Italorum idiomate, *Campo Santo.* Ad illum mortui efferuntur; nam quotusquisque in Hierusalem diem claudit supremum, exceptis Francis Latinisque, in agro isto sepeliuntur. *Ager figuli.*

Ad radices Moriah montis, qui Hierusalem ab Ortu adjacet, quique Romanorum temporibus cum superbis quæ in illo erant ædificiis, planitiei fuit adæquatus, fontis Siloah seu Siloë scaturigo conspicitur; fons ille celeberrimus est ob inauditam à sæculo Cœci nati oculorum apertionem, à Christo Domino obstupentibus etiam inimicis peractam; quin Turcæ ac Mauri maximo habent fontis hujusce aquas in pretio, censentque oculorum ægritudinibus apprime salutares. *Fons Siloë.*

Vallis Iosaphat. Montem Olivarum quod attinet, ubi eam pertransieris portam, quæ à S. Stephano sortita est appellationem, quæ & Porta Vallis olim nominata est, eò quod duceret ad Vallem Iosaphat, vallem, inquam, tanti nominis, aliàs Vallem Cedron, Vallem Regis atque Iudicii dictam, quæ modicæ quidem est latitudinis, oppleta enim fuit urbis ruderibus; at longitudine duobus extenditur milliaribus; tum ad radices accedas montis Oliveti, eum nempe ad locum ubi lapidatus est Stephanus, ibi enim eximiam conspicies Ecclesiam insigni testudine exornatam; in qua & Sanctissimum Virginis Sepulchrum visitur, quod eam omni veneratione dignissimam Christianis commendat; ibi quoque sepulchrum Iosephi Mariæ Sponsi subtus altare reperitur; sepulchrum autem ipsius Virginis in medio templi est, totum marmore intus circumvestitum. *Sepulchrum Virginis.*

Huic verò Ecclesiæ hortus assidet, nec procul ad radices montis Oliveti Specus reperitur sudore Christi sanguineo simul & aqueo nobilis, atque ob assistentiam Angeli Christum in agone positum confortantis. Specus autem illa ad figuram accedit fere orbicularem; in rupe quoque excavata est, quatuor rupis ejusdem columnis suffulta. *Christi Oratorium.*

Tribus autem assurgit cacuminibus mons Olivarum; illud vero quod in medio est, cæteris præeminet; porro ipsum est è quo Discipulis intuentibus ad Cœlum elevatus est Christus; estque cacumen istud duobus à Hierusalem dissitum milliaribus, celsum adeò, ut & Mare Mortuum, Iordanis, Mons Quadragesimæ, ipsaque Arabia, imo & plurima alia exinde loca prospici possint.

Ad Occasum postea conversus, ad ima Montis descende, ibique Bethaniam reperies in parte Meridionali. In hac autem civitate Sepulchrum Lazari visitur, super quo Helena Constantini mater Basilicam ædificari mandavit; quæ hodie in Mosquéam conversa est. Illa vero Ecclesia viam præbebat ad sepulchrum, quæ hodie Christianis prohibita est. *Sepulchrum Lazari.*

Montis quoque Olivarum acclivitati insistit Zachariæ filii Barachiæ sepulchrum figuræ quadrangularis, in rupe excisum, quatuor insigne columnis, atque superiori ex parte in formam pyramidis assurgens; modicoque inde spatio sepulchrum Absalonis, nonnullis etiam columnis ac pyramide exornatum; denique sepulchrum ipsiusmet Iosaphat, à cujus nomine subjecta vallis tantopere celebrata est. *Sepulchrum Zachariæ.*

Ad radices montis Oliveti, è regione Portæ Aureæ locus ostenditur, in quo olim vicus Gethsemani erat constitutus, ubi Christus post Cœnam cum Discipulis peractam, illos dimisit, assumpto dumtaxat Petro, Ioanne, & Iacobo, ad hortum Olivarum profecturus; sed vici hujus nec tenue quidem apparet vestigium. *Gethsemane.*

Hortus autem ipse Olivarum, ad ima montis ejusdem positus est, non ille quidem circum- *Hortus Olivarum.*

cumquaque muris ſeptus, ſed pluribus ſemitis pervius eſt, multiſque etiamnum vetuſtis conſitus oleis; quæ inibi à Chriſti tempore perennarunt.

Iam verò accedens ad Bethlehem, non modico à publica via intervallo, ſepulchrum Rachel viſitur, domate quatuor innixo columnis opertum; ubi impræſentiarum Turcæ Moſquéam extruxerunt; propius autem Bethlehemiticæ civitati adjacet ciſterna David juxta portam Hieroſolymæ obverſam. Hæc eſt ciſterna illa, cujus lymphas David nec libare voluit, conſiderans, quantum in iis perquirendis periculum incurriſſent Tres Viri, inter ſtrenuiſſimos ſui exercitus computati.

Sepulchrum SS. Paulæ, Euſtochium, & Hieronymi, ejuſdemque ſpecus.

Porro ut ad eum proficiſcaris locum in quo naſci dignatus eſt Chriſtus hominum Servator, viginti duobus deſcendens gradibus ad ſpecum, in qua ſepulchrum Paulæ Euſtochiumque ejus filiæ viſitur; inde tu aliam ſpecum ingredere, illam nimirum, in qua ſepultus eſt maximus Eccleſiæ Doctor Hieronymus, ubi etiam ejuſdem cucullus precumque liber ſtudioſiſſime aſſervantur; ex hac quoque tertiam aliam ſpecum ſubibis, ubi nempe multos Hieronymus annos commoratus, ſacrorum traductioni Bibliorum egregiam navavit operam; ibique lectulus quadrato ex lapide cernitur, cui decumbebat tantiſper quieturus; eſt autem is è regione feneſtræ, qua ſpecus lucem accipit. Poſtea Innocentium transgredieris ſpecus, aliamque ſubintrabis, in qua ſeceſſit Ioſephus dum Maria pareret; ſecutus deinceps viam in rupe exciſam, novem longam paſſibus, unoque duntaxat latam, ad feliciſſimam illam ſpecum, ſeu capellam devenis, in qua Chriſtus naſci dignatus eſt; habet autem illa quindecim paſſus in longitudine, in latitudine quatuor; patet vero in altitudine uſque ad concamerationem paſſibus duodecim; fuitque olim opere teſſelato depicta. Obſignatus eſt locus Nativitatis ſerpentino lapide orbiculari, qui ſubjacet altari è regione januæ ad dexteram; tum tribus deſcendes gradibus in capellulam tribus columnis ſubnixam, in qua præſepe Domini religioſiſſime fuit aſſervatum, priuſquam aſportaretur Romam, atque in capella Sixti Pontificis Maximi apud S. Mariam Majorem deponeretur; cujus loco lapis marmoreus impræſentiarum ſuffectus eſt.

Locus nativitatis Chriſti.

Locus præſepis.

Bethlehem.

Ceterum urbs ipſa Bethlehem, quæ Bethlehem Iuda, & Bethlehem Ephrata dicitur, in colle poſita eſt, paucis exculta ædibus, ſed pluribus cavernis, quibus Chriſtiani Græci Maurique commorantur; qui quidem ſumma omnino induſtria cruces atque inſignia Hieruſalem, brachiis imprimunt peregrinorum, abſque ulla fere ipſorum læſione; quod Turcomaniæ Arabiæque Deſerta porro penetrantibus apprime conducit; his nempe perſpectis caracteribus in cutis ſuperficie exaratis, neque Arabes, neque Turcæ aut Mauri captivos detinent, ſed liberos abire permittunt. Hujus civitatis ne quicquam videas præter rudera, quæ priſcam illius amplitudinem loquuntur.

Ager Damaſci, in quo Adam plaſmatus.

Perge nunc curioſus ad agrum Damaſcenum ſeu Damaſceni, ubi generis humani rimeris exordia, incunabula perſcruteris. Diſtinctus eſt is ager ab eo qui ad Syriam pertinet; nomen autem hujuſmodi ſortitus eſt à terra qua ſcatet rubea; ibi Deus protoparentem Adamum condidit, indeque illum ad terreſtris tranſtulit delicias Paradiſi, ex quo ob culpam ejectus, eo tandem reverſus eſt. Ad jactum inde lapidis Hebron viſitur Davidis regia, antequam ipſe ſibi Hieruſalem ſubjeciſſet. Hæc olim quatuor virorum civitas appellata eſt, Adam ſcilicet, Abraham, Iſaac & Iacob, qui in ea contumulati ſunt; Chalil hodie à Mauris nominatur. Nec procul mons Prophetarum conſpicitur, Amos nimirum & Habacuc receſſu celebris.

Hebron.

Mons Prophetarum.

Egreſſus Bethlehem, deflecte ad Occaſum, vallemque illam contemplare, in qua Sennacherib ab Angelo interfectus eſt; ſed & vallem Raphaim, in qua David fudit fregitque Philiſthæos. Paulo ulterius fons ille ſcaturit, cujus ex aquis Philippus Eunuchum reginæ Candacis ſalutari Baptiſmate tinxit.

Fons S. Philippi.

Ioannis Bapt. ſolitudo.

Aſcendes poſtmodum ad montana Iudææ, ut tantiſper quieſcas in ipſa Baptiſtæ Ioannis ſolitudine. Hic egit ad decimum ſeptimum ætatis annum ab omni hominum frequentia puer intemeratus; poſtea verò ad Iordanem acceſſit Iudæis prædicaturus. Viſitur autem illius ſpecus in rupe excavata ſupra montis acclivitatem.

Ædes Zachariæ.

Proficiſcere modò ad Templum Cœnobiumque dirutum, ubi olim extructa Zachariæ Ioannis Baptiſtæ parentis domus. Perſeverat etiamnum integra inferior concameratio, eſtque Maurorum hodie domicilium. Modico inde intervallo fons Nephtoa conſpicitur, qui impræſentiarum fons Virginis, aut D. Ioannis vocitatur; huic elegans aſſidet Eccleſia Ioannis nomine inaugurata, eodemque in loco ubi Ioannes ipſe natus eſt abditusque dum Herodes parvulos ad mortem perquireret, ibique Zacharias loquelæ uſum recuperavit.

Via Hieruſalem in Iericho.

Vt autem deſcendas de Hieruſalem in Iericho, recto contende itinere in Bethaniam, obviam tum habebis Sycomorum, quam Zachæus inſcendit, ut Chriſti frueretur aſpectu: nec inde procul, eum videbis locum, in quo clamarunt cœci, *Fili David miſerere noſtri.*

Subſequitur Adomin, ubi Samaritanus hominem curavit à latronibus vulneratum; illa vero plaga etiam hodie latrociniis, ut olim, infamis eſt; conſpicitur deinde Iericho in amœna planitie, & fertili, ſed habitatoribus deſtituta.

Emmaus. Exoptans vero Emmaus perluſtrare, egreſſus Hieruſalem per portam Iaffe, primo torrentem invenies, qui ad vallem Terebinthi properat. Iuxta illum David gigantem Goliath debellavit; duobuſque exin milliaribus viſitur locus, ubi Chriſtus Lucæ Cleophæque diſcipulis comitem viæ ſe præbuit proficiſcentibus in Emaus; tranſmiſſo igitur Luſæ vico, qui vinetis ac olivetis undecunque obſeptus eſt, contemplabere Emmaus.

Emmaus, inquam, ubi Chriſtus ex fractione panis Diſcipulis innotuit; à Romanis,poſt cladem Ieroſolymæ in urbem pulcherrimam evecta eſt, à quibus etiam Nicoplis nomine fuit inſignita, ſeu Victoriæ civitas, ob partam nuper ex inimicis victoriam;at deſerta eſt hodie, ſuiſque ſepulta ruderibus.

Mons Soba. Proſpicitur poſtmodum Mons Soba, ſeu Ramatha Sophim, ubi natus ſepultuſque fuit Samuel.Poſita fuit olim ad illius Sepulchrum Eccleſia, quæ nunc à Mahometanis in Moſquéam redacta eſt.

Atque ut cetera plenius innoteſcant loca, ab ora pelagi incipiemus, à Phœnicia ad perluſtrandam Iudæam profecti; relicto deinde pelago, in Continentem abſque errore & periculo te deducemus.

Cæſarea Palæſtinæ. Iaffa. Vetus Cæſarea Palæſtinæ principio ſe offert, alias Pyrgos dicta; quæ quantæ olim amplitudinis fuerit, vetuſta rudera teſtantur. Succedit Iaffæ portus, binis turribus inſignis. Hæc eſt Ioppe, de qua Ptolemæus & veteres alii; quæque ab Italis Iaffo ſeu Zaffo, à Mauris vero Arſufo nominatur.

Lydda. Subſequitur Lydda, priſco ævo Dioſpolis,clara civitas & notiſſima ob Dorcæ à mortuis revocationem, nec non & Æneæ curationem: paucis inde diſſitus Arimathiæ vicus, Ioſephi ortu nobilis, illius, inquam, Ioſephi, qui Chriſtum Dominum ſepulturæ mandavit. Non parum deformata eſt impræſentiarum Lydda, à Chriſtianiſque maximam partem inhabitata.

Rama. Quantum ad Rama, plures hujus nominis in Terra Sancta extant civitates; una eſt in via Hebron juxta Thecuam; altera, in tribu Nephthalim, non longe ab oppidulo Sephet; tertia, in Silo; quarta, ad Sephorum; quinta, prope Gabaa; omnes montium jugis inædificatæ. Porro urbs Rama, de qua impræſentiarum agimus, illa eſt, quam Euangelium, Ieremiaſque memorant horum tenore verborum, *Vox in Rama audita eſt.* Fuit & Ramathaim Sophim appellata, in monte Ephraim conſpicua, apud quam Samuel primam hujus lucis uſuram accepit: vocitatur nunc à Turcis Remla & Ramcola, quod utrumque nomen tractum arenoſum indigetat. Hic Innocentium cædes ex parte patrata eſt.

Volens è Rama Gazam adire, urbes Accaron, & Geth, Goliath natalibus infamis, atque Aſotum habebis obviam. Arbitrantur autem Mauri Ionam è cetus utero, portuque Iaffæ egreſſum, primam Aſotum civitatem ſubiiſſe. Sed vix ulla hodie horum locorum veſtigia; paulo poſt ſequitur Aſcalon, nunc Scalona, quæ adhuc intemerata eſt, muriſque cincta: deinde maximus ille vicus Gnepna, Samſonis ortu celebris.

Gaza. Vrbs Gaza, alias Gazer, Gazaris, Gazara, vel Gazera; Hebraice, Aſa; à modernis Cazera; ac tandem à Suris, Ayan,inter ampliſſimas olim Philiſthæorum civitates cenſebatur, Cananitidiſque regionis terminus.

Gabaa. At è Hieruſalem pergens verſus Syriam, quinto ab urbe lapide, vicum reperis Gabaa, antiquitus urbem Levitarum, Saulque ortu, domicilio, ac ſepultura nobilem. Hæc eſt, in qua uxor Levitæ trucidata eſt nequitiâ Gabaonitarum ex tribu Benjamin;modicoque à Gabaa ſpatio mons aſſurgit, in quo ſeptem filii Saul cruci confixi fuere à Gabaonitis, David etiam conſentiente.

Mons Silo. Incumbit juxta fines Samariæ mons Silo, omnium Iudææ montium celſiſſimus, in cujus vertice poſita olim civitas, ubi Iſraëlitæ uſque ad Samuelis tempora ſacrificarunt, conventuſque ſuos celebrarunt, Arca etiam Fœderis ibi depoſita, uſque dum à Philiſtæis capta eſt.

Qualitas. Etſi Iudææ regio calidiſſima ſit, attamen tantillo frigore Gaza refrigeratur; unde fruges fructuſque tardius ibi matureſcunt. Intenſiſſimi autem ſunt in Hieruſalem calores.

Aqua. Quod ſi de aquis agitur, unicus fons eſt in Hieruſalem, quem è monte Hebron in urbis commodum deducunt, præter ciſternas & puteos, variis in locis & domibus effoſſos. Extat & in valle Ioſaphat fons Siloe, ex quo etiam aqua perquiritur. Cæterum ibi raro admodum pluvia decidit, & circa annum 1598, totis viginti menſibus omnis regio ſine pluvia permanſit.

Ager. Ager quidem fœcundus eſt, ſed maximam partem incultus, atque deſertus.

Vt autem melius omnis undique Iudæa perſpiciatur, opus eſt quiſque advertat, illam partim eſſe maritimam, partim montuoſam, & ex aliqua ſui parte planam; pars maritima ad Iaffam uſque ſe diffundit; quæ autem montuoſa eſt & plana, Ramam quadantenus complectitur, ac Lyddæ planitiem, eamque regionem, quæ ad Meridiem,verſus Berſabee porrigitur; quicquid ſupereſt, excepta valle Iericho,

Iericho, id omne montuoſum eſt & aſperum, nec niſi paucis in medio vallibus iiſque anguſtiſſimis diſtinctum. Et quanquam ſacræ litteræ terram hanc paſſim exhibeant lacte & melle manantem, in eaque bonorum omnium affluentiam; iſtud ſpecialiſſimæ benedictioni Divinæ referendum eſt; plaga etenim hæc ſuopte genio ſaxoſa eſt & infœcunda. Proficiſcentibus è Rama in Hieruſalem per ardua montium, denſiſſimæ occurrunt ſylvæ lentiſcorum, terebinthorum, palmarum, aliarumque id genus arborum fructiferarum.

Mores. Quotquot Infideles Hieruſalem incolunt, è fæce peſſimorum cujuſcunque nationis virorum congregati ſunt, nihil fere aliud præ ſe ferentes, quam ut moleſtiis Chriſti aſſeclas afficiant, injuriis nimirum & opprobriis, verberibus falſiſque delationibus ſeu criminationibus, ut hac tandem ratione eorum pecunias emungant, & omnino, ſi potuerint, exhauriant. *Exercitia.* Gazenſes culturæ vinearum ſedulam navant operam; quod itidem & alii aliis in partibus præſtant.

Lingua. Obtinuit in hac regione lingua Turcarum, Maurorumque; ſed & quælibet natio proprium habet idioma; at in Bethlehem Chriſtiani Græci vernacula Italorum lingua, quam Frankam vocant, perite loquuntur, eamque ab incunabulis addiſcunt; quemadmodum & Mauri, qui poſtmodum Chriſtianos inter & Franciſcanos interpretum vice perfunguntur.

Regimen. Ternis gubernatur Hieruſalem ſupremis magiſtratibus, qui in omnes illic agentes jus habent vitæ ac necis. Primus eſt Sanjacbey, qui Baſche titulo honoratur, ſummaque authoritate potitur, ac cæteris præcellit. Secundus, Moulacadi, ſive in civilibus & criminalibus Iudex ſupremus. Tertius denique Soubaſſi dicitur ſeu Præfectus Iuſticiarius, cujus partes ſunt, adverſus ſceleratos inquirere, carceri mancipare, ſententiaſque à Cadi latas ad exitum perducere.

Religio. Præter Turcas, quorum exiguus in Hieruſalem eſt numerus; Mauros, quorum multitudo major; Arabes atque Iudæos, Chriſtiani etiam cujuſcunque generis, atque nationis eadem in urbe reperiuntur.

Anno 1621 Rex Chriſtianiſſimus abs Sultano Oſmano poteſtatem accepit S. Sepulchri Baſilicam,aliaque Terræ Sanctæ loca reſtaurandi, quod nemini unquam conceſſum fuerat; miſit itaque Rex Chriſto addictiſſimus ſacrum apparatum, veſtes ſacerdotales, pretioſiſſima Eccleſiarum altariumque ornamenta, ac opulentiſſima quæque munera apud ædem S.Sepulchri depoſita ad quadringinta librarum millia & amplius.

SAMARIA.

Fines. Samaria Iudæam inter & Galilæam poſita eſt, habetque Iudæam à Meridie; ab Aquilone Galilæam; Iordanem ab Ortu; ab Occaſu denique Phœniciam. Initium ducit à loco Ginum nominato; quod radicibus montis Ephraim adjacet.

Vrbes. Regni totius Iſraëlitici Samaria caput(olim Marron, Sebaſte, ab Hebæis Somrah, & Somer vocitata, ac unius diei ab Hieruſalem itinere diſſita) in vertice Somer, aut Semeron montis inſidet. Verum nulla priſcæ magnificentiæ veſtigia ſuperſunt hodie, præter ingentes columnas marmoreas ſuſtentandis regum palatiis, ſuperbiſque aliis ædibus addictas. Quin & in montis ambitu, hujuſmodi etiam columnæ viſuntur, quæ fulciendis platearum fornicibus erant appoſitæ. Illius ſitus inprimis amœniſſimus eſt; inde enim mare Mediterraneum,Iaffa, atque Cæſarea Palæſtinæ proſpiciuntur. Olim gloriabatur Eccleſiâ Ioanni Baptiſtæ dicatâ; at Mahometani Moſqueæ nomine profanarunt. Viſuntur etiamnum ſepulchra Ioannis Baptiſtæ, Eliſæi, & Abdiæ, nonnullæque Maurorum ædes ſeu potius cavernæ in declivi montis poſitæ, ſicco lapide, nulla prorſus calce aut cæmento ædificatæ.

Sichem. Sichem, aut Sichmi, & Ephron, quæ Chriſti ſæculo Sichar corrupto vocabulo dicebatur, deinde Neapolis; à propriis vero colonis Mabortha & Marmortha; hodie autem Napoloſa, Naplos, & Naploſa, aut Nebilas & Neapols, Iuſtini Philoſophi Martyriſque clara natalibus, ſitum Garizin inter & Hebal montes ſortita eſt, orbiculari ferme figura, duobuſque in ambitum milliaribus conſtat. Primaria impræſentiarum eſt Samariæ civitas.

Thirſah ſeu Therſa,tribus à Samaria leucis diſſita, præcelſi montis ſedet in apice, perantiquus Regum Iſrael receſſus ante Samariam conditam.

Ginum. Ginum poſtrema Samariæ civitas, à Ioſepho Gennaya, aut Genea indigetatur, in radicibus montis Ephraim poſita eſt, quatuor à Samaria milliaribus. Hîc, Chriſtus leproſos decem ſanitati reſtituit. Hac etiam in urbe eſt domus publica,validis ſepta mœnibus,in morem urbium.

Hucuſque igitur inſigniora Terræ Sanctæ loca perſpeximus; at deinceps totam ipſam regionem percurramus. Tandem ergo Iudæa egredere, ad vallemque accedas cui publica domus ſemiruta inſidet, ad radices montium; atque in Occidentali hujus vallis parte reperies oppidulum Lebna dictum, aut Lemna, quatuor à Sichem milliaribus, eidemque à Septentrione obverſum. Poſtea ad amplam amœ-

amœnamque pertransi planitiem, quæ vulgo campus Iacob nominatur; quòd illam ipse Patriarcha speciali munere & velut in singularis pignus amoris dilectissimo filio suo Ioseph assignarit. Excurrit vallis hæc ad milliaria quatuor in longitudine, duobusque dilatatur itidem milliaribus, atque à meridie ad Aquilonem expanditur, suosque ostentat colles fructiferis arboribus consitos ac fertiles. In vallis hujusce extremis, quà Septentriones aspicis, positus est puteus Samaritanæ, figuram habens orbicularem, ex vivo lapide, sed absque ulla margine, lapidibusque impræsentiarum obstructus adeo, ut nullum prorsus aquæ vestigium appareat.

Vallis Iacob.

Samaritanæ puteus.

Credunt plurimi, sepultos inibi juxta puteum duodecim Patriarchas Iacob filios; huncque ipsissimum esse campum, quem Iacob à filiis Hemor, patre Sichem, pretio comparavit; ubi & ossa Ioseph contumulata fuere. Verum ab isto antiquioris notæ monumento Maurorum malignitas arcet prohibetque Christianos.

Sepulchra duodecim Patriarcharum.

Dein vallis reperitur, cujus in gremio sedet Sichem. Vallis longitudo ab Oriente in Occidentem tribus leucis protenditur; at unius ad summum leucæ est illius latitudo.

Vallis Sichem.

Garizim, mons olim celebratissimus, non procul erat à Sichem; quod evincitur ex eo, quod Ionathan diutius cum Sichimitis fuerit ex illius vertice collocutus, qui quidem sub illius consistebant quercu.

Garizim.

Mons vero Ghebal, seu Hebal, cavernis scatet undique, ea præsertim parte, qua urbem respicit; hisce autem in antris Turcæ Maurique sepeliuntur.

Mons Ghebal.

Regio hæc temperatissima est, neque enim sævus eam Boreas perflat, & vix ulla eam aëris infestat inclementia, unde & plantarum omnium benignissima est nutrix. Valles attamen atque planities æstus maximos experiuntur, quod videlicet sint omnino montibus circumseptæ, aut potius inclusæ, unde & plurimi varias ægritudines perpetiuntur.

Qualitas.

Vallis Sichem plurimas habet aquarum limpidissimarum scaturigines, passimque tota quaquaversum civitate fontes erumpunt; at regio maximam partem montuosa est & aspera, &, quemadmodum Iudæa, in colles vallesque dispertita est.

In circuitu Samariæ nonnisi colles amœnissimi fertilissimique visuntur, & valles ejusdem prorsus ubertatis. Sunt silvæ oleis consitæ ac lentiscis, viæ myrtis, prata floribus. Vallis ipsa Sichemensis habet omni tempore prata vernantia, oleas, vineta, moros, frugiferasque alias varii generis arbores. Producit & malopepones, cucurbitas, cucumeres, lactucas, raphanos, brassicas, herbasque alias majori copia, quam quævis alia Terræ Sanctæ regio; numerosum etiam pecus lac inibi abundantia incredibili subministrat.

Fructus.

Ius hîc dicunt Turcici Magistratus, qui in Sichem seu Neapols commorantur; Sanjaci, Cadi, Soubassique titulos præ se ferunt. Est autem in Ginensi civitate, Cadi alius, qui lites civium Turcico jure componit.

Regimen.

Mauris Turcisque Sichem inhabitatur, sicut & Ginum; ubi tamen exiguus est Turcarum numerus; quibus quidem locis inveniuntur etiam Christiani Iacobitæ, maximâ quidem apud Sichimitas, sed minimâ inter Ginenses frequentiâ.

Religio.

GALILÆA.

Galilææ regio cingitur ab Ortu, Gaulanitide, & Trachonitide; ab Occasu Phœniciâ, qua parte Ptolemaidi, Carmeloque monti objacet; à Meridie verò, Samariâ; & ab Aquilone Tyri tractu, qui & Phœniciæ est, monteque Libano.

Fines.

Dividitur in Superiorem & Inferiorem Galilæam. Superior quasi per ludibrium contemptumque Galilæa Gentium appellata, procurrit in longitudinem à Baca viculo, qui Tyriorum disterminat regionem, usque Bersabee; quod & alia quit ratione delineari, nimirum: Incipit à Sephet Galilæa Superior, atque inde ad Libanum Iordanisque scatebras protenditur; expanditur autem in latitudinem à Thella, juxta Iordanem, usque Meroth; sive à Phœnicia ad Iordanem & aquas Meron; uniusque tantum diei & dimidiæ iter habet tum in longitudine, tum in latitudine. Hæc olim fuit sors Tribuum Aser & Nephthalim, si Emath, Cedes, Nephthalim, Capharnaum, & Cephet civitates adjunxeris.

Divisio.

Sedet Inferior Galilæa circum Tiberiadem, lacumque Genezareth, excurritque à Tiberiade usque Zabulon, non procul à Ptolemaide; patet autem latitudo ab Oalot oppido, ad Bersabee. Viginti complectitur milliaria longitudine, latitudine quindecim. Tribus olim Isachar, Zabulon, urbesque Nazareth, Naim, Salem, Bethuliam, Tiberiadem, Cana Galilææ, Sephoris, Bethsaidam, Bethsam, Iezrahel, montesque Gelboe, Hermon, & Thabor suo claudebat gremio. Ex tot autem civitatibus paucæ admodum hodie conspiciuntur.

Assignabatur & Decapolis huic regioni, plaga, inquam, illa cui decem insidebant civitates, scilicet Cæsaréa Philippi, Asor, Cedes, Nephthalim, Sephet, Chorozaim, Capharnaum, Bethsaida, Iotopata, Tiberiadis, & Bethsan sive Schythopolis.

Decapolis.

Vrbes præcipuæ sunt Salem, regia Melchisedech nobilis; qua non potest Hierusalem gloriari, licet multi perperam id sentiant; at jacet Salem hodie suis sepulta ruinis; illiusque

Loca.

que sedem occupat despectus omnino viculus. Porro ultra vallem Iezrahel, præliis Gedeon, Saul & Achab insignem, occurrit Naim civitas, in qua Christus filium viduæ unicum luci restituit jam vita functum; nunc ignobile contemptumque est oppidulum, paucis Mauris inhabitatum, quod & in latere montis Hermon Aquilonari, duabus à Thabor leucis, positum est.

Vallis Esdrelon. Torrens etiam Cison, Vallisque Esdrelon in Galilæa reperiuntur in parte Occidentali, ac deinde præcelsa montium Nazarænorum.

Nazareth. Nazareth olim in pulcerrimo amœnissimoque colle sedem sortita, ne residuum quidem habet urbis vestigium, imo tenuis tantum est viculus; nam præter ædificia diruta, arcus vetustaque antiquorum mœnium rudera, triginta duntaxat supersunt domus vivo ex lapide, necnon & in tumulum extructæ.

Annunciationis Ecclesia. Ad radices montis, in ipso introitu Nazareth, eadem regione, qua Virgo ab Angelo salutata est, visuntur superstites Ecclesiæ Annunciationis reliquiæ, ac nonnullæ ingentes columnæ marmoreæ, partim in fragmenta disruptæ, partim etiam ruinis ipsis insepultæ.

Transfigurationis locus. In monte Thabor, cujus jam mentionem injecimus, conspicuus est locus ipse, in quo Christus transfiguratus, cum Elia ac Moyse colloquebatur. Extant & præclaræ olim Ecclesiæ ibidem ædificatæ rudera.

Nec prætermittenda est Cana seu Chana Galilææ, quatuor à Ptolemaide sive Acra milliaribus, locus utpote celebris ob aquæ in vinum à Christo factam mutationem: quaternis inde leucis distat Bethulia, ubi cervicem Holophernis Iudith amputavit; plena est hodie ruderibus, habitatoribus autem vacua. *Bethulia.* Bethsaida SS. Petri & Andreæ clara natalibus, olim optima Galilææ civitas, atque in margine Galilæi lacus insidens; vicus jam infrequens, ac paucis quibusdam Mauris excultus, oram Septentrionalem hujusce lacus obtinet. *Bethsaida.* Cedes Nephthalin, tribus à Bethsaida milliaribus, parietinas solum ostentat, ut & Tiberias, seu Cenereth, eidem lacui imminens, quæ cum antiquitus fuerit præclara civitas, exiguus est impræsentiarum locus, muris quidem cinctus, at octo aut decem tantum habet tuguria, Arabibus atque Iudæis inhabitata. *Cedes Nephthalin. Tiberias.*

Capharnaum. Chorozaim. In Occidentali Iordanis ripa, juxta lacum Tiberiadis, quatuor aut quinque Maurorum domus, aggestis velut arenis tumulatæ cernuntur, eo prorsus loco, ubi olim Capharnaum; Chorozaim verò è regione Capharnaum in tractu Iordanis Orientali, ejusdemque lacus incumbens margini, macerias solum habet omni ex parte desertas. Tandem Gadera, olim tantopere suis thermis post Bayas celebrata, solo nunc adæquata est.

Dothaim. Quod in hoc tractu singulare est, & insigne, ipsa est Dothaim civitas, ac vallis; hic quippe cisterna conspicitur, in quam Ioseph à fratribus fuit immissus. Ipsa etiamnum capitello marmoreo exornata est, tribusque exiguis sustentatur columnis.

Qualitas. Hæc regio plurimis irrigatur aquis, fontibus nimirum, & torrentibus è montium vertice deciduis. Ager autem tanta est fœcunditate præditus, ut Iudææ atque Samariæ præstet bonitate. Frumentum, vinum atque oleum magna vi suppeditat, plurimosque alios fructus gignit, ficus scilicet, musæas, dactylos & nuces, & quidem absque humana sollicitudine, nam ibi cultores desunt, locusque maximam partem desertus; attamen lætissimis quoque pratis commendatissimus est.

Religio. Incolæ plerique omnes Mauri sunt ac Mahometani, nam anno 1600 duo tantum Christiani in Nazareth inventi sunt; verum anno 1621, duæ à Christianis domus; cæteræ autem à Mauris occupabantur. Administrant nunc demum Franciscani Annunciationis Ecclesiam, quæ est in Nazareth, ibique commorantur.

IDVMÆA.

Nomina. IDumæa, quæ ab Hebræis Edom, Adomith, & Adoma, quod terram denotat rubeam, alias etiam Seir, Duma, & Gobolitis, Divique Hieronymi ætate, Gabalena, & Gebalena vocitata est; Bosra quoque, & postmodum Nabathea, illiusque cultores Nabathei dicti sunt. Hisce demum temporibus Idumæi, Biduini seu Beduini appellantur.

Divisio. Binas constituit Iosephus Idumæas, Superiorem scilicet, quam sibi Iudæ Tribus assumpsit, cujus longitudo in Hierusalem, latitudo ad Mare Mortuum porrigebatur, comprehensis quin etiam Ascalone & Gaza civitatibus: & Inferiorem, quæ sorte cecidit in Tribu Simeon, de qua nobis impræsentiarum sermo est.

In circuitu Ægypti sedet Inferior Idumæa, circumque montes Arabiæ, quæ illi ad Austrum obversa est; ab Occasu Iordane fluvio terminatur; ab Ortu verò usque in Iudæam extenditur.

Loca. Computantur inter urbes Carmellus, nunc Carmel, ubi militare est præsidium; deinde Duma, aliàs Idumæ ac regionis caput; & Marissa seu Adissa, urbium Idumæarum potentissima; accensetur & Theman, quæ Tribus erat Manasse, in montibus Seir posita, quinis à Petra Arabiæ Petreæ metropoli milliaribus; eam tamen Trachonitidi quidam auctores assignant.

Qualitas. Videtur quidem hæc regio aquarum indiga; attamen pluribus abditis gaudet fontibus, qui solis illius cultoribus innotescunt.

Solum ibi optimum eſt, atque feraciſſimum, præterque palmas, quibus triumphat, fere infinitas, arborem etiam balſamo exudantem profert.

Regimen. Quacunque obverſus fueris, undique videas præcelſa montium, quibus inexpugnabilis præcingitur regio; quem ergo hiſce in locis progreſſum faciat miles extraneus, ubi tot vaſtæ ſolitudines, illæque velut aquarum indigæ? Vnde & Arabes hujus regionis, quæ Arabiæ ab Auſtro collimitanea eſt, cultores invicti, inconcuſſa libertate degunt, atque gloriantur.

I T V R Æ A.

Nomina. ITuræam confundunt nonnulli cum Trachonitide; eam autem Brocardus diſcernit; illam enim, quæ ultra Iordanem ab Ortu eſt regio, dicit appellari Trachonitidem, & Boſram, planitiemque Libani, uſque dum ad ipſum Libani montem pertingas; at littus Occidentale, vocari Galilæam gentium, Ituræam, Zabal, Decapolim & viam maris; ita ut Ituræa, in Occidentali Iordanis latere poſita ſit. Vocatur & Saltus Libani; ipſeque Euangeliſta Lucas binas in provincias diſpertit; dum Tetrarcham Iturææ & Trachonitidis aſſignat. *Situs.* Iacet ad ima montis Libani, initiumque abs Iordane ducens fluvio, eundem juxta montem porrigitur verſus Occidentem ad montes uſque Tyriorum atque Sydoniorum. In partem tamen Aquilonarem montis Libani eam procurrere, quorundam opinio eſt.

Qualitas. Regio hæc montuoſa eſt, & nemoribus obſita; ipſi autem Ituræi ob ſortilegia priſcis temporibus male audierunt.

T R A C H O N I T I S, ET TERRA HVS.

Nomina. TRachonitis, ſi Poſtello fides, Hutz in Sacris Litteris nominatur; verum alii, id ſolum dicunt, terram nempe Huz, ſive Vz, ultra Iordanem collocatam, ſinu contineri Trachonitidis.

Fines. Trachonitis non mediocris eſt regio, ſed provincia in modum regni ampliſſima, Palæſtinam inter ac Syriam. Quæ illius pars Septentrioni objacet, reſpicitque Damaſcum, contermina eſt deſerti Arabiæ, quod attingit Boſram Petrææ Arabiæ. Incipit à Monte Libano, ad Iordaniſque ſcaturigines, expanditurque in longitudinem ad lacum proximum Tiberiadis; in latitudinem vero ab Arphas viculo ad Iulias uſque civitatem.


Huz. Terra Huz, Auſitis nomine à 70 Interpretibus indigetatur. Plures olim inibi fuere civitates; cujus argumentum eſt id quod dicitur, omnes Auſitidis reges, variis obſtrictos eſſe ſuppliciis. Collocatur in hoc tractu Tzueta civitas, Iobi Pyramide exornata, quæ & ævo Brocardi oſtentabatur, quam ſuis quoque temporibus ibidem fuiſſe Poſtellus aſſeverat. Sed & Adrichomius Theman adjicit, Eliphas amici Iob claram natalibus, ut & Baldad Suithes. Eſt autem Brocardi ſententia Terram Huz Trachonitide comprehenſam, ipſum fuiſſe Iobi Principatum; Suetamque quatuor à Iordane milliaribus, parique à Chorozaim intervallo conſtituit in parte Aquilonari. Accenſetur quoque Naamath, ſecundum id quod in libro Iob exaratum eſt. Porro urbes aliæ ſunt Gaulon, quæ ad Gaulanitidem pertinet; Seleucia, quæ quadantenus vergit ad Aquilonem; Cedarque civitas, quam Ioſephus Carmel appellat; hæc præalto inſidet monti, ubi vaſta ſeſe diffundit planities, tabernaculorum ſeu tentoriorum Cedar nomine inſignita. Gaulanitis autem, eique ſimiles, modicæ ſunt regiunculæ, quæ à ſuis civitatibus nomen acceperunt; ipſæ verò in Trachonitide ſæpenumero confunduntur.

Qualitas. Aër hujus provinciæ ſaluberrimus eſt; agerque frumenti, vini, nec non & olei fœcundiſſimus. Solum equidem petroſum eſt & aſperum, necnon antris paſſim excavatum & cuniculis, quos Græci Τραχῶνας vocitant, ſuntque ii ſubterranei, quibus & ipſi incolæ aquas è cœlo decidentes colligunt, quo terras ſitientes irrigent; hac itaque ratione fœcundas efficiunt; pratis etiam & paſcuis abundant, queis numeroſiſſimos ovium aliorumque animalium greges nutriunt; at viventium ſcaturigines aquarum hac in regione penitus deficiunt.

Opes. Profecti olim è Syria, Meſopotamia, aliiſque provinciis Mahometani, in planitiem adventabant Suetæ proximam, atque ibi ſua peragebant commercia, campeſtrium amœnitate allecti; impræſentiarum autem iiſdem in campeſtribus, quæ ſunt tabernacula Cedar, frequentiſſimæ adhuc nundinæ celebrantur, ſub tentoriis vario colore diſtinctis, præclaroque adeo ordine diſpoſitis, ut aciem potius dixeris ad congrediendum ordinatiſſimam.

A R A B I A.

Nomina.



Rabia generatim sumta, *Harab*, & *Hereb* sive *Ereb* Hebræis appellatur, Ammonitasque, Moabitas & alios comprehendit populos in sacris memoratos litteris, Arabes quoque Scenitas, de quibus frequens est apud Historiographos mentio; Minæos etiam, Sabæos, itidemque alios Strabone, Plinio atque Ptolemæo huic regioni assignatos. Verum præcipui inter Arabes Agareni sunt & Saraceni; illi quidem à priscis Arabibus El-Hegarim, aut El-Magherin vocitantur, Petrææque sunt habitatores; hi vero ab iisdem Arabibus El-Sarak nomen acceperunt. Ipsi etiam hujus regionis incolæ, Arab illam nominant, Arabistan autem finitimi.

Figuram habet Arabia quadrangularem, & veluti peninsulam efformat, aut Chersonesum, pelagoque terno ex latere verberatur; etenim ab Ortu, Persico sinu clauditur, seu Harmutz freto, quod à Perside illam dirimit; ab Occasu autem Mari Rubro, sive sinu Arabico, aut freto Mequitano, quod eam dividit ab Africa; à Meridie Indiarum mari, seu Oceano Indico; ab Aquilone denique nonnullis fluminibus disterminatur, quæ inter præcellit Euphrates, Syriæque & Chaldææ contermina est.

Divisio. Tres in partes dividitur Arabia, in Petræam nimirum, Felicem, & Desertam, de quibus seorsim dicetur inferius. Amnes quod attinet, quorum in suis cujusque provinciis distincta erit delineatio, illud non temere prætereundum est, præmittere nimirum Arabes fluviorum insigniorum nominibus Xat vocabulum; Kor autem aut Wed addunt appellationibus minorum amnium; qui quidem mos & apud Hispanos invaluit, dicunt enim Wedelquebir & Vedyana; corrupte vero Guadalquebir, & Guadina enunciant.

Qualitas. Illæ tres Arabiæ tantis caloribus exuruntur, ubi sol propius imminet, ut nisi rore noctu decidente refrigerarentur, vix possent habitari, præterquam certis in margine fluviorum lacuumque positis sedibus, eoque rarius, quo amplius imber decidit, in iis præsertim plagis, quæ mari adjacent; qui autem procul à mari incolunt, tempestivis quibusdam pluviis perfruuntur. Qua Persidem respicit Arabia, stupendus supramodum perflat ventus æstiva tempestate; vocatur ille ab indigenis Gurim, qui obvia quæque urit nimio calore atque siccitate, coria & pelles contrahit, faciemque & manus exsiccat, & si quando corpus afflaverit, in modum ignis persentitur; attamen quanto vehementior extiterit, tanto & aqua frigidior, quam alia quavis tempestate.

Fontes. Flumina. Scatet Arabia fontibus, multisque fluminibus irrigatur, ex parte præsertim sinus Persici; sunt & scaturigines calidarum aquarum, quæ plurimis ægritudinibus sanandis saluberrimæ sunt. Licet autem multæ illius plagæ infœcundæ sint & steriles; aliæ tamen sunt feraces, necessariamque annonam affatim suppeditant; imo Tigrim inter & Euphratem, agro gaudet adeo pingui, ut & à pabulo grex abstrahendus sit, ne nimia repletione moriatur. Aliqua etiam ex parte palustris est hæc regio, excipiendoque sementi inidonea; unde & principium ducit parœmia, ut qui laborent perperam, Desertam Arabiam inseminare dicantur. Tot etiam nonnullibi scatet arenis, ut qui Mekam proficiscuntur peregrini, pixide nautica indigeant, quo certiùs iter dirigant, ne quemadmodum ii qui mare navigant, ipsi quoque de vita periclitentur; si quando enim ventus vehementior excitatus fuerit, arenis illico sepeliuntur; quin & plurimi, ut à volitantibus arenulis sese tueantur, arculis ipsi ligneis gradiuntur inclusi, exiguisque spiraculis aërem attrahunt.

Soli qualitas.

Fructus. Pascuis abundat hæc regio alendis quibuscunque animalibus, præsertim vero camelis. Dactylos profert & limones aliosque suavissimos fructus. Thus in sola colligitur Arabia; præstantissimum autem apud Dofar invenitur; certa est gummi species, ex arborum truncis defluens, ut & storax; ibi & electrum invenitur, quod à Medicis Karabe, ab Arabibus vero Karobah nominatur. Myrrham quoque producit Arabia, quamvis ut plurimum ex adverso Rubri Maris latere, Æthiopia nimirum, proveniat, ex Melindæque promontorio.

Suppeditat etiam illa maximam mannæ copiam, exportaturque Basoram quædam illius species spissiori melli simillima. Imo & totâ passim Arabiâ reperitur nobilissimum illud aroma, quod à Medicis *Schem Anthos*, ab Hispanis *Paja de Camello*, seu *de Meka*, Stramen Cameli, aut Mekæ vocitatur; & quidem utrumque illi nomen convenientissimum est; Meka quippe jacet in Arabia, herbaque apud illam excrescens, camelis in pabulum subministratur. Præ cæteris autem balsa-



ARABIA.
Milliaria Germanica Communia.
Septen 75 trio.
Meri 75 dies.
Occidens.
Oriens.
ARDEN.
AGGARA.
Beriara Desertum.
ARABIA DESERTA.
ARABIA PETRÆA.
AYAMAN
Olim ARABIA
Elcatif Desertum.
Desertum Theama.
MASCALAT.
Tropicus Cancri.
FELIX
Medina
Mecca
THEAMA.
MARE ELCATIF olim SINVS PERSICVS
PERSIÆ PARS.
Basora
Gamaron
Mascalat
ORMVS
MAFFA.
Maffa
BESCHARIN.
AMANZIRIFDIN.
Amanzirifdin
ALIBINALI.
Alibinali
Deserta Vasta.
GVBELHAMAN.
Gubelhaman
IRMIN.
Chenna
FARTACH
HERIT
ZIBIT
Zibith
ADEN.
Mocha
Aden
Fretum Babel mandel
Suez
AFRICÆ PARS.
MARE RVBRVM Olim SINVS ARABICVS
MARE MECCA
MARE ARABICVM et INDICVM.
Zocotora Insula, Hinc optima Aloe, ad nos vehitur.
DANGALI.

5.

balſamum, nardus & cinamomum aſſignantur.

Nutrit quoque hæc regio numeroſos equorum, camelorum, aliorumque animalium greges, de quibus ſuis in locis verba faciemus. Illud porro inſigne eſt, quod & priſci annotarunt, viperas ſcilicet Arabiæ balſami contubernio in tantum delectari, ut ſi quem forte momorderint, nullo tamen inflictum ab illis vulnus veneno inficiatur.

Lapis Lunaris. Invenitur & hic lapis Selenites, aliàs Lunaris dictus; qui non perperam hoc nomine inſignitur, ſuâ enim Lunam figurâ refert, illâque creſcente creſcit, decreſcente decreſcit.

Corporis habitus, & Indoles. Arabes, ut plurimum deformes ſunt & macilenti, exſuccique, ſtrigoſi, ac fuſci, voce potius ſequiorem ſexum referente, quam maſculum; oculos habent nigerrimos, truci quodammodo ac immani aſpectu; nonnulli etiam Æthiopum nigredinem præ ſe ferunt; ad latrocinium proclives ſunt, neque furari ullatenus erubeſcunt, aut gratis efflagitare, quæ alias adipiſci non poſſunt; quodque deterius eſt, ſuas petitiones, favorem aut beneficium aliis collatum reputant; quòque amplius petierint, plus etiam poſtmodum expetunt. Superſtitionibus ſunt addicti, ut & vindictæ, perturbatores Reipublicæ, & uſque ad nefandum Sodomiæ ſcelus in omnem libidinem effuſi.

Studia. Qui incertis pererrant ſedibus, paſcendis deducendiſque gregibus invigilant, nec ideo à latrociniis abſtinent; alii autem negotiationi inhiant; plurimi vero cervorum, damarum, aliarumque id genus ferarum venationi indulgent. Cæterum adeo inertes ſunt & otio dediti, ut & agriculturam prorſus negligant, omnemque artem mechanicam; neque honeſta ulla ratione, neceſſaria vitæ compendia exequantur. Attamen qui in civitatibus agunt, laudabilius vivendi inſtitutum proſequuntur.

Connubia. Tot in matrimonium uxores ducunt, quot libido ſuggeſſerit, nec ullam earum, quod faciunt Turcæ, repudio donant; verum numerato etiam pretio illas ſibi comparant, atque alia ex familia nequaquam aſſumunt.

Lingua. Arabum lingua toto propemodum orbe diffuſa, uſque adeo nunc invaluit, ut in ſacris etiam adhibeatur, præſertim in Africa, apudque Mahometanos omnes; qui nec aliam ſuis in gymnaſiis edocent erudiuntque juventutem; quin & in Europa viget, tota quaquaverſum Græcia, Macedonia, Thracia, partibuſque variis Tranſylvaniæ, Valachiæ, & Moldaviæ, Hungariæ, Serviæ, Bulgariæ, Boſniæ, Sclavoniæ, & Dalmatiæ. Sua quoque lingua nobis dederunt Arabes Aſtrologiam, Medicinamque ſuis omnibus numeris abſolutam.

Beduini. Sunt autem nonnulli Arabes, Beduinorum nomine ab aliis diſtincti, incertis palabundi ſedibus, vagique una cum familiis per Arabiæ ſolitudines. Illi ſane miſerrimi ſunt, inopes, nudi, aut ſaltem non alio amictu, quam pellibus animalium ab ipſis occiſorum contecti.

Turkimani. Viſuntur quoque paſſim per Arabiam Turkimani, ſeu Turkomani, Turcæ ipſiſſimi, è Turkeſtano primum oriundi; qui & ruri agunt, agreſti more, eaſdemque ſedes, quas pridem Arabes occupabant, ipſi nunc poſſident eorumque familiæ ac greges per turmas diſpertiti, quas Tayffes appellitant; Arabes vero, Cabiley; Tartari, Hordas; quæ voces variæ, idem omnino ac Tribus ſeu ſtirpes denotant.

Opes. Cenſus Arabiæ ex equorum multitudine ampliſſimus evadit, quos in Indiam venum ducunt negotiatores; habet illa quoque regio numeroſos camelorum & caprarum greges, maximamque aromatum cæterarumque id genus mercium copiam.

Vires. Multis pollent armis reges Arabes, & quidem machinis igniariis quibuſcunque, magnis nimirum & minoribus. Porro vagabundi, de quibus nuper, contos habent ex arundine Indica, ferro præacuto utraque ex parte inſtructos, decemque aut duodecim oblongos ulnis, quos quidem ipſi equo vehentes aut camelo, humeris geſtant noſtrorum more contorum; iis vero ſumma omnino dexteritate utuntur, quemadmodum & arcubus atque ſagittis, enſibus, ſcutis, ac denique acinacibus latis ac quodammodo recurvis.

Regimen. Vagabundi Arabes ſecundum diſtinctas inter ſe ſtirpes, Tribus, aut familias, ab invicem diſcernuntur. Dominis, quos Xequorum nomine exornant, ſemper tamen inter ſe diſſidentibus, ipſi gubernantur. Turcicæ ſunt juriſdictionis cæteri; aut Perſarum parent Monarchis, vel regibus aliis ſpecialibuſve Dynaſtis; aut demum ſui ſunt juris, quamdamque Reipublicæ formam præ ſe ferunt.

Cæterum ſuos Reges appellant ipſi Arabes, Sultanos & Maleck; quod poſtremum nomen vernacula eorum lingua Angelum notat; quandoque uſitatiori etiam vocabulo Xequos vocitant, quaſi diceres Seniorem, aut Cafilæ Caput; nos autem Regulum diceremus. Baſſa Cairi in Petræam quaquaverſum Arabiam, pro Turca gerit imperium, atque in nonnullam Arabiæ Deſertæ portionem, quæ & Beglerbegi ſubjacet poteſtati; Illa autem quæ Felicis titulo gloriatur, ab Aden & Zibit Beglerbegis regitur ea parte, qua Turcicæ eſt ditionis.

Religio. Arabia Mahometanos maxima ſui parte habet habitatores; attamen nonnullos etiam alicubi Chriſtianos, imo & Cœnobitas Arabes in

bes in monasteriis Sinai montis atque Tor civitatis degentes, nec non & in iis, quæ secundum oram Rubri maris, inque solitudinibus ac Desertis posita sunt. Illi porro monachi Græcanæ ritibus Ecclesiæ sunt addicti.

ARABIA PETRÆA.

Nomina. Arabia Petræa, hoc à Petra urbe primaria cognomentum accepit; alias autem Nabathæa; in sacris vero litteris *Syria Sobah* vocatur: complectitur illa Cedar, Amalecitarumque & Madianitarum regiones. Hodie tandem Barraab, & Bengaucal aut Rathal-alhaga nominatur.

Fines. Limites, ab Ortu quidem Desertam habet Arabiam; ab Occasu, Ægypti solitudinem, Rubrum inter Mediterraneumque Mare insidentem; Ab Aquilone Palæstinam & Syriam; ac demum à Meridie, Rubro Mari ac montibus Felicis Arabiæ terminatur.

Paucis admodum locis regio hæc inhabitatur; extant enim ibi vastæ illæ solitudines, quibus commorati Israëlitæ annis fere quadraginta. Non procul ab Ægypto visitur in tractu Geocalensi, Caras ejusque desertum, ab aliis Charac dicta, olim ampla civitas, nunc urbecula, à Petra civitate itinere unius diei dissita; cui assidet Mons Hor nominatus, juxta quem Deus in populum iratus ignitos serpentes horribiliter effudit, adversusque illos immisit, quod propter manna tædio affecti obmurmurassent; succedit Eliagar, monsque Oreb, sive Choreb, pars montis Sinai, ubi Moses percusso silice limpidissimarum rivos eduxit aquarum; in quo & Elias aliquandiu secessit. Conspicitur etiam in valle montis cacumini subjecta templum eo loco extructum quo creditur Elias habitasse; exiguumque Saranda Pateres cœnobiolum ad montis radices situm. Nec procul est Marat, ubi amaræ prius aquæ, injecto in eas ligno dulces evasere; quod ipse Moses miraculose præstitit. Posthæc eminet mons Sinai, *Mons Melanes* seu Niger, à priscis appellatus, quemadmodum & Tur ab Arabibus, à Iudæis Sur, à Turcis denique Turla; quibus etiam nominibus tota ipsius regio insignitur. Cæterum plagam occupat Madianitidem mons Sinai. Visitur in eo monasterium non ignobile sub auspiciis D. Catharinæ, quo & hospites peregrini excipiuntur. Illud vero ad ima montis Oreb assidet, præaltis obseptum mœnibus, ne latrones irrumpant; ibique S. Catharinæ corpus asservatur, cujus etiam intactæ à putredine manus conspiciuntur.

Mons Hor. Oreb. Aquæ Marat.

Desertum Pharan, & Sinai. Desertum Pharan nullis prorsus aquis irriguum, à monte Sinai usque ad Cadesbarne, undecim itinere dierum protenditur. In eo 38 annis commorati sunt Israëlitæ, ubi nec aqua illis defecit, nec manna, imo nec vestes aut eorum calceamenta ullatenus sunt attrita; ibi etiam plusquam sexcenta hominum millia morte consumpta sunt, nedum computatis mulieribus & parvulis.

Montes. Petra. Montes deinde Out, Magara & Sadmor reperiuntur; Petra quoque civitas, quam Iosephus Arecem, & Arcen appellat; imprægentiarum verò Arach, vel Herach nominatur. Iacet in valle montibus obsita, estque quodammodo inaccessa.

Bosra. Bosra, quam moderni Bussereth, & Burseth vocant, huic etiam regioni à Ptolemæo assignatur, qui eam Bostra indigetat; civitas ortu Philippi Imperatoris nobilis.

Rabbath. In ipsis hujus provinciæ finibus, superstites quædam Rabbath Moab, seu Rhabmathon reliquiæ visuntur adhuc ab habitatoribus. Tor vero, olim Hermopolis, locus totius regionis celebratissimus est, ad quem iter ducit è monte Sinai per vastam planitiem, quæ ad mare rubrum porrigitur, cujus littori Tor incumbit. Exornatur autem urbis nomine, cum exiguus tantùm sit viculus, quia frequentissimus est illuc pertranseuntium appulsus. Eo loci mare Rubrum transfretarunt Israelitæ, quod hac in parte ad novem milliaria protenditur.

Qualitas. Laborat hæc regio aquarum penuria, præterquam iis in locis, quæ ab Arabibus incoluntur. Plurimæ in ea sunt solitudines infœcundæ, steriles, asperæ, totque arenis oppletæ, ut perflante Borea in montis veluti ascendant congeriem, necessumque sit per hæc deserta invia proficiscentibus pixide nautica duci, ne aberrent ab intento itineris scopo. Nullus hîc tritici proventus; in vallibus solùm Sina monti adjacentibus, quædam legumina colliguntur; brassicæ etiam, lactucæ, allia, porri, cepe, cæteræque id genus herbæ communes ibi reperiuntur, atque absynthium.

Vinum. Est autem illis summopere proficuum vinum illud generosissimum, quod ex Arabum, Christianorum, Armenorum, Græcorumque cultura exoritur. Alabastrum quoque albedinis eximiæ profert Arabia, littus quoque maris corallium producit, quod ab ipsis Arabibus Chavein nominatur, estque intus variis in locis concavum.

Alabastrum.

Pisces. Copiosissima est in urbe Tor piscatura, sed præsertim ingentium maris testudinum; quarum testa, domorum januas magnitudine adæquat.

Animalia. Numerosos alunt gazelarum greges, per montem Sinai discurrentium; ipsa autem quaquaversum regio camelis abundat, aliisque animalibus.

Mores. Hujusce tractus Arabes prolixa sunt capillatura horridi; uni duntaxat latrocinio vacant.

Illorum proceres in urbibus commorantur, plebecula vero sub tentoriis, cum maxima camelorum copia promiscue.

Opes. Consistunt in urbe Tor Cafilæ, seu Turmæ Caravanicæ, asportantes ex Meka, Felici Arabia atque ex India, piper, zingiber, nuces myristicas, caryophylla, laccam, sanguinem draconis, & macer.

Parent hujusce regionis incolæ, Cairani Bassæ imperio, cui itidem pars Desertæ Arabiæ subdita est.

Religio. Arach seu Petra civitas, & pleraque alia hujus regionis oppida à Mahometanis Arabibus incoluntur; ipsi autem à Iudæis Gug, à Turcis Magug vocitantur; Supersunt & nonnulli in Arach Christiani, à Zona cognominati. Inhabitant etiam montem Sinai Calogeri Græci atque Arabes. Porro Christiani Græci, Arabes, & Armeni in urbe Tor reperiuntur.

ARABIA FELIX.

Nomina. Felix *Arabia*, olim *Sabéa*, & *Saba*, ab Hebræis *Seba* dicta, sumpto à Saba filio Chus nomine, à modernis vero Latinis auctoribus Arabia Secunda, hodie tandem ab Arabibus *Mamatto* nominatur.

Fines. Habet à Septentrione regio hæc utramque Arabiam, Petræam nimirum & Desertam, quarum juga fere per medium eam dispertiunt binis veluti brachiis, quorum unum ad ostia seu fretum Babel-mandel, aliud vero ad Rasalgatense promontorium pertingit; cæteris vero ex lateribus mari clauditur; ab Occasu nempe Arabico æstuario; ab Ortu, Ormuz seu Persico sinu; à Meridie demum, maximo mari Rubro, ipsisque Fartach & regni Aden promontoriis. Porro littoris illius ambitus ad 3500 milliaria protenditur.

Regna. Varia complectitur regna felix hæc regio; horum celebriora sunt Aden, Fartach, Zibith, & nonnulla regni Ormuz portio.

Flumina. Multis quoque felicitatur fluminibus, quorum ea censentur præcipua quæ originem ducunt è montibus Anna, Balcath, Elon, Zimas, Bendecar, atque aliis. His vero nominibus vocitantur, Caybar, Lantrecath, Cozerath, Nazeran, & Zibith, qui regni ipsius, quod præterfluit, nomine insignitur.

Oppida. Nobiliores Felicis Arabiæ civitates, juxta oram positæ in ipso Petrææ Arabiæ egressu, sunt Imbo mercatorum frequentia celebris, deinde Zezzan oppidum non procul à Camarana Insula dissitum; in ipso autem regionis gremio, exigua ab Imbo intercapedine sedet Azzelan, & Medina, Talnabi, id est

Medina. Prophetæ civitas. Communis vero est ratio nominis Medinæ, omnemque denotat locum, in quo populi frequentia reperitur; ideoque solent Arabes, cum additamento ponere, quatenus unus ab altero discernatur; quemadmodum & apud Hispanos Medina Celi dicitur, Medina Cidoni quæ & Sidonia, & Medina del Campo, ad majorem harum urbium distinctionem: at Persæ, atque Arabes Medinam vocant per antonomasiam, urbem istam, quandoque etiam Medinæ el Naby titulo exornant, quod significat Prophetæ civitatem; quæ quidem trecentas numerat ædes lapide extructas; muri quoque illius lapidei sunt. Vrbis hujusce Mosquéa, in qua loculus est Mahometi, figura constat quadrangulari, centum habens passus in longitudine, octuaginta vero in latitudine, duobus admittit introëuntes ostiis, navique exornatur egregie concamerata, 400 lateritiis, quæ dealbatæ sunt columnis subnixâ, quibus & 3000 lampades appensæ sunt.

Visuntur in hoc templo loculus tumbaque Mahometi, etsi Mekæ civitati à nonnullis assignetur; attamen quia loculum hunc ferreum esse plurimi existimarent, magneteque lapide ad testudinem suspensum; eam ob causam, ut vulgarem hunc errorem tolleret Radzivillus Princeps, scripsit se pluribus à Turcis ad Mahometi tumulum peregrè profectis certo didicisse, pheretrum nequaquam fitum in aëre, sed præcelsis, exilibus tamen, columnis impositum, in loco angusto atque obscuro, accensarum splendore lampadum duntaxat illustrato; unde qui eminus prospiciunt, suspensum credunt, qui si propius accesserint, columnas percipiunt, quibus loculus sustentatur.

Meka. Meka, sive Mokah, olim Mochura, quaternorum à Medina dierum itinere sejuncta, aut quantum diebus decem posset Caravana progredi, sexaginta scilicet ad summum leucis, urbs est egregia populisque frequentissima, sex ædium millibus iisque elegantissimis, ac bene materiatis, exculta; attamen mœnibus nequaquam circumsepta est, sed montium jugis undique circumvallata; quaternoque tantum ex latere introeuntes admittit.

Conspicitur urbis in medio Templum eximium; nonaginta, aut centum in circuitu januis insigne, præclaraque testudine undelibet exornatum. Eminet autem circa templi medium turris, ubi primam sibi ædem extruxisse Abraham circumfertur; seu potius, ut narrat Ioannes Andreas Alphaqui, ubi primam Ismael Beitallam, id est, Dei domum ædificavit. Turris verò ipsa quinque aut sex passus in quadro complectitur.

Ziden. Vrbis Mekæ portus est Ziden, quæ olim neque fossis, neque mœnibus ullis cingebatur, sed nitentes tantum ædes juxta pelagus ostentabat; paris eam cum Meka Medinaque sanctitudinis censent Mauri, cœptaque est mœni-

mœnibus obſepiri à quo tempore Luſitani appulerunt. Circumferunt etiamnum incolæ protoparentem Evam in una Moſquéarum juxta urbem ſepultam.

Zibit regnum. Occurrit deinde Zibit, regni, cujus eſt metropolis, nomine inſignita. Duodecim leucis diſtat à pelago; opulentiſſima eſt, pulchra, ſingularique opere exculta.

Aden regnum. Aden, primaria quoque regni cognominis civitas, Madocea olim dicta, & veluti ad oſtium Rubri maris poſita, in convalle validiſſimis ex uno latere muris; ex altero autem præruptis montium cincta jugis, quibus caſtella quinque inſident in excubias inde ſolventium, atque illuc appellentium navigiorum. Vrbs illa ſex mille reſplendet ædibus; priſco quidem ævo in Continenti condita; hodie vero artis induſtriâ in formam velut Inſulæ eſt redacta.

Vrbes. Habet regnum Aden eadem in ora civitates Hodeidam & Maham, à Turcis expugnatas; habet quoque Cubit & Zazer oppida. Quindecim autem ab Aden milliaribus conſpicitur Lagi in amœna planitie, populoſa civitas; indeque unius itinere diei urbs Ajas diſſita, duos jacet inter colles, in quorum medio lætiſſima vallis excurrit, in qua mercatus celebratur. Decurſo poſtea duorum itinere dierum, Dantia munitiſſimum oppidum, quod in monte poſitum eſt, invenitur; peractâque rurſus viâ ſimili, cernitur Almacharana civitas in cacumine montis ad ſeptem milliaria aſſurgentis; quam duo duntaxat eodem tempore poſſunt adire, quod via ad illam deducens nimium anguſta ſit; emicat autem urbs in planitie gratiſſima, multiſque ædificiis apprime exornata; emenſo poſtmodum unius diei ſpatio apparet Reama, bis mille frequens ædibus, monte ad latus adjacenti, caſtroque inſuper extructo munitiſſima. Producto deinde dierum tredecim itinere Sana viſitur, in monte conſtituta, quæ quidem quaterna circiter domorum millia numerat; ad decem ulnas aſcendunt illius mœnia, habent autem ſpiſſitudinem ulnarum viginti, ac poſſunt deſuper equi octo, una veluti acie incedere. Illius ædes elegantiſſimæ ſunt, tantuſque eſt urbis ambitus, ut vites plurimas, & prata, nec non & viridaria includat ampliſſima noſtroque more exculta. Porro Taëſo tribus à Sana diebus diſſita ſedet in montis vertice; à Damera uno tantum abeſt die; plurimis illa mercatoribus, iiſque opulentiſſimis gloriatur. Tandem reverſus ad oram, quæ Aden & Sartach promontorio interjacet, non ignobilia invenies loca, Abiam ſcilicet, Ar, Canacam, Brum, Argel, Xaël regni Herit caput, Cayem quoque ſeu Caxem civitatem, quæ ſeptem leucis Occidentalior eſt Fartach promontorio.

Ceterum Fartach regnum, quod & Fartas, cujuſque habitatores dicti ſunt Fartachini, olim urbes habuit Xeſequi, Diuphar, & Pecher juxta oram maritimam, vocabaturque illius metropolis Fartach, ſeu Fartas; verum hodie Diuphar ſeu Dophar Turcicæ ditionis eſt.

Saba. Norbanta poſt enumeratas jam urbes ſuccedit, fere ex adverſo Curiæ Muriæ; hocque loci, ſi vera priſcorum opinio, inſederunt Sabæi. Saba vero ſeu Sabah quod attinet, in editiſſimo monte, paſſimque arboribus conſito conſpicua eſt, diſtatque abs Hieruſalem leucis Francicis amplius 600. A Curia autem Muria uſque ad Raſalgate promontorium, quod à Barboſa Facalphat indigetatur, olim Siagria, plaga eſt leucarum 120 ſteriliſſima; ibique ager regni Ormuſenſis incipit qua ducit in Arabiam; indeque ad Mocandan promontorium ad 87 leucas ora ſe extendit, cui imminent varia hujuſce regni loca, Calayata ſcilicet, olim Metacum, Curiata, Maſcata, Soar, Calaya, Orfacan, Doba, & Limma, quæ leucis octo cis Mocandan promontorium reperitur; quæ autem duo hæc inter promontoria expanditur regio, Hyaman Arabice vocatur; hæc eſt ipſiſſima Felix Arabia, potiorque & feracior totius Arabiæ portio. *Hyaman.*

Continentis regna, & Loca. Penetranti interiora hujuſce regionis loca, ſeſe offerunt Gilbilis, Gublelchama, ſedes regia, dein Herbaliama, Corſa, Negrama, & Amanſiphilirina ſuo etiam rege nobilis; adeſt & Caſimurta, Maraina, Elachaier, & Alibinali ſuæ quoque regionis caput; ſuccedit Magiaraba, Haim, Haſta, & Moffa regia civitas, Curiæque ſeceſſus.

Nec ſilentio prætereunda ſunt Miga, Mirigata, Sira, Dephina, Carut, Marimata, & Apola.

Reſpublicæ. Sunt & vaſtis in campeſtribus aliæ civitates atque Reſpublicæ, Mantila nimirum, Nazzua, Balia & Zacchi, adeo contiguæ, ut ab una alterius gallorum cantus vociferationeſque percipiantur.

Loca oræ maritimæ, & Continentis. Vbi vero Mocredam promontorium attigeris, in ora perſpicies Corſcan, Dadenam, Raccolimam, Calbam, & Bochablam, Berouam, olim Bilenen, Puzzam, Mociam, Macin, & Liman, in ipſiuſque regionis viſceribus, Tiagorzatam, Cantam, Zochar, & Ormagadam. Cœptum jam iter proſequere oram legens, & ecce tibi Martimoz, Feid, Carburſa, atque Maſcalata ipſa regni caput; Tomuſſa quoque, Imen ſeu Imin; qua transmiſſa apparet tum demum Laſſacha, urbs clariſſima caputque provinciæ Bahaem inſulæ adjacentis; quam & hodie Turcicum ſibi vendicat imperium. Ad hanc etiam regionem pertinet portus Katifenſis ſeu Elkatifæus, à quo Sinus Perſicus nomen aſſumpſit, *Laſſach.*

Laſſa-

Lassachæque ditioni ac regimini subjectus est, utpote Turcicæ possessionis. Persico autem portus iste adjacet æstuario, è regione Baharem. Inventâ postmodum Alazzâ, Desertam Arabiam ingrederis.

Qualitas. Felix Arabia, Petræam Desertamque cœli bonitate superat. Almachara, si quæ alia regio, aëre saluberrimo potitur; attamen illi præcellit Reama, plurimi enim inibi vitam ad centum & viginti annos protelarunt. Nihilominus apud Ziden multi sæpius infirmitate laborant ob aëris malignitatem.

Pluribus quoque refrigeratur fontibus Felix Arabia, est quibusdam in partibus fontium penuria, qui defectus in Almachara reperitur; sed fontis vice, aquas affatim suppeditat cisterna, potui centum mille hominum sufficientissima.

Solum. Ager etiam feracissimus est, iis præsertim in locis quæ nonnullis amnibus irrigantur, hordeumque & triticum ac fructus suavissimos magna copia gignit, mala nempe aurea, citrea, persica gratissimi saporis, ac denique maximam alliorum, cepe ac cucurbitarum abundantiam.

Aromata. Profert & palmas ingenti multitudine, myrrham, thus, cassiam; sed juxta Dualfar, seu Diufar, thus & præstantius, & copiosius quam totâ quaquaversum Arabiâ invenitur.

Animalia. Nutrit autem Felix Arabia leones plurimos, tygres, leopardos, nec non & numerosos ovium, boum, mulorum, equorumque greges. Sunt & in eadem regione camelorum velut agmina; ovesque inibi caudam habent oblongam.

Corporis habitus. Littoris accolæ olivastrum vultu colorem præferunt, Abissinis similes; qui vero ipsam regionem incolunt, Almacharenses nempe, maximam partem candidi sunt; at Beamenses coloris sunt utplurimum subnigricantis. Porro jam pridem observatum est, quod hujusce regionis incolæ, staturæ elegantia cæteris præcellunt Arabibus.

Indoles. Cæterum hi Arabes venationi summopere student, laboribus addicti, arrogantes, tumidi, ad bella idonei; maximo pollent ingenio, ingentesque fovent animo conceptus, solo rationis ductu præclare ratiocinantur, simplicium medicamentorum cognitioni impense vacant, imo & Poëticis incredibiliter afficiuntur. Tandem negotiationi, reique familiari amplificandæ nullo non tempore invigilant.

Opes. Maximum faciunt ex aromatibus, equis & monilibus proventum; præcipua verò Aden negotiatio est rubiæ tinctorum, quæ quotannis viginti millium onere equorum ad regiones exteras exportatur; aqua etiam rosacea, uvis passis & opio quæstum augent. Maximum etiam in Cairo, passimque apud omnes Indos Orientales commercium extat. Aden mercatus noctu celebratur propter intolerabilem, qui viget perdiu, caloris æstum; illucque ex India, Æthiopia, & Persia ob frequens commercium naves appellunt.

Regimen. Turcæ paret quædam hujus regionis portio; ipse enim ab anno 1538 regna Aden, Zibit, & Zidem suo subegit imperio; ex quo tempore Turcarum Imperator Beglerbegum suffecit in Aden, qui hisce in oris jus diceret. Califa quoque non procul ab Ormuz finibus, & Mascata, ab anno 1642 Turcicæ sunt ditionis; sed plurimum abest Turca ab integra Felicis Arabiæ possessione.

Religio. Cultum profitentur Mahometanum hi Arabes, in varias divisi sectas; qui enim montem incolunt urbi Ajaz Occidentalem, Mahometem sectantur, & Homar, aliosque illius sodales; qui autem altero degunt in monte, Ali doctrinæ addicti sunt, Persarumque affectantur opinionem, atque dictitant, alios hæresi esse attaminatos; hacque demum ratione violentas invicem manus inferunt.

Medinæ devotio. Quæ vero Medinæ exercetur devotio, hujusmodi est: ante ingressum Medinæ, uno die consistit Caravana juxta puteum, quo quisque abluitur, nitidissimusque efficitur; postea in urbem admissi, ad sepulturam Mahometi unanimes proficiscuntur, ibique vota peragunt, perlustrantque sepulturam; at neque loculus ferreus, neque chalybeus, neque magnes perspiciuntur: inde vero Mekam iter instituunt, quam solita etiam devotione venerantur. Ceterum Mahometani omnes, illud veluti exploratum, certissimumque existimant; quod quicunque Medinam peregre proficiscuntur, maximæque intersunt solennitati, quæ Septembri peragitur, sanctificati sunt, suæque salutis securi; neque aliud quicquam ad Paradisi introitum postulari, adeo ut eos Agi vocitent, hoc est Sanctificatos.

ARABIA DESERTA.

Nomina. ARabia Deserta, ab Hebræis Cedar appellata, à modernis vero Prima seu Inferior Arabia, ab ipsis autem Barbaris, Arabia Sam aut Xam, id est, Syriæ, quod sit illi contermina, Beriari etiam nominatur.

Fines. Hæc regio ab Orientali parte oram attingit Babylonicam secundum textum montium, qui ab Euphrate ad sinum Persicum extenduntur; ab Occidente in Trachonitidem, Petræam, ac Syriam sese porrigit; habet autem ab Aquilone Mesopotamiam; & à Meridie, montes Felicis Arabiæ, partemque Sinus Persici.

Loca. Quamvis hæc Arabia, Desertæ nomen præferat, suos tamen sortitur incolas nonnullis in locis, præsertim juxta Euphratem. Ad Sinum

Sinum Persicum hæc cernuntur loca, Carmodibara, Cuës, Costacha, Conga, Monahon, Ratama, Toron, Carazzarique fluminis ostium, atque Euphratem, cui Ana, illiusque Desertum imminet.

Ana. Ana civitas, quæ Arabicæ pœnam seu molestiam denotat, amni Phorat sive Euphrati, ab utraque fluminis parte insidet. Inde exeunti, atque in Alep tendenti se offert vicus nomine Sukanus, à voce Arabica Sukan, quæ ebullientem significat; jacet ille binos inter montes, militari præsidio circa medium munitus. Postmodum ad Taybah devenitur, locus ducentis frequens ædibus, habens ex cæspite fortalitium, ruinis alterius lapidei superextructum.

Sukana.

Mexat Ali. Mexat Ali, seu Mam Ali; id est, Mesquita, aut Domus Orationis Ali, regionis hujusce urbibus etiam accensetur, à millibus fere annis condita, ad lacum ab Euphrate efformatum, aut alteri ipsius amnis brachio imposita, duodecim à Bagadad milliaribus.

Mexat Ocem. Mexat Ocem, aut Ocem Mesquita eadem in regione visitur. Discinctum quidem est oppidum, sed quater mille domibus excultum. Huic etiam tractui assignantur Chrau & Beriana, proximumque illi desertum cognomine; ubi sæpenumero è Damasci finibus ad plagam Bagadad transmittentes, stupendos per aëra fragores percipiunt, quasi turmarum in medio obequitantium, aliasve hujusmodi illusiones, quæ summum Caravanis terrorem incutiunt.

Saba. Saba, hodie Simiscasac, Arabiæ Desertæ civitas; è qua processisse feruntur tres Magi sive Sapientes, qui à stirpe Balaam, ac Zabaistarum genus deducebant, firmissimisque probabant argumentis mortuorum resurrectionem; perperam autem è Felici Arabia exisse circumferuntur.

Qualitas. Hic tractus aërem habet temperatissimum, excepta duntaxat eâ regione, quæ Bagadad respicit, illa enim aëris perpetuo fere nebulosi gravitate laborat; ex paludibus quippe, quas gignit per campestria diffusus Euphrates, exoriuntur pruinæ ac nebulæ; qua eadem ex causa, Sukana etiam civitas male audit.

Ager. Amplissima est hæc provincia, sed tota fere montuosa, sterilis & arenosa, nec non in vasta diffunditur campestria juxta Babylonem, quæ quidem deserta sunt; ab Ortu quoque palustris est; attamen nec aëris gravitas, nec æstus aut pluviæ, quicquam officiunt, quominus præstantissimos gignat fructus, iis in locis, quæ debita sedulitate coluntur. Quin & vineæ corbibus terra oppletis insitæ, usque adeo propagantur, ut ad palmitem alendum fovendumque sufficiant; ac nonnumquam terra ipsa, aquis illuc affluentibus aggeritur. Qui plus ad Occidentem tractus proclinat, pluribus scatet arenis, illoque proficiscentibus, Cynosuram, velut in mari navigantibus aspicere necesse est.

Fruges. Copiosissimus est hordei, dactylorumque proventus in adjacentibus ad Euphratem locis; & juxta Mexat-Ocem, frumentum magna vi nascitur, hordeum, legumina, fructusque alii nostris persimiles; attamen arbores paucæ admodum inveniuntur.

Animalia. Oves & capras aliaque id genus pecora, quorum in vepretis senticetisque deliciæ, maximo Deserta Arabia numero nutrit; fovet & camelos, qui inibi ob amplissima lætissimaque pascua atque ob aëris salubritatem summopere delectantur.

Mores. Eleganti statura prædití sunt hujus Arabiæ habitatores; vivuntque ævo longiori. Pleríque omnes Mexat-Alyenses lacteo colore nitent; iis etiam Ana incolæ sunt persimiles; quam sint autem formosæ mulieres Sucanæ, narratio fidem superat.

Indoles. Pessimæ sunt indolis Mexat-Aly cultores; unde & viæ regionis istius frequentissimis ex latrociniis diffamatæ sunt. Hoc tamen inter illos laudabile reperitur, quod quibuscunque illac iter habentibus, aut inibi consistentibus, eundem quo vescuntur panem liberalissime præbeant. In quo quammultis præcellunt populis Arabes.

Studia. Qui deserta incolunt, vitam ducunt pastoralem degentes sub tentoriis, unde à Græcis Scemitæ seu Nomades appellantur. Cæteri commerciis & agriculturæ vacant.

Regimen. Turcæ paret hæc regio, exceptis Agiaz-Rach & Tif provinciis, quæ Persarum regem Dominum agnoscunt; in quibus tamen & ipse Turcarum Imperator rerum ex parte potitur ob cultum & religionem; quicunque enim Aly dogmata sectantur, ipso Turca Protectore utuntur. Verum licet summus Turcarum Cæsar Præfectos huic provinciæ sufficiat Ianissarios, quin & Timarios; attamen Regibus Dynastisque Arabibus subjacent hi tractus, qui jura vectigaliaque colligunt, pro quibus exiguum Turcæ solventes tributum, in recognitionem supremi illius dominii, ab omni debito absoluti recedunt.

Religio. Cives Mexat-Ocem ritus sectantur Mahometanos, ut & cæteri hujusce regionis accolæ; sed sunt Raphazis, vel Xyahis, id est sectam Aly profitentur, civium ritu Mexat-Alyensium; unde & quamcumque aliam abominantur sectam Maurorum, Iudæorum, atque etiam Christianorum.

Insulæ ad Arabiam pertinentes.

SORIDAN, sive ZOBETH.

Nomina. Prima Arabiæ Insula, qua vergit à Septentrione ad Meridiem, Soridana est, ab Arabibus Zobeth appellitata. Illa non procul abest à Continenti; *Situs.* à Tor urbe, quæ illi è regione objacet, triginta sex à monte Marsovan leucis, quæ etiam ad Orientem respicit Arabiæ promontorium, quod sese in pelagus decem aut duodecim circiter leucis porrigit; Æthiopia clauditur à Meridie; ab Occasu Troglodytide; ipsâ denique à Septentrione Palæstinâ. Habitatoribus satis frequens est Insula, multisque locis eleganter conditis exculta.

Qualitas. Nullum aliud frumentum habent Insulani, quam quod illis terra firma suppeditat; nonnullis tamen in locis hordeum, avena, milium disseminantur, præsertim in collibus, ubi regio temperatissima est. Ibi etiam fabæ & pisa nascuntur, quæ quidem legumina in locum panis adhibent.

Indoles. Insulæ istius incolæ deliciis summopere dediti sunt; & in libidinem carnisque lasciviam ruptis omnibus repagulis effusi.

Arma. Sagittas lanceasque, quas ex cannis conficiunt, veneno etiam intingunt, adeo ut quicunque iis confixus fuerit, nusquam mortem effugiat. Turcarum dominio subjacent; Mahometani sunt; quibus Christiani quidam permixti reperiuntur, qui tamen nec honestiorem cæteris vitam profitentur.

ZEIBAN.

Zeiban, maxima Sinus Arabici Insula, ad Felicem quoque pertinet Arabiam, sedecim ab Alepensi ora milliaribus. Porrigitur ab Aquilone ad Meridiem triginta leucis in longitudinem; in latitudinem vero paulo plus duodecim.

CANARAN.

Nomina. Quam Arabes Insulam Cademoth vocitant, Canaram hodie nomen sortita est, sedetque juxta Arabiam, centum & septuaginra abs Zinden milliaribus, quinquaginta autem à Dalaccia seu Dalacca Africæ Insula, eodem in mari posita, proxime ad Zezzan, Felicis Arabiæ, quatuor ab ora Arabiæ milliaribus, tribus à Zazer regni Aden civitate, atque à Bebel-mandel 44, in medio fere Sinus Arabici.

Ambitus. Hispanicas quatuor leucas seu quinque Gallicas colligit ambitu; portuque satis commodo est instructa. Ipsa quidem Insula duos habet portus; verum is, qui Becdanic nomen obtinet, in ipso ingressu periculosissimus est; vocatur alter Kalvacal, cujus ad lævam est fortalitiolum in terra pingui extructum, ubi diu noctuque vigiles excubiæ inopinatum præcavent hostium appulsum. Quæ juxta portum urbs assidet, trecenta tantum ædificia continet.

Hujus Insulæ habitatores coloris sunt subfusci, staturaque pusilli aut saltem mediocres; tanta pollent probitate, quanta ceteri Arabes; piscationi indulgent: nudi incedunt masculi, nulloque capitis aut reliqui corporis amictu, præterquam simplici circa verenda linteo. *Commercia.* Dactylorum, jujubarum, suique tritici, ac zingiberis vim maximam ad littus Continentis deferunt.

Regimen. Insula hæc Turcicæ ditionis est. *Religio.* Anno 1593 quidam Italus Ecclesiastica dignitate insignitus, cum ad partes vellet transire Abyssinorum, à Turcis in ea interfectus est. Isti porro Insulani Mahumetani sunt.

CURIA MURIA.


Nomina. Curia Muria, pro unica solùm Insula à quibusdam computatur, quamvis duæ sint Insulæ justo divortio ab invicem distinctæ.

Situs. Modico à Bebel-mandel spatio dirimuntur, quatuor aut quinque à continenti leucis, totidemque à regno Fartach, nec procul à Guardafu promontorio versus Aquilonem, atque ex adverso Norbatæ Felicis Arabiæ civitatis.

Qualitas. Copiosissima est eò loci piscium exquisitissimorum, ut & candidarum testudinum captura, quarum testa singulari nitet pulchritudine. Habitatores agriculturæ insudant, bella abominantur, pacis amantissimi.

Opes. Laudatissimas, pretiosissimasque testudinum de quibus jam diximus, testas commutant aliis mercibus negotiatores; ex iis enim elegantissimæ arculæ, aliaque sumptuosissimæ supellectilis miracula conficiuntur. Permutantes autem, orizam, frumentum, textiliaque accipiunt Indica, quibus omnibus insula maxime locupletatur. Anno 1503, Insulani contagio Mahumetismi erant infecti, nec credam postmodum ab hac peste convaluisse, præsertim cum omnes in circuitu regiones, hoc & verbis & ritibus venenum illis indesinenter afflaverint.

PERSIA.



Persarum regnum antiquitus occupabat, quicquid in Asia inter Hellespontum ad ultra Indi ostia, & à Ponto ad sinus Arabici fauces continebatur. Hodie vero Persarum sive Sophorum imperium clauditur à Septentrione Hyrcano sive Caspio mari, & Oxo flumine Caucasoque monte; ab Oriente Indo; à Meridie mari ac sinu Persico: ab Occasu Euphrate amne & Tigri, qui in illum immergitur, Niphatices jugis, & Araxe fluvio, qui in Hyrcanum mare evolvitur.

Termini.

Imperium majorum.

Initio rerum penes Assyrios Asiæ, id est, terrarum, quæ nunc sub Turca & Sopho, imperium stetit. Postea ad Medos devolutum. Ab his ad Persas per Cyrum translatum. Dein Macedones, Alexandro Darium debellante, occuparunt. Mox cum pars Romanorum imperio cederet, Parthi, vilis antea atque ignava gens, potentissimum in Asia regnum condiderunt. Magnis exinde cladibus Romanos afficientes, donec ipsi à Turcis & Saracenis adflicti fuerunt, regnumque eorum divexatum. Tandem Persarum virtus atque nomen in Sophis iterum emersit, Ismaële rege potentiam imperii sui maxime stabiliente. Regiones hîc olim fuere, *Gedrosia, Carmania, Drangiana, Arachosia, Paropamisis, Bactriana, Margiana, Hyrcania, Aria, Parthia, Persis, Susiana, Assyria, Media.*

Regiones veteres.

Gedrosia.

Gedrosium, quæ nunc *Xhesimur* & *Guzarare*, à magno Mogoli Imperatore devictam, in illius regni descriptione videre est.

Regiones hodiernæ.

Hodie Persarum sive Sophorum universum Imperium in regiones divisum est, quorum nomina:

I *Hyrack.*
II *Parc sive Fares & Farc.*
III *Aderbajon sive Adarbigian.*
IV *Gueylon sive Guylan.*
V *Corasan sive Korason.*
VI *Kermon sive Kerman.*
VII *Regnum Harmuz & Insula in Sinu Persico, vulgo Ormuz.*
VIII *Siston, sive Sagistan.*
IX *Macron sive Getche-Maquerona.*
X *Regnum Candahar.*
XI *Maurenahar & Turquestan.*
XII *Vzbec Tatarorum provincia.*
XIII *Kurbestan provincia.*
XIV *Cusistan sive Churestan.*
XV *Irach altera.*

Arabes & Persæ duas regiones insigniunt nomine *Hyerack*, quarum uni tribuunt pro limite Bagdad, quæ successit in locum antiquæ Babylonis, & haud longe distat ab ejus ruderibus: altera citra hanc versus Persiam, includit multa regna & principatus, præter provinciam *Hyerack* poprie dictam. Posteriorem vocant *Hyerack Agemy*, id est Persiæ: alteram *Hyerack Araby*, quæ & Ægyptum aliasque provincias complectitur, à Bagdad versus Occidentem. Porro *Hyerack* Persiæ magna & nobilissima provincia est, cujus hodie metropolis est *Hispahan*, vulgo *Spahan*, regis Persarum ut plurimum aula, commerciis & annonæ copia longe præstantissima. Ambitus cum suburbiis creditur esse XII milliar. Alii XIV esse ajunt.

Hyrack.

Spahan, metropolis.

Ispahan hodie Persarum Imperatoris regia; sita est ad ripam fluminis, duobus supra triginta gradibus ab Æquatore versus Arctum & viginti quinque scrupulis: (eandem quoque latitudinem prodit Vlugbeeckius & alii Arabes; longitudinem autem numerant ab extremo Africæ littore sex gradus supra octuaginta & quadraginta minuta.) Cincta est terreno vallo, modicæ altitudinis undiquaque: fossa minus lata & æstivis mensibus fere sicca: continet intra vallum octodecim aut plura ædium millia, eleganter & magnifice substructarum; quæ desuper planæ sunt; & amœnissimos hortos, qui perpulchra stagna habent adjuncta.

Regis palatium, principali rerum venalium foro imminens, longe sumptuosissimum est, parietibus intus & extus eleganter pictis & deauratis: forum autem patet in longitudinem quidem septingentos passus, in latitudinem vero ducentos quinquaginta: ante palatium jacent triginta machinæ bellicæ ab Harmuzio advectæ, sed hactenus indigestæ.

Ambiunt forum hoc undiquaque proceræ arbores, & domicilia æqualiter edita ex coctilibus lateribus substructa, cum suis concamerationibus sive cellis, in quibus auri atque argenti fabri, gemmarii, aromatarii degunt: quemadmodum & ad alterum latus ex opposito horum, visuntur officinæ mercatorum, qui varias merces præsertim sericas venales habent: & variæ cauponæ, in quibus varia edulia parata inveniuntur: ambit item forum torrens inter duos muros è vivo saxo eductos conclusus, qui ad utrumque fori cornu influit in octangulas cisternas: à quibus



PERSIA
Sive
SOPHORUM
REGNUM
Nobilissimo
Prudentissimoque
Domino,
D. SIMONI VAN HOORN,
CONSULI ET SENATORI
urbis Amstelædamensis &c.
Ordd. Belgicæ fœderatæ nomine
ad Magnæ Britanniæ Regem
LEGATO
EXTRAORDINARIO,
Tabulam hanc D.D.
J. Blaeu.
Scala leucarum, sive Farsangarum 3000 passuum: quibus Persæ et Mauri, qui magnam Asiæ partem occupant, hodie locorum intervalla metiuntur; quæ mensura et vox cum antiquo vocabulo Parasanga conveniunt. Ceteri fere Asiatici per dies locorum distantias numerant.
Milliaria Germanica communia.
MARE HYRCANUM sive CASPIUM
Ruthenis Chualenska More. Maris Bohar Corsun ie, mare clausum dicitur, alys aliter uti Mare de Bachu, Cunzar, Giorgian, Terbestan Corusum, è regionibus & locis vicinis Lacus totius orbis maximus est, salsus, magna copia piscium abundans.
DUCIS MOSCOVIÆ SIVE RUSSIÆ IMPERATORIS CONFINIA.
TARTARIÆ PARS.
TARTARIA SIVE IMPERII MAGNI CHAMI PARS.
MAGNI MOGOLIS IMPERII PARS.
TURCICI IMPERII PARS.
ARABIA DESERTA
ARABIÆ FELICIS PARS.
MARE ELCATIF SINUS PERSICUS.
MARE INDICUM olim MARE RUBRUM.
MARE MAGGIORE.
Sub Tropico Cancri
Septentrio.
Meridies.
Occidens.
Oriens.
SERVAN
MESANDARAN
STARABAT.
COR ASSAN.
CANDAHAR.
CABUL.
SIGISTAN.
CIRCAN.
FARSI.
LAR.
ORMUS.
CUSISTAN.
DIARBECH.
SAMARCHAND.
BUCCARA.
BALCH.
Desertum Lut

denique sub plateis, quæ concavæ sunt ad varias ædes & hortos derivatur.

Ad unum fori latus visitur sumptuosissima Mesquita, marmoreis parietibus, ad quam tredecim gradibus ascenditur ex uno marmore excisis. Ad alterum Moneta sita est, ad quam transitur per porticus, sub quibus quoque plures visuntur officinæ, in quibus prostant varii panni serici, lanei atque gossypini: etiam vestes omnis generis, calcei atque ocreæ & similia. Sunt & aliæ præterea plateæ desuper tectæ, in quibus variorum artificum mechanicorum officinæ visuntur.

Ædes autem plurimæ reperiuntur in oppido, quadratæ formæ & diversæ molis, quas vocant Caravanseras, in quibus mercatores tam peregrini quam indigenæ diversantur, certo pretio in singulos menses. Quales & in cæteris urbibus & pagis, atque agris offenduntur, insigni itinerantium solatio & opportunitate.

Arx sita est ad partem urbis quæ Eurum adspicit, imprimis ampla, duplici muro & fossa clausa; cum turribus quadraginta; adhæc aliquot machinis bellicis munita; in hac habitat Vezirius Regis, cui custodia Arcis & Thesauri Regii qui ibidem asservantur, est demandata.

Tolerantur quoque in urbe duo monachorum conventus, Carmelitarum nimirum & Augustinianorum.

Habet urbs duodecim portas, quarum prima appellatur *Dalwaât*, à qua via ducit ad aliquot Armeniorum pagos, quos vocant Gendemân.

Secunda *Hassenabad*, à qua via pertinet ad Persiæ metropolim Schiras, iter est sex dierum.

Tertia *Kherroen* ducens ad Gowerestan & Yesd, quinque dierum itinere.

Quarta *Seydach Madeyan*, à qua via ducit ad *Candaharam*, *Lahoram*, & reliquas partes Indiæ.

Quinta *Toubara*, quam egrediuntur versus Thermas seu calidas scaturigines, quæ tridui itinere distant ab oppido, & *Rowdest* ab ipsis vocantur.

Sexta *Tochzii*, à qua via pertinet ad Cassian trium dierum itinere & semis; ad Casbin octo; ad Taurisium viginti; Gilan tredecim; Ferrabad novem, aut decem, & Kom sex. Extra hanc solent Mahumetani dominicis nostris diebus, festum celebrare, quod Tammachiam vocant, & meretrices atque omnis generis suaviludii & scurræ convenire.

Septima *Decridest*, à qua via ducit ad Bagdat quindecim, & ad Ardevil sedecim dierum itinere.

Octava *Lamboen*, quæ ducit ad eadem oppida, ad quæ superior.

Nona *Chaarbagh*, à qua via ducit ad Luaen tridui itinere: atque ad Abecouram montem totidem: hunc montem è durissima petra constantem, jam plurimis annis conatus est Rex perfringere, & amnem qui secus oppositum ab oppido latus labitur, ad oppidum & illius agros traducere. Anno CIↃ IↃ C XXIV supra ducenta millia operarum in eo desudasse ferunt; duces enim & magnates Regni, tum inter se certaverant, ut opus absolverent: nam tantum ducenti passus in longitudinem, & centum quinquaginta cubiti in altitudinem restabant. Tantum tribus mensibus hic quotannis operari licet, ob acre frigus & altas nives, quæ cæteris mensibus montem occupant.

Reliquæ tres portæ hodie clausæ sunt; nimirum *Mergh*, quam apertam, pestem & annonæ inopiam oppido esse allaturam, superstitiose credunt.

Kaly, quam itidem summam annonæ caritatem invecturam metuunt.

Gouldesta denique, quam Rex convertit in pulcherrimam domum, quæ despicit in amœnissimum locum quem vocant *Chaerbagh*; qui pulcherrimis arboribus in ambitu cinctus est, & ab utroque latere silicibus stratus; medium secat amnis *Zinderoend*, lapideo ponte stratus, quem regalem vocant; hic amnis dividit se in quatuor ramos, & mox in plures minores alveolos, qui varias oppidi ædes & hortos permeant. Influunt præterea in sex cisternas, quas vocant *Thankas*; quarum una sita est juxta viridarium regium, quod dicitur *Hasergeis*, longe amplissima & plano fundo atque æquali, cum pluribus fontibus & canalibus: ab hoc viridario usque ad pontem, utrimque sunt educta sumptuosa ædificia, & in medio semitæ canalis è vivo saxo; à ponte itidem utrimque pertinent ædes usque ad magnificum Regis palatium; ita ut Chaerbagh ab hoc palatio ad viridarium Hasergeris, in longitudinem pateat fere integrum milliare.

Extra oppidum sunt aliquot suburbia, nullo vallo murove cincta; quorum unum vocatur *Golfa*, sive ut alii scribunt *Ciolfa*, à sex millibus familiis Armeniorum habitatum, quos Rex superioribus annis è patriis sedibus huc traduxit. Horum ædes splendore & magnificentia certant cum oppidanis: sunt enim Armenii hi plerique opulenti, utpote industrii mercatores, qui pannos sericos, glastum & alias Indicas merces emendo & Halepum, Constantinopolim atque adeo ad Europæas provincias deducendo, maximum quæstum faciunt. Sunt quidem Christiani, sed sectæ Armeniæ: diebus Mercurii & Veneris abstinent à carnibus, piscibus, butyro & caseo, omnique pinguedine: neque quicquam illis diebus manducant præter panem, aut oryzam

zam aqua ebullitam, mel, olera & arboreos fructus. Observant & quadragesimam ad Romanorum normam; jejunantque ante quædam festa majora, octo & interdum quatuordecim diebus. Ita ut pene dimidiam anni partem ad supra dictum modum jejunent. Desponsant liberos suos admodum juvenes, & ubi ætatem nubilem attigerint, conjunguntur in templo: viduis ad secundas atque adeo tertias nuptias transire permittitur, numquam aut rarissime ad quartas. Sacerdotibus vero etiam secundas nuptias interdicunt. Superstitionum & ceremoniarum suarum sunt retinentissimi.

Gauwerabad alterum suburbium habitatur à *Gawrisiis*, quos Rex huc traduxit è Gawrestan & Yesd; sunt autem antiqui Persæ, gentiles, quique etiamnum ignem colunt: horum familiæ numerantur hic circiter quingentæ: gens longe melioris fidei & probior, quam sunt Persæ Mahumetani; mercatores industrii, gnavi agrorum cultores. Mares sunt robusto corpore, & usurpant vestes à reliquorum Persarum amictu diversas, præsertim quoad colorem; fœminæ quoque illorum validæ & obœsæ, quæ longe aliter vestiuntur quam Persicæ in Hispahan: neque velant faciem, uti illæ; neque tam impudicæ judicantur. Marium autem vestitus longiuscula est tunica, & variegati coloris vitta.

Abassabad tertium suburbium, in quo inter quinque & sex millia familiarum degunt, è Taurisio advenæ, & Mahumetanorum Persarum religionem colentes: plurimi inter hos sunt nobiles, qui aulam quotidie frequentant; reliqui mercatores; hic quoque insignes ædes & horti visuntur.

Chamsabad quartum suburbium, quod à paucis Armeniorum familiis habitatur.

Assennabad quintum suburbium, in quo degunt circiter ducentæ, aut ducentæ quinquaginta familiæ Georgianorum, qui itidem sunt Christiani, sed variarum sectarum, uti alibi in itinerariis notatum invenies. Hi quoque cultu atque amictu nonnihil differunt à Persis. Virgines autem Georgianæ inprimis sunt decoræ & pulchræ.

Cheigh Sabanna sextum suburbium, incolitur itidem ab Armeniis, quorum ibi centum, aut centum quinquaginta familiæ numerantur. Ioannes de Persia scribit Hispahan civitatem supra octuaginta millia civium continere, præter infinitum numerum advenarum: id liquere ex diversoriis, quæ habet fere sexcenta, Persæ vocant Caravanseras: balnea, quæ vocant Hamam, habet trecenta: officinas mercatorum omnis generis decies mille; ambiri autem à fluvio Senderu. ager ipsius humilior & fere riguus, unde & cœlum hic non admodum salubre. Hanc veterum Hecatonpylen arbitratur. Ornant illam turres ad minimum centum, altissimi & elegantissimi operis; inter quas eminet illa quæ est in equili Regis, cujus fastigium è craniis cervorum compositum scribit, quos uno die Rex Thamas venando occiderit supra triginta millia.

Proximum post metropolin locum meretur *Yasd* vel *Yesd*, oppidum itidem amplum & inprimis amœnum, atque pannorum sericorum textura maximè nobilitatum. Paulus Venetus appellat illam *Iasdi* mercimoniis & serici textura celebrem; Iosaphatus vero barbarus *Iex*, mœnibus amplissimam, & quinque mill. pass. in circuitu patentem, ubi quotidie decem mille pondo venduntur, incredibili silentio & celeritate, nec sermone ullo intercedente, quod pretium singulis authoritate publica inscriptum sit. Circa hanc urbem reperiuntur hodieque ignicolæ, qui fanum habent in propinquo monte *Albors*, ubi à temporibus Kaiomarrhati hucusque jam ultra XXXV secula ignis continuo arsit. Vlugbekius & alii Arabes constituunt hoc oppidum ad latitudinem duorum & triginta graduum. Dein *Kaxon* secundum Texeiram, oppidum famosum, sericorum pannorum omnis generis textura & agri imprimis fertilitate; hic enim exquisiti fructus nascuntur, præsertim mala cotonea, quæ per excellentiam *Caxton* appellantur.

Kom quoque sive *Comm* magnum oppidum, habens versus Arctum pontem lapideum. Nubiensis vocat *Com*, & dicit ab Asbahan (ita vocat *Ispahan*) distare itinere bidui.

Saoah Texeiræ, Nubiensi uti suspicor *Savan* distans à *Com* XXXVI mill. pass. & à *Mascuna* XXVII mill. pass. nisi forte sit *Sauwa*, cujus Vlughbekius prodit longitudinem LXXXV grad. & latitudinem XXXV. Cujus quoque Elmacinus meminit; portatus (inquit) est *Sawam* prope Hamadanum, atque ibi mortuus est.

Kazuin siue *Casbin*, oppidum celebre (inquit *Texeira*) ad quod Persarum Imperator Xa-Thamaz regiam suam transtulit, post Taurisium vulgo *Tabriz* à Turcis captum & direptum. Ioannes de Persia scribit hanc urbem supra centum millia oppidanorum numerare; Mesquitas sive Mahumetanorum templa quingenta. Palatium Regis longe maximum est, ita ut quartam partem leucæ in longitudinem occupet. Sita autem est in amœna & fœcunda valle, quæ tridui aut quatridui iter patet in longitudinem. Oppidanorum ædes neglectim structæ sunt, è lateribus tantum ad Solem duratis, ut fere sunt reliqua ædificia per totam Persiam. Vlugbekius & Arabes ut supra vidimus tribuunt illi longitudinem quinque & octuaginta graduum & trigin-

triginta ſex minutorum. Nubienſis refert ad regionem Algebal id eſt montanam, & quidem inter regiones minores, licet quidam opinentur hanc eſſe de terra *Deilan.* Et iter ab Hamadan ita deſignat; ab Hamadan ad *Nareſtan* XXX mill. paſſ. ab hoc ad Aved XXIV mill. paſſ. ad Cazvin duæ dietæ. Addit his Texeira *Amedon*, quam Nubienſis vocat *Hamadan*, dicitque ingentem eſſe urbem, diſtareque ab Aſtarabad XLV mill. paſſ. Benjamin Iudæus vocat *Hemdan*; ipſa eſt vetus Madai (Mediæ metropolis, inquit Schikardus, à quo litteræ non abludunt) civitas ampliſſima, ubi degunt ex Iſraëlitis tantum 50 mill. viri. Nam ibidem ante quandam Synagogarum, ſunt monumenta Mardochæi & Eſtheræ. Fuit autem hæc urbs à Muſilimis capta anno Hegiræ XXIV una cum *Elbira*, non illa (inquit Schikardus) quæ jacet ſupra Raccam ad Euphratem, ſed altera in regione Addeilam circa urbem Kazwin. Tribuit autem huic urbi Hamedan Vlugbeeckius & Arabes longitudinem trium ſupra octuaginta graduum, & triginta quinque graduum & decem ſcrupulorum latitudinem.

Adjungit deinceps *Texeira* oppidum *Nahaond*, quod Nubienſis vocat *Nahavand*; ſcribitque ab Hamadan diſtare XLVIII mill. paſſ. à *Rudhan* XXI mill. paſſ.

Et deinceps *Targazin*, *Damaoand* & *Taharon*, de quibus nihil comperi.

Rey Xarear vel Schariar, inquit *Texeira*, ubi manna colligitur, ſed inferioris notæ: Nubienſis videtur hoc oppidum appellare *Ray*; & iter ab Hamadan ad illam deſignat; ab Hamadan ad *Sava* XC mill. paſſ. à Sava ad *Ray* 50 mill. paſſ. Vlugbeeckius & Arabes collocant ad longitudinem octuaginta ſex graduum & decem ſcrupulorum, & latitudinem triginta quinque; quibus alii addunt XL ſcrupul.

Ad hanc quoque provinciam pertinet *Sultania*, quam Iovius putat exſtructam fuiſſe è ruinis Tigranocertæ. Nomen hoc (inquit Leonclavius) eſt conſequuta à Sultanis, quod Perſiæ quondam fuerit regia, Sultanique ſedes & domicilium. Vlugbeeckius & Arabes produnt longitudinem illius quinque ſupra octuaginta graduum, & latitudinem triginta ſex grad. & XXX ſcrupul.

Adduntur his ab aliis *Chocherarond.*

Hulwaen, quam Nubienſis vocat Holvan.

Fermaſin, de quo nihil inveni.

Cachraward, *Gerpadekân*, *Zamren*, nihil nobis de illis obſervatum.

Chiwâr, quam Nubienſis videtur appellare *Giouâr* LX mill. paſſ. à *Schiraz*.

Aba; Nubienſis vocat urbem parvam, & nullis mœnibus cinctam; ſcribitque diſtare à *Fahrag* LXXV mill. paſſ. à *Rudha* LIV mill. paſſ. à Murgia ſolitudini contermina levem ſtationem; à qua ad *Schiraz* ſint XXXVI mill. paſſ.

Parc Provincia.

Parc (quam Arabes efferunt *Fares* & *Farc*) una eſt è majoribus & melioribus hujus Imperii provinciis. Metropolis eſt *Schiras*, nobiliſſima urbs & antiquiſſima, omni genere commeatus abundans, & commerciis florentiſſima.

Schiraz diſtat ab Æquatore verſus Arctum novem & viginti gradibus, & ſex ſupra triginta ſcrupulis: condita eſt in valle præfertili, complectiturque hodie ſupra decem millia focorum: eminus accedentibus pulcherrimum præbet adſpectum, ob altas illius turres è ſplendentibus ſaxis conſtructas, & hortos atque viridaria, vernantibus cupreſſis conſita, quæ undique illam cingunt; in hiſce viridariis reperiuntur omnis generis fructiferæ arbores: rigantur autem certis canalibus è vicino flumine derivatis, quemadmodum & agri qui ambiunt, plures quoque hic reperiuntur fontes. Naſcitur hic præſtantiſſimum vinum totius Perſiæ, & venundatur admodum vili pretio. Laudatiſſima autem roſarum aqua, ad varias & longinquas regiones deportatur. Ager ſuburbanus tritici & aliarum frugum feraciſſimus eſt: oves hic ferunt lanam criſpam cinerei & candidi coloris, & caudas ita grandes & obeſas, ut interdum octodecim, & non rarò viginti libras pendant. In ſylvis naſcuntur paſſim arbores quæ maſtychen exſudant, excipitur patellis quæ ramis applicantur, coloris primum viridis, qui ab æſtu vitiatur. In hac urbe tolerantur à Perſarum Imperatore duo conventus monachorum, qui partim ſunt Itali ordinis Carmelitarum, partim Luſitani, ordinis S. Auguſtini. Concionantur lingua Perſica, Armenia & Arabica. Auditores Armenii maxima ſunt parte. Pauci admodum gentiles aut Mahumetani, quia indigenis vetitum eſt, vel hilum de mutanda religione cogitare. Pertinent ad hanc provinciam *Aſtachar*, quæ olim videtur fuiſſe metropolis; *Laar* ſive *Lara*, ut Portugalli efferunt, à qua urbe ſortiuntur nomen *Laris*, numiſma ex argento abſolutiſſimo, notiſſimum & uſitatiſſimum per totum Orientem; urbs hæc regni particularis caput fuit, & ſuperioribus annis ab Abbas Rege fuit capta, uti paulo poſt dicemus; anno CIƆ IƆ XCIII ut narrat Texeira, afflixit illam horrendus terræ motus, qui ſupra mille ducenta domicilia proſtravit, plurimaſque ciſternas (quibus ſalus civium conſtat, ſiquidem tantum pluviis aquis utuntur) disrupit, & ſupra tria millia incolarum obruit.

Oppidum Larum ædificatum volunt à Pilaes filio Firoës, poſt cujus deceſſum ſucceſ-

ſit

sit Gorgion Melech, vir valde magnanimus, qui super montem, qui oppido à Septentrionibus imminet, amplum & validum castellum fecit communiri, & regnum est auspicatus. Hunc ex ordine secuti sunt duo supra triginta Reges, quorum postremus fuit Ebrahim Chan, quem Xa-Abas anno cIɔ Iɔ c I I regno spoliavit. Arx à Persis diruta fuit, & alia rursus excitata commodiore loco, nimirum super montem qui ab Austro propius oppido incumbit. In oppido numerantur circiter quatuor millia domorum, planis tectis, cum certis foraminibus instar fumariorum. Nullo vallo cinctum est, natura tamen loci satis munitum, cingitur enim undique asperis montibus. Incolæ sunt robusto corpore; qui potissimum agris colendis, & camelis, asinis, mulis & omnis generis animalibus pascendis dant operam; maximam quoque partem inserviunt mercatoribus, ad merces illorum ultro citroque vectandas. In medio oppido est forum rerum venalium, desuper tectum, sub quo plures visuntur officinæ omnibus mercibus & annona omnis generis refertæ. Cingunt oppidum amœnissimi horti, in quibus plurimæ fructiferæ arbores sunt consitæ, imprimis quæ dactylos ferunt. Regitur à præfecto sive Kady. Arx jam sita est super præruptam petram, ad quam angusto calle ascenditur, ita ut vix duo equites uno ordine possint incedere, supra tamen nonnihil dilatatur: oblonga est Arx, & muro è vivo saxo cincta, valde edito; in illa sunt circiter ducenta domicilia, quinque æneæ machinæ, Hispaniarum Regi ademptæ, & centum delecti milites. Ferunt in armamentario arma conservari quæ tribus millibus instruendis sufficiant. Duos tantum habet puteos, qui jugiter quidem scaturiunt, sed aquam subsalsam: unde hic aquam pluvialem excipiunt atque conservant sex cisternis. In oppido quoque nullæ habentur aquæ nisi pluviatiles, quas similiter excipiunt cisternis, quarum ad quinque millia tam in urbe, quam extra, in illius tamen ambitu, dicuntur reperiri: & quidem publicas, ita ut cuivis ad eas pateat accessus, tecto superius opertæ. Vnum & maximum vitium est hujus regionis, quod tam crebro terræmotibus vexetur, quibus non raro plurimæ ædes prosternuntur.

Ad regnum Laræ volunt quondam pertinuisse *Bender-Gomrow*, ubi Lusitani arcem ædificarunt ad sinum Persicum, postquam Harmuzio fuerant potiti.

Hunc autem locum ita à nostris inveni descriptum: *Gamrou* distat ab Æquatore versus Arctum septem & viginti gradibus: estque municipium ad oram sinus Persici situm, parens hodie Duci Schiraz Yman-Couly; Portugallis ademtum ab Ali-Reeck ejusdem Ducis Legato anno cIɔ Iɔ c XII. Postquam Belgæ nostri hic appellere & commercia cœperunt exercere, tribus, quatuorve annis multo populosius est factum, ita ut jam circiter nongentæ hîc familiæ habitent. Duas habet arces ad latus Meridionale; & versus Arctum, validum propugnaculum ad oram Sinus, pluribus machinis munitum: præsidium Persarum constat ut plurimum ducentis peditibus, & totidem vel etiam trecentis equitibus; si autem majores copiæ Portugallorum metuantur, tenetur Arabs quidam regulus Sevd-Mahumet ducentos exercitatissimos Sclopetarios illis subsidio mittere.

Iis qui à Schiras ad civitatem Hispahan proficiscuntur, offerunt se vasta rudera arcis & palatii Persepoleos, adeo celebratæ ab antiquis scriptoribus. Arabes & Persæ vocant *Chilminara*, quasi dicas 40 columnas: ita enim appellant illas turres, quas Arabes templis suis adstruunt.

Hic supersunt aliquot admirabilia antiquitatis monumenta: ad quæ ascenditur gradibus è petra excisis, adeo latis & planis ut equis eo ascendere liceat; in planicie autem super dictam petram, visuntur primo conclave aliquod, cujus fores è politissimo saxo sunt & variis figuris insculptæ; intra sunt duæ fenestræ è pretioso marmore & ita polito, ut instar speculi reluceant; præterea sunt hic aliquot atria in quibus visuntur cistæ è marmore excisæ, in quibus regius thesaurus olim fuit reconditus; supersunt quoque novemdecim columnæ è quadraginta; & triginta tria prothyra; omnia tam affabre facta & tam elegantibus figuris incisa, ut pictor industrius vix anni spatio cuncta posset delineare. Narrat Almacinus in vita *Muaviæ* Califæ, Ziadum nomine Alis Persidis præfectum Istacharæ commoratum, ibique arcem munitissimam extruxisse.

Ab eadem urbe Schiras versus ortum, jacet lacus salsus circiter octo aut novem milliaria patens in longitudinem, in latitudinem unum, aut paulum supra. Sal instar nivis candidissimus est, itáque spisse quibusdam locis concretus, ut vestigia ferat; verum quum infra concavus sit, non est illi magnopere credendum, facile enim dehiscit, cum summo superstantium periculo.

Sunt & alia oppida, *Tarom, Kazrum, Lastan, Stahabanon, Neriz, Pazah*, & *Daragnero*.

Aderbajon provincia magna quoque, metropolim habet *Tabriz*. Regio annona omnis generis egregie abundans, & commercia exercens cum Russis, Polonis, Circastis, Georgianis, aliisque nationibus. Nonnihil hic argenti effoditur, plurimum autem aluminis & rubiæ tinctorum. Indigenæ appellantur

tur communi nomine *Calanges*. Leunclavius urbem hanc vult esse Tauresium, nunc *Tauris*, Ortelius *Ecbatana*. Alia oppida sunt *Xyrvan*, *Hadarbigan*, *Hordabat*, *Ardevil*, *Halkhan*, *Selmas*, *Chowy*, *Ourmya*, *Merend*, *Marana*, & *Seriar*.

Gueylon Provincia.

Gueylon potissimam partem secundum oras Caspii maris sita est, quod mare undas habet salsas, licet nusquam quicquam commune habeat cum Oceano; Geylan provincia dividitur à Persia vastis & nemorosis montibus, (quibus Persia ut plurimum caret, raros habens montes & rariores sylvas, magnamque lignorum inopiam, præterquam quæ horti & fruticeta subministrant) qui non tam valles, quam rupturas quasdam sive angustias aperiunt, quæ pluviis mensibus, aut quum nix, quæ admodum alta verticibus montium incumbit, liquatur, crebris torrentibus fere inviæ redduntur. Ab oriente vel potius aquilone Mari Caspio concluditur: inter utraque autem, mare nimirum & montes quos diximus, vasta planicies sternitur, tanta incolarum frequentia culta, tamque incredibili serici, oryzæ, frumentique copia referta; ut natura cum industria incolarum certasse videatur, utra frequentiorem aut opulentiorem hanc provinciam faceret; nulla enim pene agrorum portio à cultura vacat; ipsique montes, qui fere petrosi sunt qua Casbinum respiciunt, tam læto gramine sunt vestiti, & tam numerosos alunt pecudum greges, ut etiam vicinis omnibus abunde de commeatu prospiciant.

Dividitur in quinque præfecturas, quarum metropoles hæ sunt: *Raxt*, *Laion*, *Gaxkar*, *Langarkanon*, *Kudam*. Ioannes de Persia vocat metropolin provinciæ Guila *Hichan*, eique attribuit 70000 oppidanos.

Sequuntur ad eandem oram maris Caspii secundum eundem Texeiram:

Mazandaron Provincia.

Mazandaron provincia & urbs à Gueilon versus ortum sita; oppidani sunt robusto corpore atque bellicosi. Ioannes de Persia scribit provinciam *Mazandaran* patere in longitudinem quinquaginta leucas, & viginti quinque oppida continere, quorum caput sit Mazandaron, quod quinquaginta millia civium numerat: provincia est montensis & frigida, ita ut fructus hic raro ad maturitatem perveniant.

Estrabat Provincia.

Estrabat, Provincia, circiter sexaginta leucas per transversum patet; ejusque Metropolis Estrabat supra quinquaginta millia incolarum numerat. Iosephus Barbarus videtur vocare *Stravam*.

Adjungit deinde Texeira *Bostan* & *Sabzabah*, de quibus nihil adhuc observavimus.

Nayxabur Provincia.

Denique *Nayxabur*, provincia Persæ subjecta inter Karason & Vzbec sive Tartariam; amplissima quidem, sed plena desertis, & arenosis locis, quæ continuo moveri & veluti ebullire tradunt. Nubiensis in septima parte Climatis tertii scribit; ex urbibus Naisabur est *Barsin*, urbs frequens atque populosa, distans à Naisabur stationibus quatuor.

In hac provincia reperiuntur gemmæ illæ cynaneæ, quas vulgo appellant Turquosias, quia hæc provincia fines jungit cum *Turquestan*.

Chorasan Provincia.

Ghorasan reliquis Persiæ provinciis nec amplitudine nec opulentia cedit. Metropolis est *Mexat*, civitas ampla & populosa, in qua reges Persiæ post Scachum Ismaëlem Sophy sepulti visuntur. Ager illius fertilis est, & annonæ omnis generis feracissimus: indigenæ formosi & bellicosi. Præter hanc habet *Thun*, *Tabas*, *Kahem*, *Hrey*, *Marwo*, *Herát*.

Kermon Provincia.

Kermon provincia inter Parthiam & Korazonem media, inter primas censetur regni Persiæ, tam amplitudine, quam variarum & multarum rerum proventu, quæ maximi in Oriente fiunt, quales sunt; Aqua rosacea, quam in regno Persiæ habent duorum generum; alia enim fit per infusionem, hanc sua lingua vocant *Gul-Ab*: alia fit per extractionem & alembycum, quam appellant *Areka-Gul*, quasi dicas sudorem rosarum. Prior illa per infusionem in hac provincia maximè usurpatur. Item aulæa sive stragula, quæ à Persis appellantur *Kalichey*, à Lusitanis autem *Alcatifa*; quæ quidem in Iesd sive Yasd pretiosissima & perfectissima texuntur; in hac autem provincia secundæ notæ. Tertio *Tutia*, sive ut Persæ vocant *Tutyah*, quæ solummodo in hac provincia reperitur, in unico monte, qui distat à Metropoli hujus provinciæ duodecim farsangis. Hanc scribit Texeira fieri è gleba hujus montis, aqua mixta, & in vasis argillaceis in furnis excocta; effusa enim aqua postquam ebulliverit, Tutiam hanc vasis adhærere; & reprehendit Garsiam ab Horto, qui è cineribus arboris Gaon conflari tradit. Fert præterea hæc provincia præstantissimum & laudatissimum cuminum, sive ut Texeira scribit, herbam contra lumbricos intestinales, quæ à Portugallis vocatur *Lombriquera*. Eadem provincia producit lapidem quendam nigrum & transparentem & nigris punctulis veluti arenulis respersum: duæ autem hujus lapidis reperiuntur species; una quæ petitur ex provinciis Kermon & Karason, quæ optima est & maximi pretii: altera vilior, quam Persæ vocant *Moky*; quia petitur à Meka sive Mocha ad mare Rubrum sita. Vocant hunc lapidem sive gemmam *Surmah*; utunturque eo Arabes, Persæ & Indi

Indi ad affectus oculorum, quibus egregie medetur, cum aliis simplicibus præparatus: itemque ad ornatum, tam mares quam fœminæ, infucando oculos ut pulchriores videantur; amant enim Persæ oculos nigros, quales fere habent fœminæ Persicæ.

Oppida. Metropolis est *Kermon*, licet alia oppida contineat, *Mungian*, *Vardest*, *Valasegerd*, *Huran*, *Rudhan*, *Rostac*, *Arrostac*, *Sirgian*, *Iazdescir*, *Ravand*, *Mahan*, *Chabiz*, *Girnab*, *Gurost*, *Sura*, *Maun*, *Riaan*, *Bam*, *Fahrag*, *Cquermasin* & *Mastih*.

Harmuz. Regnum *Harmuz* vulgo *Ormus*, ab insula Ormus nomen habet, quæ ambitu circiter sex aut septem millia pass. circumscribit: obtinet autem multa singularia & digna notatu. Ardebat olim, unde longe asperrima est facta: Secat illam mons ab uno mari ad alterum inter ortum & occasum; à cujus radicibus ad cornu Septentrionale ubi oppidum & arx jacet, intervallo quasi unius milliaris, plana est & minus aspera: verum trans montes, nihil habet præter asperrimos colles & horribilia præcipitia. Continet plurimum salis fossilis, absolutissimi sulphuris quoque maximam copiam. Hyeme, qua interdum validissime pluit, torrentes de montibus in planiciem descendentes ab æstu in salem coguntur. Oppidum satis magnum est, licet olim majus fuerit. Emporium est longe celeberrimum, cujus reges tam potentes fuerunt, ut magnæ parti Arabiæ & Persiæ, & toti illi sinui ad Basoram usque imperaverint, donec à Lusitanis oppidum & insula ipsis eriperetur, autore Alfonso Albuquerquio. Proximis annis denuo sibi vindicavit Persa. Sunt & aliæ hic insulæ, *Larek*, *Queixome*, *Keys*, *Angen*, *Andrevy*, *Lar*, *Kargh*, *Barhen*.

Barhen Insula. Insula *Barhen* sita est in meditullio sinus Persici, centum leucis ab Harmuz & totidem à Basora, exiguo intervallo à continente Arabiæ è regione portus Katifæ, quæ est in ditione Lacah, quam Turcarum Imperator possidet. Habitata est Arabibus; Rex autem Persiæ hic tantum præfectum habet & præsidium, ab anno CIↃ IↃ C II, quo illam ex insidiis & per proditionem eripuit Harmuzino Regi. Solo est amœno; abundatque fructibus, præsertim dactylis; triticum parce fert, hordeum modice. Oryza, quam communiter usurpant, ab Harmuzio solet subvectari. Aquas obtinet magis salubres quam dulces, inter quas Nanyah celebrantur; profundissimi sunt putei in medio insulæ; secundum locum merentur, quæ sub marinis fluctibus hauriuntur, ad hunc modum: inter præcipua municipia insulæ censetur Manama ad littus situm; in mari autem quod alluit, altitudine trium orgyiarum, scaturiunt certi fontes aquæ puræ & dulcis, quam urinando utriculis è corio noverunt egerere, & vendunt vili precio. Narrant autem Mahumetani senes, hos fontes in terra quondam fuisse, & à fluctibus fuisse haustos: unde insulæ nomen fuerit inditum, quod in Arabica lingua sonat duo maria à *Bar* mare & *Hen* duo: licet alii opinantur id nomen impositum à duobus amnibus qui decussatim & crucis in modum insulam dividunt.

Margaritarum piscatura. Famosa est insula ob unionum copiam quæ in ambitu & vicino mari capi solent. Duo enim loca in India margaritarum piscaturâ celebrantur; nimirum hîc in Sinu Persico; altera juxta Manar seu in freto quod Insulam *Ceylon* dividit à promontorio continentis, quod *Tutan Cory* dicitur, & à Portugallis *Comory*.

Piscationem autem in Barhen ordiuntur interdum mense Iunio, plurimum autem Iulio, producuntque ad finem Augusti: solent autem ut plurimum tum convenire circiter ducentæ cymbæ; centum ex hac insula, quinquaginta è *Iulfar*, & totidem de *Nihhelu*. Capiuntur autem conchæ ordinariè in portu Arabiæ quem vocant Katar, decem leucis ab insula hac versus meridiem.

Vniones hujus Sinus præstant longe reliquis totius orbis tam pulchritudine quam pondere: solent autem hic quotannis educi ad valorem quingentorum millium ducatorum, præter magnum numerum, qui celatur: Præfectus vero Harmuzii percipiebat quotannis supra quatuor millia ducatorum, præter quæstum, quem faciebat ipse.

Sunt & alia præterea loca intra hunc Sinum, ubi conchæ hæ capiuntur mense Septembri, ut *Nihhelu*, *Teue*, *Rozalgate* & sub insula, sed hæc captura non est magni momenti.

Venundantur autem hic uniones per Abas, quarum tres faciunt Quilaten sive Quaraten; & Miticales, quæ constant viginti quatuor Quaratis, præsertim minores Margaritæ, quarum qualitas pro numero in uno miticali contentarum æstimari solet.

Siston. *Siston* & *Sigestan* regio est montibus undique cincta, è quorum medio exit fluvius *Ilmentes*. Metropolis Cistan, in qua circiter 50000 civium numerantur. Deinceps *Cercan*, *Canasi*, *Mulete*, *Rocagmin*, *Timocain*, *Asian*, &c.

Macron. *Macron* regnum ab aliis nuncupatur *Getechemaquerona*. Incolæ sunt Baluches, ferox & barbara natio. Attingunt Indum fluvium, versus ortum.

Candahar. Regnum *Candahar* rex Persarum *Xabaz*, ab Indorum rege sive magno Mogole recuperavit. Metropolis est & oppidum antiquum, olim quidem à Baneanibus, nunc autem à Puttanibus, habitatum.

Maurenahar.

Maurenahar & *Turquestan* appellantur regiones, quæ jacent trans fluvium *Gehun*, qui illas dividit à Carasone. Vrbes habet, *Halem, Semengian, Thaalan, Samarcand, Varavalin, AzharuZuan, Talecan, Sachimest, Varuser, Hosb, Anderab, Meder* & *Kas*.

Vzbeck.

Vzbeck olim Persiæ fuit subjecta, nunc bellum infert Persis. Metropolis est *Balck*, civitas populosa, opulenta, & bellicosis incolis frequens. Incolæ hujus provinciæ sunt bellicosi; pugnant equites arcu & sagittis, lanceis, gladiis, scutis atque clavis, semper retrocedendo: atque hisce armis nostra ætate multa dominia sui juris fecerunt; inter alia occuparunt regnum *Kandar*, cujus Rex ad magnum Mogolem profugit eique se subjecit, qui licet potentissimus sit, hunc tamen in Regnum restituere minime potuit. Vsbequii non habent Reges qui hæreditario jure sibi invicem succedant, eligunt sibi duces pro virtute: habitu corporis, moribus & sermonis pronuntiatione ad Chinenses quam proxime accedunt.

Kurdestan.

Kurdestan provincia est, in qua agunt populi, qui hodie *Curdi* dicuntur, qui idioma usurpant à vicinis diversum, & crudelissimi sunt latrones; habitant enim castella editis jugis & asperis clivis inædificata. Gens rudis, eleganti tamen corpore & membris bene compositis; nunquam sine armis suis procedunt etiam in extrema senecta, quæ ipsis sunt arcus atque sagittæ, acinaces & scuta: colunt venerantur que diabolum, ne armentis ipsorum noceat, Christianis infensissimi, unde eorum provincia hodieque terra diaboli appellatur; furtis atque latrociniis infames, in quibus Arabibus neutiquam concedunt: Parent quidem Turcarum Imperatori, sed summa cum libertate.

Chusistan.

Chusistan urbes primarias habet *Ahwasam* & *Susam*.

Irac.

Irac præcipuas urbes numerat *Koufa, Medain, Wasit, Bagdat* & *Bashrao*.

Regionis natura.

Quum ergo tot provinciæ sint in hoc regno, non mirum est qualitatibus cœli solique multum differre. Persia, inquit Contarenus, planissima est regio, & valde arida; in multis locis aquæ salsæ reperiuntur: frumenta & fructus aquæ adminiculo abundanter proveniunt: ab utroque latere imminent montes fertilissimi, qui frumenti & fructuum copiam producunt. Pauca tamen pro amplitudine provinciarum, sunt oppida, municipia & pagi, neque ea est incolarum frequentia, quæ omnibus agris colendis plene sufficiat: agri quoque multis locis sunt inaquosi; ita ut necesse sit canalibus & aquæ ductibus illos rigare; unde fit ut juxta rivos & amnes plurimi pagi & municipia visantur. Armentorum & pecorum hic magna est copia; verum tauri & vaccæ non sunt ea mole, qua in Europa nostra; oves vero longe grandiores & obesiores, habent enim latissimas & obesissimas caudas, quarum adipes Persæ liquefaciunt, & utuntur loco butyri: licet neque butyrum hic desideretur, quod excoquere solent, ut melius conservetur, in utribus è tergoribus factis, durat enim hoc modo in septem octove menses; ignorant enim illud sale condire. Panem habent optimum: Caseos multos, qui recentes haud mali sunt, sed salsi & qui brevi tempore ita siccantur, & indurantur instar lapidum: ita ut mirentur summopere nostrates caseos, tam longo itinere huc traduci posse incorruptos. Abundant quoque lacte & sero. Pisces quidem habent multos, sed nostratibus longe deteriores, sunt enim spinosi, & sapiunt cœnum, quia fluvii hic minus sunt alti. Arboreos fructus habent maximo numero, nimirum poma, sed nostratibus minora. Persica mala vastæ molis, præcocia cerasa: & similes fructus, præter fraga, quorum loco sunt melones præstantissimi & anguriæ. Vvas habent plurimas & præstantissimas. E mari Caspio accipiunt haleces, salmones, sturiones, trutas, & alios pisces, tam sale conditos, quam ad solem induratos.

Populi Indoles & mores.

Gens Persarum est candido colore, & formosa, amictu simili fere Turcico. Bellicosa est & robusta. Amat libros legere, delectatur arte poëtica, scientiis artibusque speculativis excellit. Persæ communiter largissime utuntur opio, quod ipsa sua lingua vocant *Afion*, & per excellentiam *Theriacam*, tanti illum succum coagelatum papaverum solent facere: præstantissimum autem fit è lachrymis capitellorum ipsius papaveris sine ulla alia mixtura: vilius è corticibus aqua ebullitis, quo tenuiores utuntur; quos propterea vocant *Pusty* (à Pust. quæ vox papaverum corticem sonat;) sicuti illos qui præstantius illud usurpant *Afiony*: usus autem illius gummi, ut Persæ opinantur, primum inventus fuit à principibus & magnatibus, quibus curæ insomnia conciliabant, ad somnum inducendum; quos vulgus, uti fere solet, imitari cœpit, atque ita usus illius tandem promiscuus & communis esse cœpit. Vsurpant & alium potum, qui tamen etiam Turcis & aliis Orientalibus valde communis est, quem vocant *Kaoah*; qui fit ex leguminibus, instar minutarum fabarum, quæ ex Arabia petuntur: coquitur in ædibus ad id deputatis; decoctum est spissum, subnigrum, insipidum pene, aut si ullum saporem habeat, subamarum, ita tamen ut amaror vix percipiatur: hauriunt autem calidam sorbillando, & stomacho volunt prodesse, ventositatesque expellere, & appetitum promovere.

Porro

Porro indigenæ hujus regni (inquit *Texeira*) communiter ab Arabibus appellantur *Pary* & *Agemy* : Leonclavius in Pandectis scribit à Turcis *Aiem Vilaget* & *Aiem Memleket* vocari regnum vel regiones Persarum ac Parthorum ; incolas autem rectius Azamios vel Azemios appellari, quod idem sit cum Aiemiis propter affinitatem litterarum I, G, & Z, ante literam E positarum. Schikardus autem opinatur Turcas per ignominiam Persas appellare *Aeim* vel *Agem*, id est barbaros, & non veros Arabes.

Lingua. Cæterum Persarum lingua etiam pluribus partibus Orientis perfamiliaris est ; Texeira autem scribit tres illius veluti dialectos observari ; *Xyrazy*, *Rostahy*, & *Harmusi*. Prima lingua est ornatissima & elegans, qua utuntur in civitate Xyraz vel Schiras: altera est vulgaris, & impolita : tertia denique est mixta, inurbana, & multis impropriis verbis suffarta, quæ Harmuzi potissimum usurpatur. Præter communem quoque hanc Persicam, habent diversæ provinciæ etiam sua propria & peculiaria idiomata, ubi Persica tantum usurpatur, quemadmodum apud nos Latina. Semper autem in Persia, cingula fuerunt indicia honorum & dignitatum, quemadmodum & hodie: nam è materia & opere illorum cognoscitur cujusque dignitas ; summæ enim argumentum sunt aurea, secundæ argentea; idque prout vel gemmis sunt distincta, aut illis carent. Ita ut è cingulis proclive sit judicare, quem quisque locum & dignitatem in aula obtineat. Sponsis tamen cujuscumque sint dignationis, permittitur etiam præstantioribus, nuptialibus diebus, uti, quemadmodum & plumis, licet hæ quoque nobilitatis insignia censeantur. Forma autem horum cingulorum pene talis est, qualis antiquitus in Castella & Lusitania à fœminis solebat usurpari.

Persæ communiter supra modum sunt libidinosi, neque tantum fœminas ardent, sed & pueros atque adolescentes ; infames enim sunt Sodomitæ, vitiumque hoc adeo familiare est, ut Cynedorum greges passim oberrent sine ullo pudore, cum fidibus ; solentque in sympoſia se ingerere & lascivis gesticulationibus & choreis convivas delectare, & ad spurcas illas & abominandas libidines provocare.

Venationi atque aucupio deditissimi sunt: atque rapacibus avibus non tantum alias aves capiunt, verum etiam feras, uti cervos, rupicapras, lepores & similes : Norunt enim falcones & similes aves ita instituere, ut se dimittant in capita ferarum inter cornua, atque inde oculos animalium rostro fodiant ; & tantisper detineant donec venatores accurrant & irretiant. Ad venationes alioquin non modo venaticos canes, quos longe optimos habent, adhibent ; sed & lynces & leones, pardos cicuratos, quos vehiculis in exercitu secum trahunt magnates ; tenuiores autem in equis suis super laminas ferreas, ne unguibus suis jumenta possint lædere.

Habent autem hic præter feras Europæ quoque familiares, rupicaprarum quoddam genus, minori mole, cornibus acutis, & recurvis, grandibus oculis & vivacissimis ; unde Persæ quum pulchritudinem oculorum fœminæ alicujus laudare volunt, solent dicere ipsi acies esse *Gazal*, id enim huic feræ est nomen. Præterea arietes silvestres, quos suo idiomate vocant *Pagen* : utraque autem fera hæc amat loca aspera : ceterum arietes illi non multum differunt forma à communibus, nisi quod majores sint, corpulentiores atque robustissimi ; adeo ut dimidiam colubrinam æneam facile loco moveant. Cornua habent longa quidem, sed secundum dorsum expansa, singulari naturæ beneficio ; nam hoc pacto se de petris præcipitant sine noxa, quod ipsis familiare est, quum à venaticis canibus urgentur.

In Persia uti & in plerisque partibus Orientis habent plurimos Medicos, tam methodicos quam Empyricos ; illos vocant *Akym*, hos autem *Tabib*: Illi autem sequuntur Hippocratem, Galenum & Avicennam aliosque; neque medendi modus à nostrorum differt, nisi quod rarius venam secant. Porro Persæ adeo addicti sunt Medicinæ, ut præter pharmacopolia publica, quæ plura sunt, (habent enim singuli Medici fere singula) etiam qui re paulum sunt lautiori ut plurimum domi instructissima habeant, omnis generis simplicibus ; adeo ut nostratia pharmacopolia non raro superent, præstantissimis simplicibus, quibus nostra plerumque carent, uti vero Amomo, Rheubarbaro, Spica, Sene, Costo, Castoreo, Turbit, &c. Solent quoque Persæ honoratiori nomine Medicos appellare *Mulah*, id est magistros, quod nomen & in religione & aliis scientiis usurpatur. Est autem vox Arabica, quam Africani efferunt *Muley*, licet apud illos majoris jam sit dignationis. Observandum autem id nomen à Persis tantum tribui liberalium artium & scientiarum magistris ; nam Mechanicis dant nomen *Osta* sive *Ostad*. Habent præterea & fœminas, quas vocant *Dayah*, quæ fœminis & infantibus solent medicinam facere; nec facile alii Medici ad fœminas aut infantes advocantur. Persæ plures ducunt uxores, quanquam inter nobiles numerus illos gravat, inter plebeios facit eminere, permittuntur autem usque ad septem, facili repudio. Nobiles maxime distinguuntur à plebeis, redimiculis capitum ; ipsis enim solis licet usurpare duodecim illas plicas, quas primus Suphy Tulban-

Tulbanto addidit, vocant sua lingua *Tachi*.

Vestes eorum ut plurimum sunt diversorum colorum, & fere sericæ, panni enim serici ibi vili precio veneunt, ita ut holoserici ulna decem regalibus venundetur, & cæteri ad eundem modum. Panni quoque linei vel potius gossypini tanta copia ex India inferuntur, ut vilissimo precio haberi possint.

Nobiles valde addicti sunt magicis scientiis, & scientiæ imprimis quam vocant sanctam, quæ ex Alkorano hauritur; unde hic plures habent Alfaques & Professores, qui publicis stipendiis in singulis pene urbibus aluntur.

Ædificia omnia fere sunt è lateribus structa; non pauca quoque lignea; universa autem ut plurimum habent hortos.

Duo hic minime prætereunda sunt, ritus publici nuptiarum, & sepeliendi mortuos; in quibus Persæ aliquid habent peculiare.

Ritus nuptiarum.

Sponsalia quidem & nuptiæ hîc celebrantur ad hunc modum; Adolescens jam nubilis, & conjugari affectans, per parentes, aut, si illi desiderentur, per proximos agnatos inquiri curat virginem aliquam ætati & dignitati suæ convenientem, neque enim virgines hic vulgo videntur à maribus; & ubi conditio placet; per patrinos suos, qui circumcisioni illius adfuerunt, virginem à parentibus facit postulari; ubi autem jam inter partes convenit, auspicato die prodit sponsus, cum amicorum magno comitatu in equis, pro dignitate ornatus: & sponsa ad eundem modum, faciem & totum corpus peplo quodam velata, & dextro tantum brachio nudo & exserto; & postquam palam in conjugium disertis verbis consenserint; eo comitatu deducuntur ad ædes *Cady*, ubi coram *Mulah* denuo interrogantur, de consensu tam parentum, quam contrahentium; qui ubi annuerint, nomina conjugatorum, dies & hora à Cady pariter atque mutati referuntur in commentarium, & manus testium copulantur, & juramentum præstatur in nomine Dei, Mahumetis & Aly. Hinc eadem pompa deducnntur ad ædes sponsæ, & post choreas & symposium introducuntur conjugati in conclave nuptiale; postquam sponsa ante in balneo se abluerit; sponsus autem postquam sponsam cognovit mane intrat balneum, & nova nupta rursus vespera; atque porro ad octiduum. Addit Ioannes de Persia, mares & fœminas separatim choreas ducere; & prima nocte, vetulas quasdam conclave ingredi, & linteum proferre sanguine maculatum, quod sponsi cognatis ostendunt; sin contra accidat, sponsum cum cognatis se subducere, & sponsam repudiare. Observant etiam conjugia hic iniri ad certum tempus, quo absoluto, conjugati liberi sint à vinculo matrimonii.

Ritus sepeliendi mortuos.

Sepeliendi ritus & pompa variat pro mortuorum conditione & dignitate. Ioannes de Persia scribit, primæ dignitatis ad huc modum inhumari. Præcedunt cadaver omnes domestici, corpus nudi usque ad cincturam, & brachium dexterum vulnerati, ita ut largus sanguis emanet, inter quos & filii atque hæredes defuncti. Cadaver autem trahitur funibus à ducentis hominibus, qui orationes fundunt Mahumetæ. Hosce autem præcedunt viginti adolescentes, qui bini humeris bajulant sedile sumtuosum, & Alkoranum alta voce intonantes. Hos quoque antecedunt plurimi cum ramis viridibus, & imaginibus & corollis florum, & variis fructibus pro anni tempestate. Agmen claudunt equi defuncti, cum armis atque trophæis illius, qui ducuntur ab equitibus, ad eundem modum nudatis & sauciatis. Cum hac pompa adeunt fontem aliquem, ubi cadaver abluitur, & munda sindone involvitur; & revertentes versus monumentum, elargiuntur omnis generis annonam pauperibus. Inhumato autem cadavere eodem ordine & pompa regrediuntur in oppidum: cognati denique anno pene integro statis temporibus accedunt monumentum ut defunctum plangant.

Verum tam inopum quam opulentiorum cadavera statim abluuntur, ac munda sindone involvuntur & ad sepulcrum deducuntur tam extra quam intra oppidum, cum confuso multorum hominum comitatu: nisi quod milite aliquo aut tribuno defuncto, omnes illius equi insigni pompa, armaque prægestentur; & tympanis atque aliis musicis instrumentis accinatur.

Arma Persarum.

Arma Persarum quibus ut plurimum in bello utuntur, sunt machæra, lancea, & arcus atque sagittæ: machæræ tamen usus ipsis est familiarior, quam cæterorum armorum. Nonnulli bombardas tractant, quibus ab Ismaële & primis Tamasi annis sunt assuefacti. Plerique ferreis thoracibus, atque galeis, quas globuli tormentarii vix penetrant sese muniunt. Reperiuntur, qui equos armis solidissimis & optimis contegunt. Equi apud eos reperiuntur generosi, qui Persicorum, quos Strabo pro Regibus in Armenia asservatos fuisse scribit, naturam imitari videntur. Velocitate cursus, robore & ferocitate in acie præstant, & facile quævis addiscunt: non ephippiati, sunt mansuetissimi, armati vero bellicosi, & facile sessoris imperium patiuntur, unde mirum non videbitur, quosdam eorum mille, alios mille trecentis aureis venditos fuisse.

Qui militiæ nomen dant, nobili plerique orti sunt prosapia; quibus fere innatum est, fugare potius alios quam fugari. Quos si cum Turcarum exercitu compares, qui plerumque

que è multarum regionum convenis & miscellaneo, inutili ac vili hominum genere, fugæ & rapinæ dedito, constat, merito his illos præferes. Ipsos Persas quod attinet, ut plurimum ingenio vafro præditi, insidiis & fraudibus alios student circumvenire: fidei minima ratio apud illos ducitur, quo vitio fere cuncti barbari laborant: Imperii sunt impatientes, novitatis studiosi, quod malum Persæ quovis tempore in sinu fovisse videntur, unde non modo Regibus à subditis, verum quod detestabilius est, parentibus ab ipsis filiis structæ fuerunt insidiæ.

Nulla autem re magis deterrentur Persæ, quam catapultis ignivomis & bombardis: & tamen iis spretis munimenta castrorum hostilium sæpius aggredi, & tentare subitis excursionibus audent. Sed tormentorum usum ipsi nondum exacte didicerunt, idque potius ex cœca quadam ambitione, quam quod piaculum ducant contra hominem tam crudele armorum genus usurpare: vel quod arte aut materia, è quibus illa conflantur, destituantur.

Religio. Sunt autem Persæ inimicissimi tribus Mahumetis prophetæ sociis, *Ebubekur*, *Omeri*, & *Osmani*; studiosissimi autem quarti, videlicet *Alis*. Tradunt angelum Gabrielem, quum è cœlis in terras portaret Alkoranum Ali reddendum, errore quodam Mahumeti obtulisse: Deumque velut ea re nequaquam offensum, plane nihil obloquutum fuisse, ut qui Mahometem tali quoque dono gratiaque dignum videret. Sectatores sunt religionis à doctore quodam eis traditæ, cui nomen fuit *Sceiches Haidar*; & quidam ex ipsis alterius quoque doctoris vestigiis insistunt, quem *Imamum Harustim* appellant. Hi duo doctores vel Imami extiterunt in urbe Persarum Reza, quo tempore vixerunt Erdebil, Chassanis Scachi Persarum gener, & Scachus Ismael, ejus nominis primus, Erdebilis filius, Vssun Chassanis è filia Martha nepos. Quumque doctores hi tam concionando, quam scribendo sua proposuissent dogmata, duo illi principes Erdebil & Ismael, pater & filius, eorum doctrinam amplexi sunt. Ac filii quidem, Sophini cognomento, ea felicitas fuit, ut novæ religionis, quam Sophinam vocarunt, fama confluentibus ad ipsum parvis initio, deinde majoribus hominum copiis, tandem prælio victos Persarum reges, Iacupem avunculum suum, ejusque filium Alvantem, occiderit; ac sibi regnum subjecerit, ad posteros etiam dignitate regia in hunc usque diem propagata. Nihilominus illi duo Persarum doctores, non Osmanicorum duntaxat, verum etiam aliorum Mahumetanorum execratione damnantur, tam in Barbaria vel Africa, quam in latissimo Tartarorum regno.


Regnum. Regnum Persarum plane monarchicum est; nam penes unum regem universa est potestas, tam in sacris, quam in profanis; quum & se supremum sacerdotem ferat, & unicum legum ferendarum & abrogandarum dominum. Regem vocant *Xa* sive *Patxa*, id est regem. Minus accedit regnum ad tyrannidem, quam Turcicum, nam non tantum nobilitas hic maximi fit à regibus, sed & plures in hoc regno sunt Principes, licet vasalli, qui & opibus & potentia excellunt: inrer quos haud infimum locum obtinet dux Schiraz. Hisce autem vulgo tribuitur nomen Chanis vel Hanis, C aspiratione forti, id est principes.

Neque tamen Reges hisce semper obnoxii sunt, licet temporibus Codabendæ regnum in diversas partes distractum fuit, collapsa tum imperii majestate: nam ut Petrus della Valle testatur, Rex Abas, ne quidem ut consiliariis illis utebatur, sed pene omnia per se solus ordinabat: nonnunquam autem in gravissimis negotiis, pro libitu hujus aut illius consilium requirebat; neque tamen sequebatur, nisi quod ipse maxime probaret.

Tamasus (inquit Minadous) filio suo Ismaëli, qui ei in imperio successit, septuaginta reliquit præfecturas, quarum Præfecti Sultan & Chan (quæ nomina Bassis quoque Turcarum conveniunt) vocantur. Horum quilibet urbem quandam præpotentem, quarum septuaginta erant, regebat, & in alias urbes minores, arces, & oppida, jurisdictionem absolutam habebat, unde exercitus colligi & milites conscribi poterant. Quæ autem hæ septuaginta urbes fuerint, quibusque nominibus insignitæ, absque summa difficultate plene scire nemo poterit; attamen præcipuarum quarundam nomina, quæ nobis innotuerunt, ponemus: Sumachi scilicet, Sechi, Eres, Servan, Derbent, Caracach, Ardevil, Tauris, Reivan, Genge, Hispahan, Masanderan, Gheilan, Heri, Cassan, Schiraz, Starabat, Chilminar, Candahar, Iesd, Sapanec, Sultania, Bargo, Com, Coran, Seva, Casbin, aliæ. Harum ut dixi imperium in alias quoque urbes minores, arces, oppidaque sese extendebat. Hispahan à duodecim Sultanis gubernatur, Casbin sive Arsacias Rex præest cum tribus præfectis. In Heri sunt alii tres præter Abas Mirza, & totidem in Candahar cum Rustan Mirza. Hæc ille.

Regimen. Porro quoad civile regimen, justitia hic satis bene administratur, & crimina severe admodum puniuntur, & exquisitissimis atque adeo crudelibus suppliciis crimina graviora, imprimis autem adulteria, quæ in gente tam luxuriosa, & ea fæminarum impudicitia non nisi frequentia esse possunt: deinde furta etiam minima; postremo autem latrocinia in

agris perpetrata; unde fit ut itinera etiam in vastissimis & incultis regionibus hîc tutissima esse prædicentur. Accepi à quodam oculato teste, aliquot exquisita supplicia furibus & latronibus irrogata, quæ vel audita horrorem incutiunt. Hanc autem severitatem in castigando, & crudelitatem in plectendo in hoc regno pernecessariam esse, astruit Petrus della Valle: Scribit enim hanc esse populi hujus ferociam, ut non nisi ferrea virga facile possit coërceri. Non esse autem mirum nobis hæc supplicia atrocia atque crudelia videri; verum (inquit) ego, qui leges eorum & ingenia gentis perspexi, & gentis obstinatam duritiem, severitatem illam facile necessariam esse judicavi: nam populi isti nequaquam metuunt communem mortem; neque supplicia apud nostrates usitata, sed exquisitis suppliciis à maleficio deterrendi sunt. Vnde fit, ut furta, & homicidia casu inter rixandum commissa, hic quoque uti apud nos capitis supplicio plectantur: verum cædes clandestinæ, aut latrocinia in viis publicis aut in agris facta, raptus item, aut alienarum uxorum violentæ corruptiones, imprimis honestarum stupra, pauperum oppressiones, enormes itidem fraudes contra fidem publice datam; rebelliones, crimina majestatis, & similes graves excessus, atrocissimis pœnis coercenda sunt; neque enim aliter ab iis absterrentur Persæ, in omnia vitia proclives. Quare assasinis hic ventrem discindunt; alienarum uxorum stupratoribus violentis, membra amputant genitalia; adulteras de alta turre præcipitant: atque ad eundem modum enormia scelera horrendis plectunt suppliciis.



MAGNI

MAGNI MOGOLIS IMPERIUM.



Mperium Magni Mogolis, quod quidam Indiam veram indigetant, longe amplissimum est; sunt qui vix biennio caravanâ obiri posse referunt. Sunt ad ortum regnum Maugh; ad occidentem partim Persia, partim Oceanus ad meridiem declinando; ad septentriones Caucasus atque Tartaria; ad meridiem denique regnum Decan, & Sinus Gangeticus, hodie *Golfo di Bengala.* dividitur in septem & triginta largas provincias, quæ superioribus seculis pene singula regna fuerunt; sunt autem, ordiendo ab occidentali limite;

Kandahar, cum metropoli ejusdem nominis; hæc provincia versus Corum jacet, & dividit fines cum Persia, cujus hodie est pars, postquam Xa-Abas Rex Persiæ illam rursus Mogoli eripuit.

Kabul sic dicta ab oppido principali, extrema hujus imperii provincia, versus Corum sive arctum fines jungens cum Tartaria: In hac fluvius *Nilab* oritur, qui versus meridiem descendit, donec cum Indo se conjungat: dubito an hic idem sit cum *Behat*, quem supra ex Petro Texeira juxta Kabul oriri monuimus, & unum esse eorum quinque qui in Indum confluunt. Omnino fuerit Coa aut Suastus Ptolomæo memorati.

Kabul oppidum est longe amplissimum habens arces duas munitissimas, & plurima Saraya progenitorum Regis qui Indiæ nuper præfuit. Vltra hoc oppidum viginti circiter cosarum intervallo jacet *Chare-Cullouw* amœnissima Vrbs, & ab hac totidem cosis *Gorebond* amplissima civitas ad limites provinciæ Vsbeck.

Multan à metropoli ejusdem nominis: ad occidentem habens Persiam sive Kandahar, ad meridiem Buckar; atque adeo Indi ripam attingens. Cæterum provincia amplissima est, & inprimis fertilis, & mercimoniis valde opportuna, ob tria flumina quæ illam rigant, & haud longe à metropoli confluunt.

Metropolis illius est *Multhan* sive *Moltan*, quæ distat à regia urbe Lahore centum & viginti cosas, per illam iter est mercatoribus, qui è Persia per Kandahar in provincias Indiæ descendunt. Tria ista flumina sunt Ravee, Bahat sive Behat, & denique Sind sive Indus, quæ rapido cursu hanc provinciam secant. Præcipuæ hujus provinciæ merces sunt saccharum, quod magna copia secundo flumine Indo versus Tattam navibus deportatur; atque adeo adverso Lahorem. Item gallæ, & opium, sulfur quoque & magna copia pannorum lineorum, & gossypinorum; plurimi denique hîc aluntur cameli, & industria incolarum in arcubus conficiendis inprimis celebratur.

Hajacan, sive *Haagickan*; fines habet ad ortum quidem fluvium Indum, ad occidentem Laram provinciam Persiæ. Nullum habet oppidum alicujus nominis; Bolochum sive Balaochum regnum dicitur, de qua gente alibi dicemus.

Bulkor vel *Bulkar*, cujus metropolis appellatur *Buckor Suckor* ad Indi ripam sita, à quo provincia dividitur & mirificè fœcundatur: jacet à Tatta ad Arctum paulum declinando versus ortum: ad occasum habet finitimos Baloaches, feram & bellicosam gentem.

Tatta, ab urbe sua principali sic dicta, per quam Indus labens plurimas insulas complectitur, amœnas juxta atque fœcundas; rursusque in unum alveum coit ad Synde oppidum, artificum variorum frequentia celebre.

Soret, cujus metropolis vocatur *Ianagar*, exigua quidem provincia, sed opulenta: fines habet ad ortum sive eurum Guzuratten, ad austrum Oceanum.

Ieselmeere (metropoleos nomen est) fines jungit cum Soret, Buckor, & Tatta, à quibus versus occidentem jacet.

Attack, à metropoli sic appellata, ad ripam fluvii Nilab, qui à Coro descendens ab Indo excipitur, qui hanc provinciam dividit ab Haiacan.

Pang-ab, cujus metropolis est *Lahor*, amplissima provincia & fertilis, quippe quæ à quinque illis fluviis, de quibus modo diximus, rigatur, unde & ipsi nomen. Ptolemæus quoque quinque fluminum concursum nobis prodit, Coæ siue Suasti, (nam hi duo amnes paulo supra hanc provinciam con-


MAGNI MOGOLIS IMPERIVM
Nob.mo Spectat.moq3 viro
D. IOHANNI HVYDEKOPER,
Equiti, Domino in Marsenveen, Neerdyck
etc. Vrbis Amsterdamensis Senatori
et Scabino, nec non Concilii Socie-
tatis Indicæ Assessori, Tabulam
hanc D.D. Joh: et Corn: Blaeu.
Milliaria Germanica communia
TARTARIÆ PARS.
REGNI CHINÆ PARS
REGNI PERSICI PARS.
INDIA INTRA GANGEM, nunc INDOSTAN.
KAKARES
GVZVRATTE nunc CAMBAYA
BENGALA
ORIXA
MALVA
DECAN
MARE ARABICVM
GOLFO DE BENGALA, olim SINVS GANGETICVS.
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
PEGV.
ARACAM
CIRCAM
SABLESTAN

7

confluunt,) Indi, Bidaſpi, Rhuadis, & Zaradri.

Lahor longe maxima eſt civitas orientis, quippe quæ ambitu ſuo ſecundum foſſam, quæ Regis mandato ſuperioribus annis egeſta fuit, & murum qui Selimi auſpiciis perductus fuit, XXIV coſas complectitur. Temporibus Potanenſium regum tantum pagus fuit, *Multhan* tum florente, donec ab Hamaune amplificaretur. Civitas & ſuburbium ſex coſas in longitudinem patet. Arx regia validiſſimo latericio muro cincta eſt, & duodecim aperit portas, novem quidem in agrum ſuburbanum, tres ad ripam fluminis; plateæ urbis pulchræ & ſilicibus ſtratæ; incolæ illius maximam partem ſunt Baneanes & artifices: ædificia pulchra & edita, ex lateribus affabre constructa: gentilium pleraque, ſex aut ſeptem gradus alta, perdifficili aſcenſu, ſecuritatis cauſa ita educta, & ne prætergradientes introſpicere queant. Arx ſita eſt ad ripam *Ravee* amœniſſimi fluminis, quod in Indum confluit. illud quamplurimæ cymbæ deſcendunt, ſexaginta & plurium doliorum capaces, verſus *Tattam* Sindæ emporium, poſtquam pluviæ deſierint: circiter quadraginta dierum iter eſt, ſecus Multhan, Seetporen, Buchur, Raureen, &c. Flumen *Ravee* ab oriente deſcendit è montibus Caſſimer, ut quidam tradunt, & ſecundum ſeptentrionale civitatis latus labitur. Ad ripam illius intra Arcem, regale Palatium jacet, mediana porta ad flumen exitum præbens. Ab oppido in hoc intratur per amplam portam, & inde per aliam minorem in quadratam aream, in qua excubitores regii agunt; hinc ad ſiniſtram per aliam portam, in interiorem aream, in qua Regis Darbar cernitur, circa quod plurimæ ſunt ſtationes nobilium excubitorum. Hinc in aliam aream penetratur, in cujus medio Regis Devoncan viſitur cum aliquot cubiculis, in quibus Rex veſperi ab hora octava ad undecimam ſolet conſidere. In hujus ædificii pariete Rex pictus eſt, tranſverſis cruribus conſidens ſub magnifico throno, & ad dextram illius Sultani Poruefius, Caroonius, & Timoret illius filii; juxta illos Sha Morat & Dan Sha regis fratres; ſecundum iſtos Emyrza Sheriff frater Can Aſom major natu: (quem narrant adeo opulentum & ſplendidum fuiſſe, ut concubinarum ſuarum, quas aluit ſupra centum, veſtes, quibus ſemel modo amictæ fuiſſent, numquam ab aliis contrectari paſſus fuerit, ſed humo defodi juſſerit, donec putreſcerent: ad hæc quingentos lychnophoros (Maſſalgeas vocant) aluerit, adeo ut quum Agra domum repeteret, quæ minimum coſam unam ab oppido diſtat, ne unus quidem cum face ſua locum mutaret, ſed viam integram munirent: juxta hunc Emyrſa Roſthan, quondam Rex Candahar; tum Can Canna; Cuttuph Caun; Rahia Maniſengo; Caum Aſom; Aſoph Caun; Scheck Fereed; Kelish Caun; & Rahia Iuggonath (quo defuncto ſeptem illius amicos, cum ipſius ſorore & nepote è fratre, in rogum ipſius ſponte inſiliiſſe referunt.) Ad ſiniſtram autem Regis Rahia Bouſinh, qui flabello muſcas abigit; Rahia Ramdas, qui gladium illius ſuſtentat; Cleriff Can, Mocrib Boucan, Rahia Boſſu, Rahia Ranſing; Majo Keſſo & Lalla Berſing. Quin etiam in eadem porticu ad dextram parietis, in quo Rex ad ſuperiorem modum pictus eſt, ſuper fores cernuntur effigies Salvatoris noſtri & Virginis Matris. Plurima præterea ſunt atria & gynæcea in hoc palatio, quæ deſcribere nimis longum eſſet. Sed una porticus minime prætereunda, in cujus pariete picti ſunt Regis Selimi progenitores, nimirum Parens Achabar, avus Hamaune, & proavus Babur, qui primus Indiam eſt ingreſſus cum triginta proceribus, habitu Kalenderum. Extra occidentale arcis latus, trajectus eſt in adverſam ripam, à qua regia via ducit ad Kabul; regio autem omnis trans flumen longe eſt amœniſſima.

Siryna oppidum, ſtagnum habet perpulchrum, & in illius medio ædiculam, ad quam per pontem lapideum quindecim fornicibus ſubnixum aditur. Ab hoc ſtagno coſæ intervallo diſtat hortus regalis, ad quem ducit rivus & ſemita ſilicibus ſtrata, quadraginta pedes lata, & arboribus utrimque amœnum in modum ſepta: hortus ipſe quadrata eſt forma (cujus ſingula latera ſupra coſam longa ſunt) & lateritio muro incinctus, intus omni genere fructiferarum arborum & herbis floribuſque conſitus. (Sunt qui annuatim quinquaginta millibus rupiarum elocari ſcribant.) In medio, ubi viæ latæ à ſingulis lateribus in crucem coëunt, altis cupreſſis ad latera tectæ, domus regalis cernitur affabre ſtructa, cum amœniſſima porticu, quæ illam ambit, & octo gynæceis; totidemque cubiculis in ſuperiori parte, & in ipſo faſtigio amœno admodum cœnaculo.

Fettipore Sarayum Selimus, qui ſuperioribus annis Indiæ imperavit, ſtruxiſſe dicitur, ad memoriam conſervandam prælii feliciter hic à copiis ſuis pugnati, adverſus primogenitum ipſius Sultanum Cusheroom, qui hoc loco profligatus fuit. Id accidit hac occaſione, uti narrant; Selimus quum parentem ſuum Achabarem graviter offendiſſet, conſpectum illius metuens in Purropiam ſe ſubduxerat, & munitiſſimum Halebaſſæ caſtellum interceperat, quapropter Achabar nepotem ſuum Cusheroom hæredem imperii

ſcripſe-

scripserat. Sed Achabare defuncto, & Cusheroome nondum satis in imperio confirmato, Selimus amicorum ope Agræ castellum invasit, & parentis thesauris potitus, filium suum versus Lahorem profugientem insequitur, qui hoc loco à copiis paternis fuit profligatus, tandemque captus & in carcerem conditus, in quo luminibus fuisse orbatum multi fuerunt suspicati, sed falso, uti postea apparuit.

Regio omnis inter Agram & Lahorem bene culta est, Indiæ longe fœcundissima, & omnibus rebus abundans; plurimum sacchari producit; via utrimque arboribus septa est, quæ fructus ferunt moris non absimiles. Singulis quinque aut sex cosis Sarayum occurrit, à Rege aut aliquo nobilium conditum, in quo iter agentes cubiculum & stabulum sortiuntur; quæ ubi quis occupaverit, à nemine extrudi potest.

Cassimere. *Cassimere*, *Chismeer* sive *Quexmir*, cujus metropolis appellatur *Sirannakar*, hanc fluvius Behat sive Phat interluit, & variis gyris circum insulas vagatus in Indum se condit; vel, ut ab aliis observatum, in Gangem, quod tamen minus verisimile existimo. Montosa provincia est (fines jungens cum Kabul,) & admodum frigida, (unum & quadraginta gradus distare dicitur ab æquatore versus arctum) licet comparatione regni Thebet, quod illi ad ortum finitimum est, temperata dici possit. Civitas *Delly* quæ hodie incolitur, amplissima quoque est, quippe quæ duas cosas in longitudinem pateat; valido muro cincta, sed qui multis locis ruinam minatur, uti & plurima ædificia intra muros jam corruerunt: tam intra quam extra urbem circiter viginti monumenta Potanensium Regum extant, admodum magnifica. In hoc oppido Indiæ reges coronari consueverunt, quod alibi nefastum putabant. Ab hoc oppido ad Regum Potanensium domum venationibus comparatam duæ sunt cosæ; ea à Sultano *Berusa* potentissimo Indorum monarcha structa dicitur; ubi inter alia antiquitatis monumenta obeliscus visitur altissimus, Græcis, ut quidam affirmant, litteris inscriptus, & ab Alexandro Magno, ut opinantur, hic collocatus. In variis Indiæ regionibus similes reperiri tradunt, & haud ita nuper circa Fettiporem quendam è solo erutum fuisse centum cubitos altum, qui, dum ad regiam urbem magno molimine traheretur, in itinere operarum incuria ruptus fuit.

Bando cum metropoli ejusdem nominis ab Agra versus occasum pertinet.

Malway sive *Malua* fœcundissima provincia, cujus metroplis est *Rantipore*: alii præcipuas illius urbes nominant *Vgen*, quam Thomas Roëus Eques Angl. Malvæ sive Mulvæ metropolin vocat; una ab hoc oppido cosa labitur *Cepra* amnis, ad cujus ripam sita est *Calleada* quondam Mandoæ Regum aula; amnis autem hic descendere dicitur in sinum Cambajensem.

Chitor, (cum metropoli ejusdem nominis,) amplum & perantiquum regnum; sed metropolis illius, cujus mœnia circiter decem milliaria Anglica complecti volunt, plane diruta est, ita ut tantum rudera centum & supra magnificentissimorum templorum, & aliorum pene infinitorum ædificiorum hodie supersunt. Hoc oppidum Achabar Rex Mogolum, posteris Rannæ eripuit, & exscidit: Princeps autem illius fugiens in asperrima montium, consedit in oppido Odepore, & demum anno CIↃ IↃ C XIV coactus fuit Mogolis imperium agnoscere. Hoc regnum situm est à provincia Chandes versus Corum, à Guzuratte versus Boream.

Guzuratte. *Guzuratte*, sive, ut hodie audit apud Lusitanos, *Cambaja*, ab emporio quod ipsi frequentare solent, provincia Indiæ maritima est, cujus pars, Chersonesi in modum, in mare Indicum prominet, utrimque sinum admittens. *Vrbs Maritima.* Vrbes illius maritimæ sunt hæ: *Suratta*, *Brochia*, *Cambaja*, *Mangorol*, *Patan*, *Diu*, *Kerimar*, *Nagsharii*, *Meubowa*, *Dongessar*, *Dlasghan*, *Mangerolpore*, *Onnapar*, & *Goga*. Reditus annuos hujus provinciæ ex vectigalibus & tributis produnt esse centum quinquaginta tonnas auri, ut nostrates loquuntur.

Suratte. Emporium quod hodie à Belgis & Anglis plurimum aditur, est *Suratte*, oppidum modicum, plurimas, easque pulchras mercatorum ædes complectens, adjacet arx ampla, muro è fossili saxo cincta, & plurimis bellicis machinis instructa.

Cambaja. *Cambaja* emporium, à Lusitanis maxime frequentari solitum, situm est in interiori sinu qui austrum adspicit. Vrbs duplo major est Suratte; triplici muro cincta lateritio; ædificia habet alta & splendida; plateas rectas & silicibus stratas, quæ fere singulæ noctu portis concluduntur. In media tria sunt fora rerum venalium spatiosissima. Emporium ita frequens est, ut non raro ducentæ liburnicæ hic conspiciantur.

Metropolis. *Amadabat.* Metropolis hujus provinciæ est *Hamed-Ewat*, vulgo *Amadabat*, aut *Amadavar*, urbs Londino magnitudine pene par. Arcem habet amplam & munitissimam. Mercimoniis inprimis floret, nam fere singulis decem diebus ducenti hinc currus omnis generis mercibus onusti Cambajam petunt. Censentur sub ea viginti quinque pagi principales, atque sub his vicissim alii minores bis mille nongenti nonaginta octo; quorum hi illis

tributi rationes reddunt; illi autem metropoli, universus reditus annuus ad sex milliones aureorum, & supra ascendit.

Candish.

Candish, cujus metropolis appellatur *Brampore* sive *Burhampur*, quondam regio Decanensium regum, & à Mogolum imperatore ipsis erepta. Largum est regnum & populis frequens, quod fluvius Tabeth sive Tapte dividit in sinum Cambajæ exiens: cum hoc regno fines jungit Parthaspha, mediocris princeps, & magno Mogoli tributarius; hæc maxime australis dominiorum illius est pars.

Barampore sive *Brampore*, quam supra hujus provinciæ metropolin esse diximus, vasta civitas, sed inamœna & ob agri humilitatem, & aëris intemperiem valetudine incolentium infamis: ab aquilone habet arcem ripæ fluvii incumbentem, qui Suratten versus descendit, amplam & bene munitam. In fluvio saxum eminet elephanti figuram referens, ita ut elephantos qui aquatum descendunt non raro fallat; vulgus Indorum, ut fere alia naturæ exquisita opera, illud veneratur. Duabus ab hoc oppido leucis Chan-Channæ potentissimi viri hortus jacet, ad quem via ducit arboribus undiquaque vestita. In ipso horto sunt amœnissima ambulacra & quadratum stagnum, muro undique cinctum & arboribus tectum. Ab Anglis observatum invenio, oppidum hoc distare ab æquatore versus arctum gradus viginti octo. Sunt qui iter à Suratte ad Bramporen ducentis viginti & tribus milliaribus Anglicis definiant recta versus ortum; & regionem omnem intermediam steriliorem esse testentur. Belgæ nostri hoc iter definiunt octuaginta milliaribus nostratibus.

A Brampore iter agentibus versus Agram, magni Mogolis hodie regiam, primò occurrit via præceps & saxosa per alta montium juga, qui ab Amadabat hucusque procurrunt; extra hoc iter jacet munitissimum castellum *Hassere* in vertice altissimi montis situm, quod amplissimum esse, & quadraginta aut quinquaginta millia equitum continere posse memorant; intus & ampla stagna sunt & pascua, habuitque sub postremo principe Guzurattensi (ut ferunt) sexcentas machinas bellicas: Achabar Mogolum Imperator postquam diutina obsidione illud cinxisset, tandem deditione accepit. Narrant, in stagnis innumeros vermes generatos, ita ut populus aqua hausta intumesceret atque disrumperetur; quæ lues illos ad deditionem compulerit. Angli notant, à Brampore distare sedecim cosas; nostrates tantum quinque.

Taxapore modicum est oppidum, perpulchrum habens castellum; fluvius oppidum lambit, sed ut cum camelis vado transeatur, paulum declinandum est ad sinistram, ubi cataractes est, & alveus fere milliare Anglicum in latitudinem occupat.

A Taxapore ad *Mandoa* sunt tres cosæ; angustus est trames, qui saxosum & præcipitem montem ascendit; (montes hîc inter Aquilonem & Africum producuntur.) Ad clivum montis portæ antiquæ civitas *Mandoæ* obvia est, cui arx superimposita est cum palatio: mœnia autem civitatis montem circumgyrant multorum milliarium ambitu. Ad sinistram introitus, in vertice pyramidalis montis munitissimum castellum eminet, & aliis locis decem aut duodecim alia. Duabus circiter cosis intra hanc quam diximus portam, civitas plane diruta est, paucis monumentis & templis exceptis, & ingentes ruinæ passim visuntur. Vetus civitas inter septentrionem & meridiem patet quatuor cosas; inter ortum & occasum decem aut duodecim. Circa urbem sunt sedecim stagna hac illac sparsa. Hodierna civitas *Mandoa* perpulchra quidem est, sed veteri longe minor, habens plurima pulchra ædificia è vivo saxo condita, & altas portas, quales vix alibi videre est. Ingredientibus ab austro ad sinistram occurrit pulchra Mesquita, & è regione illius sumtuosum palatium, ubi quatuor Reges tumulati, in opulentis monumentis. Ad latus consurgit turris centum & septuaginta gradus alta, cum suis porticibus & fenestris, egregiis columnis & fornicibus suffulta. Ad septentrionalem itidem urbis plagam porta est munitissima, præcipiti descensu, & extra hanc aliæ sex portæ, omnes bene munitæ & validis muris cinctæ. Ad dextram lævamque murus eductus cum suis propugnaculis, licet mons sit difficilis ascensu, & à natura satis munitus videatur, atque adeo locus nulla vi superabilis. Narrant, Hamawnen Mogolum principem, partim vi, partim fraude hoc oppidum eripuisse Schec-Sha-Selimo, cujus progenitores illud ante annos quadringentos Indis eripuerant. Hic Sha-Selimus potentissimus Rex Delly, Hamawnen ita profligaverat, ut in Persiam fugere cogeretur. Vnde cum Persicis auxiliaribus reversus, Selymum vicissim prœlio superavit; qui tamen toto tempore regni illius & bona parte Achabaris, in montibus nunc hic, nunc illic latitans, perdomari non potuit. Extra mœnia civitatis ad hanc partem, ampla suburbia fuerunt, quorum nunc tantum rudera apparent. A Belgis nostris observatum invenio, Mandoam à Brochia versus ortum distare milliaria nostratia quinquaginta; ab Anglis, milliaria centum quinquaginta.

Berar.

Berar, cujus metropolis dicitur *Shalpore* sive *Shaphur*, australis quoque hujus regni provin-

provincia, finesque jungens cum Guzuratte & montanis Rannæ.

Narvar. *Narvar*, cujus metropolis est *Gehud*, à pulcherrimo fluvio rigatur, qui in Gangem confluit.

Gualiar. *Gwaliar* sive *Gualeren*, urbs hujus provinciæ metropolis, cui & nomen dat, amœnissima est & arce munita: ad orientale illius latus, in vertice ardui & præcipitis montis jacent rudera ædificii, in quo plures viri magni dicuntur humati: ad occidentale clivus arduus & undique præruptus, sex vel plures cosas occupans, & valido muro in ambitu cinctus. Ad ipsum initium tramitis, qui ab urbe ad hoc munimentum ducit, prætorium est, altissimis muris clausum, in quo præsidiarii excubant. Ab hoc angustus trames, lapidibus stratus, & dextra lævaque muro tectus ascendit, tribus insuper portis cum suis præsidiis disclusus: ante quartam & supremam portam stat elephanti è saxo industrie excisi effigies: hæc porta sumptuosissime structa est è viridi & cæruleo saxo: in fastigio aliquot turriculæ eminent deauratæ. Hic loci præfectus habitat, ibidem & nobiles captivi custodiuntur. Tres hujuscemodi carceres Rex habere dicitur. Vnum hoc loco: alterum *Rantipore*, quadraginta cosis ab hoc loco, quò mittit Magnates quos neci devovit, qui plerumque ibidem duobus mensibus custodiuntur, quibus elapsis præfectus arcis eos producit, & in fastigio muri constitutos & lacte potatos, præcipites agit in subjectas rupes. Tertium in arce *Rotas*, in provincia Bengalensi, quo mittuntur ii qui ad perpetuum carcerem sunt damnati, & rarissime ex illo evadunt. Porro jugum montis ad quem Gualere condita est, fertili est solo, & tria quatuorve habet stagna, & multa pulchra ædificia. Ad latus oppidi quod Corum adspicit, compascuus ager visitur longe spatiosissimus, undique muro clausus, in quo pulcherrimi sunt horti & viridaria. Hoc oppidum, cum arce olim limitem constituebat inter regnum Delly & Mandoam.

Agra Provincia. *Agra* provincia, sic dicta à metropoli sua, quæ haud admodum antiqua est; ab aliis videtur Purrop & Purbeth appellari; maxima & fere in meditullio hujus imperii sita. Inter Agram & Lahoram, quæ duæ civitates hodie hujus regni facilè principes, quadringenta milliaria Anglica statuunt; regio omnis media æqualis est, & via regia utrimque arboribus tecta, instar amœni ambulacri.

Agra regni Metropolis. *Agra* distat ab æquatore versus arctum viginti octo gradus & triginta, aut, ut alii, quadraginta quinque scrupul. Ante Regis Achabaris tempora tantum pagus fuisse dicitur. Iam spatiosissima & populosissima est civitas, cujus plateæ (quæ fere angustæ sunt, præter illam in qua forum rerum venalium celebratur) populum vix capiunt. Iacet forma semilunari ad ripam fluminis *Iemini* vel *Samenæ*, qui à *Delly* descendit, cui plurima & pulcherrima magnatum palatia imminent, peramœno prospectu, ad sex aut plures cosas in longitudinem: ad eandem & regia arx sita est, totius Orientis maxima & superbissima, quippe pene quatuor milliaria Anglica occupans, undiquaque muro è quadratis saxis structo circumdata; intra quam duplex vallum jacet: interius est Regis palatium & prætorium, aliaque ædificia incredibili magnificentia structa. Vrbs ipsa neque muro neque vallo cincta est, sed tantum profunda fossa. Suburbia præterea habet amplissima. Rex Achabar hic primum anno cIↄ Iↄ LXVI sedem cepisse dicitur, & ad illius munimen & ornatum, aliquot portas molitus fuit, quæ Madhar Derwasa, Tziartzou Derwasa, Nim Derwasa, Pouto Derwasa, atque Noery Derwasa dicuntur. Porro urbs longe majorem longitudinem occupat quam latitudinem, quia omnes opportunitatem fluvii sectantes, ad ripam substruxerunt. Magnatum palatia hoc ordine jacent: Primò ab arctoa plaga ordiendo palatium Bador-Chan, qui Hasseren arcem quondam obtinuit: huic vicinum est palatium Radziæ Bosios parentis Ray-Rottangh, qui quinque millium equitum præfectus Barampory cum imperio præfuit: deinceps Ebraham-Chan trium millium equitum præfecti: Rostom-Kandahary quinque millium: Radiæ-Kissendas trium millium: Ethegat Chan fratris minoris natu Assof-Chan quinque millium: Chazady Chanons, regis sororis, & quondam uxoris Madoftar Chan: Goulziar Begem matris regis: Codhæ Mamet Thahar duorum millium equitum præfecti: Codhæ Benziu, mille: Ozier-Chan quinque millium: Tzoach Poerazis amplum ædificium, in quo defuncti regis Achabaris concubinæ degunt: Ethebar Chan Eunuchi, & dum viveret Agræ præfecti: Bager Chan, trium millium equitum præfecti: Mirzæ Abouzayth mille quingentorum: Assof-Chan octo millium equitum præfecti, longe sumtuosissimum palatium: Ethamædaulet, quinque millium: Sultani Chrom principis, & viginti millium equitum, dum pater viveret, præfecti: Chan-Sian quinque millium: Codhæ Abdulhassen quinque millium: Rochiæ Sultan Begem sororis regiæ innuptæ. Sequitur deinceps regia arx, cujus muri ad viginti quinque cubitorum altitudinem è rubro saxo educti sunt, super locum nonnihil editum; opus stupendum, & amœnissimo in omnes partes prospectu, præsertim ad ripam fluminis, ubi opere cancellato structum est cum fenestris aureis, è quibus Rex certamen Elephanto-

phantorum solet prospicere: paulum intra hos cancellos extat Regis prætorium, quod Gussulcan appellatur, quadrata forma ex lapide alabastrite structum, & aureis laminis superbum in modum obductum: sub quo situm est gynæceum (Mahael vocant) Nourziam Begem dilectissimæ superioris Regis Ziangier conjugis: reliqua arcis variis ædificiis occupantur, inter quæ præcipua sunt gynæcea, uti unum Mariam Makany uxoris Achabaris & matris Ziangier: dein tria, quibus regiæ concubinæ concluduntur; quorum unum Lettewar dicitur à die Solis, alterum Mangel à die Martis, tertium Zenisser à die Saturni: nam hisce diebus unum horum Rex solet accedere: quibus & quintum gynæceum accedit, in quo peregrinæ fæminæ aluntur ad Regis libidinem explendam, id Bengaly mahal dicitur. Arcem egressos excipit forum majus, ubi equi, cameli, boves & omnis generis merces venundantur: sequuntur deinceps palatia Mirzæ Abdullæ, filii Chan Azem, trium millium equitum præfecti; Agæ Nours, totidem; Zehennæ Chan duorum millium; Mirzæ Chrom filii Chan Alems, totidem; Mahabot Chan octo millium: Chan Alem, quinque: Radiæ Bartzing trium millium: Radiæ Mantzing duorum millium equitum præfecti.

Ad adversam fluvii ripam *Secandra* urbs jacet, eleganter structa, & fere Baneanibus mercatoribus habitata; nam hic fere appellunt merces omnes è Purob, Bengala, Purbet atque Bouten, & Reginæ vectigal pendunt, antequam fluvium trajiciant: hæc quoque urbs pene duas cosas in longitudinem occupat: sua habet palatia magnifice structa, uti Sultani Perwesy & aliorum: viridaria item amœnissima, inter quæ præcipuum est Ethamæ Doulet, patris Assof Chan & Reginæ Nourzian, superioribus annis defuncti, cui hic magnificentissimum monumentum struitur, tanto sumtu, ut decem milliones rupiarum ei finiendo nequaquam suffecturas arbitrentur, qui initia viderunt. In eadem provincia sita est *Fettipore*; ea distat ab Agra duodecim cosas; nobilissima quondam civitas, quam Achabar muro cinxerat, & hic sedem regni collocaverat, quam postea Agram transtulit: murus hodieque superest, sed ipsa urbs pene vasta est, ædes illius collapsæ, & solum in arva & hortos conversum, ut in medio urbis constitutus, non in oppido, sed in agro versari videaris: patet ab una porta ad alteram tria milliaria Anglica, sed noctu hac iter agere valde periculosum est. Suburbia quoque amplissima fuerunt, sed nunc penitus sunt collapsa. Intra portam quæ boream respicit, amplissimum forum cernitur ad milliare in longitudinem, silicibus stratum & utrumque latus ædificiis septum: ad finem hujus Regia cernitur multis sumtuosis structuris adornata, & supra illam splendidissima totius Orientis Mesquita, ad quam xxv aut xxx gradibus ascenditur, ubi portam habet altissimam & pulcherrimam, quæ è longinquo videri potest: intra quam est area ampla, vivo saxo strata & porticibus undique cincta, cum altissimis columnis è solido saxo & ingentibus laquearibus. E regione portæ monumentum visitur magnificum, in quo conditus sanctus quidam Mahumetanus, ex illorum secta, quos Kalendares vocant, qui suo ære hanc Mesquitam struxisse dicitur. Inferius stagnum jacet, quod solum huic oppido aquam potabilem subministrat, nam reliquæ scaturigines & rivi salsi sunt & insalubres; quæ aquarum penuria Regem compulisse dicitur ut urbem desereret: unde brevissimi ævi intra quinquaginta annos nata & pene extincta. Prius Sykary dicebatur, id est indago, sed Achabar à peregrinatione redux & filio auctus qui post ipsum regnavit, Fetiporen dici voluit, quasi dicas voti compotem. Extra muros versus eorum palus jacet duas tresve cosas longa, piscibus atque volucribus abundans, quam fere totam herba tegit, quæ hermodactylos fert; itemque altera quæ Camolachacherin; qui fructus ambo valde refrigerant. Hermodactyli fructus triangulari cortice tectus est, lignosæ substantiæ, & ad singulos angulos acuta spina armatus. Adhuc viridis tener est, & saporis haud ingrati, sed haud dubio frigidissimus. Vulgus Indorum appellat Singarram. Crescit passim, etiam in stagnis circum Agram. Camalochacheri cyathi formam æmulatur, continetque intus sex aut octo veluti glandes, candida membranula à se invicem disjunctos.

Ad eandem provinciam pertinet *Bayana* sive *Byana*, præstantissimo glasto nobilis. Iter ab *Agra* ad hanc ejuscemodi est: Ad *Menhaporen* magnum diversorium septem cosæ: juxta quod campestre palatium visitur (ipsis Moholl) Reginæ matris, cum suo horto eleganter & amœne culto. Ad Cannovam undecim cosæ.

Notandum autem, in itinere ab Agra ad Asmeren, quod hac agitur, intervallo centum triginta cosarum, singulas cosas lapidea columna esse notatas, & ad octonas cosas gynæceum esse constructum sedecim fœminarum cum suis servitiis capax, opera magni Regis Achabaris; qui quum filiis careret, ab Agra pedes incessit ad Assemeren, ubi Hogee Mondee Mahumetanus sanctus tumulatus est, quem inprimis venerantur.

Cannowa campestre est oppidulum, circum quod optimum glastum sive *Nil* colligitur,

gitur, ob soli soliditatem & aquarum salsuginem, quarum beneficio, fit ut *Nil* multo sit friabilius quam quod dulcibus aquis temperatum fuerit & coactum.

A Belgis nostris observatum invenio, *Cannovam* distare à *Byana* versus occasum decem cosas, & sub se complecti hos pagos, Mahal, & Phoubas, qui distant ab oppido duas singuli cosas; Tzourtsouda sesquicosam; Dabet duas; Mahalpore & Garassa singuli unam: Dannachan duas; Bockolyt unam; Barawat sesqui cosam: Zrazewolian sesqui cosam; Phettaporen qninque.

A Cannowa ad *Ouchen* sunt tres cosæ; ad *Canderen* cœnosum pagum, sex. Duabus ab hoc cosis palatium jacet, quale ante ad singulas octonas cosas à Rege structum fuisse diximus: quadratæ formæ ædificium est, intra cujus primam portam atrium est Regi Darsany destinatum, cum aliquot cubiculis adjunctis minoris notæ; intra secundam ipsum gynæceum est, formæ itidem quadratæ: singula autem latera ita disposita sunt, ut quatuor cubicula præbeant regiis concubinis, & in universum sint sedecim: in medio autem cujusque lateris & ad singulos angulos sunt patentia atria, quæ vocant Devoncam, opulentis auleis strata: in medio totius palatii est Regis cubiculum, & liberrimus ad fœminas accessus, quarum cubicula semper aperta sunt.

Byana quondam amplum & pulchrum fuit oppidum, nunc pene collapsum est, præter duo Saraya & longam plateam sive Bazar, id est, forum rerum venalium, cum casis aliquot; nam pulchriores ædes aut jam conciderunt, aut ruinam minantur, & à paucis incoluntur. Ab hoc tamen oppido præstantissimum glastum sive Nil quod India nobis mittit, nomen suum accipit: id autem quemadmodum à nostris observatum invenio, conficitur in terrarum tractu, qui xx aut xxx cosas in longitudinem occupat; in quo censentur quinque principalia loca, quæ singula plures pagos sub se complectuntur. Eorum unus est *Cannova*, de cujus pagis jam diximus. Alter est *Byana*. Quod oppidum hos pagos sub se numerat: Ebrahamie Dabat, distans ab oppido cosam unam; Ferso, quatuor; Otchim, sex; Patchiona, quinque; Bizampor, quatuor; Mehepore, quatuor; Tzonova totidem; Pinyora sex; Nau Nava totidem; Beretcha quinque; Azenauhe quatuor; Baziola totidem; Pegaulet quatuor; Gordaha, quinque; Hellec Zeos pene decem; Pehertzy septem; Raguwel Khera quatuor; Nimbera septem; Berouwa quinque; Ratziona septem; Indiara quatuor; Tziereer Panna quinque; Birampor quatuor; Catehioera denique quatuor. Tertius locus est *Bassouwer*, distans decem cosas à Byana versus ortum, sub quo hi pagi censentur: Wyris distans à Bassouwer tres cosas: Ratsoulpor quatuor; Hessauda totidem; Tzerrees duas, Barolu unam & semissem; Ziara tres; Pantha duas & semis, Tzettohe tres; Sonoher, sex; Tsonhery, sex. Quartus est *Hindoun*, distans decem cosas à Byana, sub quo censentur pagi; Khera distans cosas duas; Ziamalpoura totidem; Kottopoer, totidem; Haszianepore tres; Sierpoer sex; Tzeroot quinque; Zietwaly & Kardauhe singuli sex. Quintus *Tora*, distans à Byana cosas octodecim, qui & aliquot pagos comprehendit, quorum nomina non traduntur.

Sunt & alia loca in hac provincia, quæ glastum ferunt, uti trans fluvium Semenam Koheloff, Gorza, triginta cosas ab Agra; sed id Byanensi nequaquam bonitate par censetur, & Europæ hactenus non fuit illatum.

Sanbal. *Sanbal* sive *Sambel* (idem & metropoleos nomen) provincia dividitur ad Narvar fluvio Iemini, qui sub oppido Halebasse in Gangem se condit: à quo confluente hæc provincia pertinet ad Corum: hæc provincia ab aliis Do- ab videtur appellari, id est interamnica.

Bakar. *Bakar*, cujus primaria urbs appellatur *Bikaneer*, ad occidentalem Gangis ripam sita est.

Nagrakut. *Nagrakut* sive *Nakarkut*, montana provincia, & extrema hujus regni, versus aquilonem. Metropolis illius eodem nomine censetur, in qua sumtuosissima capella visitur, cujus solum & tabulatum laminis aureis est inductum: in ea idolum colitur, quod vocant *Matta*, ad quod venerandum multa Indorum millia quotannis confluunt, & particulas linguæ suæ præcisas ipsi immolant. In eadem provincia jacet *Callamaka*, ad quam quoque plurimi religionis ergo peregrinantur, ubi è frigidis fontibus & duris rupibus, quotidie flammæ videntur emicare, coram quibus barbari & superstitiosum vulgus se venerabundum prosternit.

Siba. *Siba*, cujus metropolis est *Hardwair*, ubi Ganges oriri creditur è rupe, quam superstitiosum vulgus, vaccini capitis figuram habere imaginatur; quod animal supra cætera gentes hæ maximi faciunt; eoque quotidie amnis illius undis corpora sua abluunt. Montensis est provincia, à Nakarkut versus austrum.

Kakares. *Kakares*, cujus præcipua oppida sunt *Dankaler* & *Purhola*, latissima regio & montana, à Tartaria Caucasi jugis divisa; hæc maxime Septentrionalis est hujus regni pars; jacens à Cassimere ad Boream.

Gor. *Gor* à metropoli sua sic dicta, montensis itidem provincia; in qua oritur *Perselis* fluvius, qui in Gangem influit.

Pitan.

Pitan sive *Peitan*, metropolin habens eodem nomine; *Kanda* fluvius illam rigat, & in finibus illius Gangi miscetur: montana est provincia, & à Iamba pertinens ad ortum.

Kanduana.

Kanduana, cujus metropolis est *Kerahkatenck*, separatur à Peitan fluvio Persely: hæc provincia & Gor limites hujus imperii claudunt versus Boream.

Patna.

Patna, sic dicta à sua metropoli, fertilissima provincia, inter quatuor fluvios sita, quorum Ganges hanc ad occidentem, Persely ad orientem concludunt; reliqui duo sunt Iemini & Kandah.

Iesual.

Iesual, cujus metropolis est Raiapore sive Ragapor; Iacet hæc provincia à Patna versus ortum, finesque jungit cum Bengala versus Eurum.

Mevat.

Mevat, cujus metropolis appellatur *Narnol*, regio montibus aspera, à Gange vergens versus ortum.

Vdessa.

Vdessa vel *Vdeza*, cujus metropolis dicitur *Iokanat* vel *Iekanat*, extima provincia hujus imperii versus ortum, & fines jungens cum regno *Maug*, cujus incolæ ferocissimi sunt & maxime barbari.

Bengala regnum.

Bengala spatiosissimum & fertilissimum regnum, quod à freto Bengalensi clauditur ad meridiem, in quod Ganges quatuor ingentibus alveis se exonerat. Hujus principales urbes *Ragmehell* & *Dekaka* sive *Daack*: finitima est. Choromandel versus Africum; pluresque habet portus, uti grandem & parvum, qui à Lusitanis frequentantur; *Philipatan*, *Satighan*, &c. Continet plures provincias, inter quas eminent Purop & Patan sive Potan, unde potentissimi Reges quondam nomen habuerunt.

Bengala regnum (quod Mogoles superioribus annis subjugarunt & imperio suo adjunxerunt) amplissimum est, quippe quod centum & viginti leucas secundum oram maris in longitudinem patere dicatur, & haud pauciores intra continentem in latitudine. Permeat illud fluvius *Chaberis* (quem alii vocant Guengan, & antiquorum Gangen esse judicant plerique) à Coro, ut ab Anglis observatum inveni, descendens, & quamplurimos alios amnes dextra lævaque & præcipue ab Arcto in se recipiens.

Provincia hæc abundat oryza, tritico quoque, saccharo, gingibere, pipere oblongo, gossypio, serico; gaudetque cælo admodum salubri.

Regia hujus provinciæ appellatur *Gouro*, proxima huic *Bengala*; ambæ civitates præclaræ & opulentæ: à quarum postrema, an ab ipso regno, sinus ille qui olim Gangeticus dicebatur, vulgo jam *Golfo de Bengala* agnominatur. Inter cætera oppida recensentur *Chatigan*: *Tanda* itidem insigne emporium, circiter milliare unum à ripa fluminis Gangis remotum.

Banaras vastum oppidum, ad ripam ejusdem fluminis *Patanaw*, insigne oppidum, latis quidem plateis, sed ædibus humilioribus & è cespite aggestis: amplissimi & nobilissimi quondam regni caput, quod jam non minus quam cætera, Mogolum imperio paret. *Orixa* itidem ad eandem provinciam pertinet, & ipsum quondam regnum, antequam à Potanensi & mox à Mogole sub jugum mitteretur.

Indigenæ hujus regni, ingenio sunt subtili quidem, sed pravo; mares quippe omnes furtis & latrociniis; feminæ impudicitia & libidine infames sunt; cæterum religione Mahumetani.

Iter ab Agra ad Halabassen, quæ est in Purropia arx, instituitur ad hunc modum:

Puropia provincia.

Ab Agra trajecto flumine Iemina, ad *Amediporen* sunt VIII cos. hîc plurimum glasti conficitur, quod vocant *Cole*, inferioris notæ, quodque aut in India consumitur, aut Samarcandam & Cascar mittitur, nec unquam infertur Europæ nostræ. Ab hac ad *Itay*, XII cos. Hîc quondam unus Potanensium Regum egit, sed nunc oppidum pene dirutum est: in vertice abrupti undique montis castellum jacet, duplici muro cinctum, cujus portæ facies humana insculpta, quam Indi superstitiose colunt, & multo oleo venerabundi perfundunt.

Ab hoc ad *Chappergat* sunt XII cosæ, hîc tam splendidum Sarayum extat, ut potius arx quam diversorium esse videatur.

Ad *Meneporen* totidem cos. & secundum Gangis ripam ad *Halabassen*, xx. urbs hæc sita est ad ripam Gangis, olim *Praye* dicta. Varii Potanensium Reges hic frustra conati fuerunt arcem moliri; Achabar autem Mogolum rex tandem fundamenta illius jecit, & uti ferunt, supra viginti millia operarum in eo plurimis annis exercuit; necdum tamen perfecta est arx. Sita est ad angulum terræ, ubi Iemina in Gangem confluit; cincta triplici muro, quorum extimus, qui altissimus, è quadratis rubris saxis structus est. In interiori area columna sive obeliscus cernitur, quinquaginta cubitos è solo extans, & longe plures sub terram descendere creditus; magni alicujus Principis opus; Indi omnes credunt Alexandri esse. Præterea magnificentissimum hîc visitur palatium Regis, sub quo in subterraneo antro Pagodiæ sunt, monumenta, ut Indi vanè credunt, Babæ Adam & Mamæ Hauah & primæ illorum prosapiæ. Persuasi enim sunt primum hominem aut hic creatum, aut saltem diu egisse; seque illius religionem sequi profitentur. Ad hæc monumenta ex omnibus Indiæ provinciis accurrunt, & antequam propius accedant, corpora

pora in Gange abluunt, & comam barbamque radunt; hoc facto se ab omnibus peccatis mundari opinantur.

Ab hoc oppido mensibus Octobri & Novembri, soluto gelu, cymbis descendunt Bengalam versus, quæ navigatio admodum periculosa est.

Quatuor cosis sub hoc oppido, ad dextram lævamque ripam, sunt duæ munitæ arces *Harrayle* & *Hussoe* à Potanensibus conditæ.

In eadem Purropia sita est *Potana* vastum oppidum, cum munita arce, in qua regii thesauri custodiuntur: ab hac Reges Potanenses nomen habuerunt, quorum jam sæpius memini, aut potius hi Reges huic nomen dederunt, qui è montanis inter Candahar & Kabul digressi in Indiam se effuderunt; & superato Rase Pethory Dellensi Rege, aliquandiu rerum in India sunt potiti, donec Mogoles illos vicissim imperio exuerent.

Regiones quæ à Cahore versus ortum & meridiem jacent.

Adverso flumine *Ravee*, & secundum ripas illius versus ortum ascendentibus, obvia fit provincia Rahiæ Bossow, cujus metropolis appellatur *Temmery*, quinquaginta cos. à Lahore dissita. Potens hic est princeps, sed Mogoli jam subjectus, ipsique charissimus. Ex illius terris pleraque simplicia petuntur, quæ maxima copia colligunt in montanis.

Huic vicina est provincia alterius Rahiæ, quem *Tulluck-Chan* vocant. Hujus metropolis est *Negarcut*, octuaginta cos. à Lahore & totidem à Sirynan. In hac famosum est Idololatreium sive Pagode, *Ie* sive *Durgan* dictum, de quo mira narrant somnia. Hic princeps ob inaccessos montes quos incolit, interdum ita insolescit, ut Mogolis majestatem parum reverenter colat.

Illi ad orientem vicinus est *Decamperga*, potentissimus Princeps, cujus præcipua sedes, est *Calsery*, centum quinquaginta cos. ab Agra; adeo frequens est incolis provincia, ut brevi tempore quinquaginta millium exercitum possit cogere, maxime peditum, nam equitibus haud ita abundat.

Ab hoc itidem versus ortum, inter Ieminam & Gangem fluvios, Rahiæ Mansæ provincia jacet, tam opulenti principis, ut vasis è solido auro ipsi cibos ministrari perhibeant; ejus metropolis est *Serenagar:* claudunt montes, quos *Dow-Lager* appellant, jugi nive candentes, licet regio non supra quadraginta gradus divergat ab æquatore versus Arctum, & cætera perfertilis sit. Distat ab Agra ducentas cosas, à Syrina quinquaginta.

Trans Gangem, potentissimus princeps degit, Rahia Rodorow, qui amplissimam regionem montensem possidet, cujus Metropolis dicitur *Camoio*; cum China fines jungere dicitur. Ingentes peditum copias cogere valet, equis ob asperitatem montium uti non potest, & frigus elephantos excludit; habet tamen equorum prosapiam, quos vocant *Cunt*, ad inaccessos montes superandos, uti videtur, à natura factos.

Ab hoc ad meridiem, trans alveos Gangis, potentissimus Rahia *Mugg* provinciam obtinet, equis & elephantis abundantem; ubi & opulentissima adamantum fodina reperiri dicitur. Sub hoc inter Gangis fluenta, Potanensis princeps agit, è prosapia Regum Delly, quem Mogol domare nequivit, ob Gangis divortia & crebras insulas. Purropiæ fines attingit, eosque crebro incursat, ita ut Rex Mogolum hîc præsidia magno sumtu alere cogatur.

Hinc ad Gangis ostia regio omnis Mogoli paret, præter unum castellum quod Lusitani exules tenent. Trans Gangem jacet potentissimum regnum *Arracam*, quod ad ortum clauditur à *Siam, Ova* & *Iangoma*. Inter Tanassar & Arracan jacet regnum *Pegu*, nunc pene vastum; à quo ad meridiem jacet *Queda*, *Malacca*, &c. Ad oram maris habet Rex Mogolum duos principales portus, *Ougolee* quem Lusitani usurpant, & *Pipilee* quem alii vocant Petepolin, quindecim gradibus & 36 scrup. ab Æquatore. Præter quem & *Orixam* provinciam ad occidentem tendendo, in *Golcondan* provinciam transitur, quam Selimus subjugare nitebatur anno CIↃ IↃ C IX. Hujus præcipuus portus est Musulipatan, qui distat ab æquatore XV grad. & LVII scrup. regia autem sedes *Braganadar* & *Golconda* nuper admodum condita. Et porro secundum oram maris procedendo, Regnum *Bisnagar*, in quo Lusitani tenent oppidum *S. Thomæ* & *Negapatan*. Sed de his post plura dicentur.

Golcondæ regnum.

Musilipatam præcipuus portus regni *Golcondæ* situs est ad sinum Gangeticum, sedecim gradibus & triginta scrupulis ab æquatore versus arctum. Exiguum est oppidum, sed incolis frequens, nullis mœnibus cinctum, nec ædificiis pulchrum, nec situ commodum, quum omnes illius scaturigines sint salsæ; commerciorum opportunitas è piscatorum nido emporium fecit.

Cælum hîc salubre est. Annum in tres tempestates dividunt. Quarum primam quæ Martium, Aprilem, Majum & Iunium includit, æstatem vocant; nam hisce mensibus tantus hic est æstus, ut vix tolerari possit, aura ipsa cum summo fervore ab occidente perflante. Iulio, Augusto, Septembri & Octobri, hîc fere continuo pluit, & interdum nimbi tanta violentia incumbunt, ut ædificia à fundamentis diruant. Hisce tamen pluviis, & quæ sequuntur inundationibus, solum suam debet fœcunditatem. Reliquis quatuor mensibus tolerabilis est æstus. Solum fertile est ita,

est ita, ut multis locis bis, alibi etiam ter oryzam producat: habent & triticum & alia farris genera Europæis ignota.

Regnum hoc nomen accipit à primaria urbe & Principis regia *Golconda*, Mahumetanis & Persis *Hidraband*; ea distat à Musulipatna vigintiocto leucis illius regionis (quarum singulæ novem milliaribus Anglicis comparantur) sive itinere decem dierum. Civitas & aëris amœnitate, & agri fœcunditate nulli totius Orientis urbi inferior. Rex hic palatium habet, ambitu vastum, quippe quod duodecim milliaria Anglica capiat; muris undiquaque cinctum; ædificia omnia è saxo, quorum præcipua multo auro splendent. Quid multa? elegantia & opulentia Principis summa est. Nam elephantorum copia & gemmarum atque opum abundantia cum Mogolum Imperatore certat, regnorum amplitudine superatur. Princeps religione est Mahumetanus, à Persis originem repetens, quorum & sectam sequitur. Gentile illius nomen Cotub Sha, quod à prædecessoribus acceptum servat. Mogolis quidem imperio haud est subditus, majestatem tamen illius anniversariis donis comiter veneratur. Reditus illius annui dicuntur esse viginti lackes sive milliones pagodum; pagode autem pondere & valore æquat coronatum Gallicum. Solus quippe dominus est omnium terrarum, easque subditis suis magno pretio elocat.

Rex Golcondæ.

Ad limites regni & in meditullio illius, numerantur sexaginta sex munita castella, quorum singula suos habent præfectos, quos vocant *Naykes* & præsidiarios milites: ea fere editis rupibus imposita sunt, ad quas plerumque tantum unus trames satis angustus ducit; neque quisquam sine expresso Principis mandato in hæc castella admittitur. Ejusmodi rupes vocant Conda.

Castella Regni Golcondæ.

Horum castellorum unum quod *Condapoly* appellant, juxta oppidum ejusdem nominis, vasto est ambitu, complectiturque sex castella, quæ alia aliis editiora sunt, continentque singula sua stagna & lucos arborum tam sylvestrium, quam fructiferarum, & arva serendæ oryzæ idonea: denique præsidiarios ad duodecim millia.

Porro inter istud castellum, & alterum quod *Condavera* vocatur, intervallo viginti quinque milliarium Anglicorum, certis intervallis dispositæ sunt turres excubitoriæ, è quibus per faces ardentes sibi invicem brevissimo tempore obnunciant, quid rerum in provincia geratur.

In hoc regno superioribus hisce annis, casu inventæ fuerunt opulentissimæ fodinæ adamantum, ad radices vasti montis, haud procul à fluvio *Christena*, in agro inprimis sterili & aspero; circiter centum & octo milliarium Anglicorum à portu Musilipatnam. Rex fodinas has solebat elocare pretio annuo tercentum mill. pagodum, ea insuper conditione, ut adamantes omnes pondus decem caratiorum excedentes, in ærarium suum inferrentur. Anno autem CIↃ IↃ C XXII fossoribus à Rege interdictum fuit, ne ultra scrutarentur: cujus interdicti causam reddunt alii, ne gemmæ hæ nimia quantitate vilescerent; alii Imperatoris Mogolis postulatum, qui per Legatum tres libras (*vysen* ipsi dicunt) præstantiorum adamantium sibi tributi nomine mitti, Regi Golcondæ imperaverat: sed magis verisimile videtur, nimia fossorum avaritia fodinas jam pene esse exhaustas. Narrat enim Wilhelmus Metholdius Anglus, fodinas hasce se adiisse. Improbo labori tum, prout accepit à rerum gnaris, insudabant supra tringinta millia operarum, quorum alii solum effodiebant, alii corbibus egerebant, alii aquam exhauriebant longa & permolesta methodo, certis vasis de manu in manum illam sustollentes; nam machinarum pene ignari sunt barbari. Agunt autem puteos rectos in terræ viscera, ad decem aut duodecim orgyarum altitudinem; & egestam glebam (quæ fere rubet, luteæ & candidæ cretæ sive calcis venis permista) areæ ad hunc usum complanatæ superinfundunt, quatuor aut quinque pollicum crassitie; eamque à sole induratam & arefactam, saxis comminuunt, & silices permistos eximunt atque rejectant, reliquum pulverem cribrant; eaque opera interdum pauciores, interdum plures gemmas eruunt; non raro & nullas, cum temporis & operæ jactura. Effodiuntur in hoc regno & aliæ gemmæ, sed viliores, quarum non est operæprecium meminisse.

Adamantum fodinæ.

Reliquæ hujus Regni merces sunt, ferrum & chalybs: nam auri, argenti, æris metallis caret. Lapides Bezoares: gossypini panni omnis generis, præsertim eleganter tincti & picti, in qua arte cæteros Indos excellunt; utuntur inprimis ad hanc operam planta quam vocant Chay; hac perfectissimum & pertinacissimum colorem rubrum exprimunt: Anil, &c.

Merces.

Fabricantur hic naves satis vastæ (utpote interdum sexcentorum & amplius doliorum capaces) ex optima materie, sed neque tam commodæ, neque ita bello aptæ, quam sunt Europeæ: iis navigant commerciorum gratia versus Moham ad mare rubrum sitam, mense Ianuario, & redeunt Septembri aut Octobri: versus Achinum, Araccan, Pegu, Tanassarin mense Septembri; unde revertuntur mense Aprili.

In Guzuratensi provincia, & ad oram Indici maris, heyms initium sumit calendis Iuniis,

Cœli ratio.

niis, & durat in Septembrem. Sub exitum hyemis gravissimæ hic incidunt pluviæ, tempestates, & non raro typhones horrendi. Ventus hic constanter sex fere mensibus ab arctoa plaga, totidemque ab australi perflat, paullulum modo varians. Menses Aprilis, Majus, & pars Iunii immodice fervent, donec pluviæ ingruere incipiant, ita ut aura remissius flante, æstus corpora graviter offendat & plurimum noceat; sed Dei beneficio, ventus hic vehementer perflat, ita ut æstum egregie temperet: sed hoc habet incommodi, ut non raro siccis mensibus pulverem & arenas sustollat, & nubecularum instar præ se agat, quæ in homines incidentes magnum detrimentum adferunt.

Ab oppido Suratte & ora Indici maris usque ad Agram, ubi aula regia, non nisi certa anni tempestate pluit, nimirum tribus illis anni mensibus, quibus sol ad Tropicum Cancri accedit, & ab illo recedit: reliqui novem menses adeo sereni sunt, ut vix nubecula ulla conspiciatur.

Soli qualitas. Regio fere omnis abundat optimo tritico, hordeo, oryza, & aliis farris generibus: butyro præterea & caseo, ob immensam multitudinem armentorum, pecudum, caprarum & bubularum. *Animalia.* In sylvis, quæ hic frequentes, innumeræ vagantur feræ, cervi, damæ, aliæque. Boves & oves magno habent numero. Equorum copia magna est, non modo domesticorum, sed & Persicorum & Arabicorum, quæ præstantissimi judicantur. Habent præterea plurimos camelos, asinos, mulos, dromedares, rhynocerotes; in primis autem elephantos: nam rex solus quatuordecim millia alere dicitur; magnates cæteri & nobiles, pro dignitate atque opibus plures aut pauciores, quidam è proceribus centum. Plurimæ hic repeiuntur feræ hominibus infestæ, leones, tygres, lupi, canes, angues, & similia animantia. In fluminibus crocodili; in ipsis ædibus scorpiones. *Fructus.* Fructus arborei hic plurimi & perfectissimi; varii quoque plantarum fructus radicesque. Omnes arbores hic perpetuo virent. Multa simplicia, quorum insignis in medicina usus, regiones hæ producunt: aromata aliunde importantur, opulentissimo commercio. Metallorum haud expers est solum, ferri, æris, plumbi,&c, ut quidam narrant, etiam argenti.

Merces. Præcipuæ hujus regni merces sunt: primo gossypium, & panni qui ex illo texuntur, immensa copia & innumera varietate; quorum quidam ita subtiles sunt & ita candidi, ut Europæos omnes, qui è lino fiunt, superare videantur, aut saltem æquare; singuli autem peculiaria nomina sortiuntur, aut à coloribus quibus imbuuntur, aut à subtilitate atque bonitate.

Secundo *Annil*, quod vulgò glastum vocant, tincturæ species toti Europæ jam notissima & usitatissima. Porro herba è qua fit, non absimilis est ciceri, foliis ad modum senæ, sed paulo brevioribus & latioribus, ramusculis lignosis instar genistæ: caulis raro ad proceritatem ulnæ assurgit, & tertio quoque anno vix pollicis crassitiem assumit; flos jaceæ flori haud dissimilis est; semen fœnugræci semini nonnihil accedit, utrimque compressum & veluti præcisum, quod Novembri mense colligitur, seritur fere mense Iunio. Herba semel sata triennium durat, & sub finem mensis Septembris, aut initio Octobris, quum pluviæ cessant, secatur. Primo anno planta adhuc tenera est, & glastum quod ex illa conficitur, imperfectum est, rubicundo colore, & ponderosum, ita ut aquæ injectum fundum petat & subsidat: id vocatur *Nouti* sive *Mousi*: secundo anno absolutum est, leve & violacei coloris, aquæque inditum supernatat: id peculiari nomine vocant *Cyerce* sive *Ziarie*: tertio anno rursus declinat à perfectione, estque grave & nigri coloris, omniumque vilissimum: appellant *Catteld*. Conficitur autem glastum ex hacce planta in hunc modum: plantam sectam conjiciunt in oblongam cisternam ad id paratam, & multis saxis superinjectis deprimunt, atque diluunt & operiunt pura lympha: ita compressa & aqua cooperta relinquitur ad aliquot dies, donec aqua colorem & substantiam omnem herbæ extraxerit & imbiberit: tunc aquam hanc in rotundam cisternam, in cujus fundo alia minor itidem orbicularis structa est, emittunt; bacillis valide eandem agitant, & liquidam sensim despumant; atque id tantisper, donec aqua omnis despumetur, & fæces atque crassior substantia in fundo subsidant. Hanc exemtam super pannos extendunt & siccant ad solum: ubi autem jam paululum indurari cœpit, in orbiculos, aut laminas, aut pastillos cogunt; & super arenam porro indurandam projiciunt; nam omnis alia materies colorem ebiberet & vitiaret. Si pluvia inopinato ingruat, perit color & splendor glasto, & hinc ab ipsis *Aliad* appellatur. Præstantissimi glasti notæ sunt, siccitas, levitas, ita ut aquæ innatet violaceus color, & splendor coram sole: & si prunis ardentibus impositum violaceum fumum edat, & quam paucissimos cineres post se relinquat.

In provincia Vtrad colligitur *Salgema*, indigenæ vocant *Geukar*, à *Kar*, quod salem notat, & *Geu* quod hordeum; quia è rore, qui in segetes incidit, concrescit; Lusitani autem vocant *Salgeu* & *Salgema*. Spica nardi, Persis & Arabibus *Sembultib*, quasi

quasi dicas spicam odoratam : nam *Sembul* ipsis est spica ; unde & Astronomi Persæ signum Virginis in Zodiaco vocant Sembul.

Eadem provincia perfectissimum *Ingu* mittit, Medici & Pharmacopolæ Europæi vocant assam fœtidam. Cogitur autem in tribus fere provinciis. Nimirum in Vtrad Indiæ provincia, atque hæc purissima est, neque admodum amara : huic proxima in Persia ad oppidum Duzgun, quod vicinum est Lastano, inter Komron & Laram civitatem circiter xxx leucas ab Ormuzio : tertia itidem in provincia Persiæ,quæ dicitur Karazon.Planta quæ assam hanc fœtidam producit, est duorum generum: una est arbustum altum, sive frutex exiguis foliis, quæ non sunt absimilia rutæ, sed hæc planta parce admodum profert: altera est radix instar raphani,producens caules grandes & teneros, cum frondibus figura accedentibus ad folia ficus infernalis;hæc planta alibi seritur, alibi sponte & inculta provenit, amat enim loca aspera & montosa. Cogitur sub finem autumni, nam æstate exeunte lædunt caules & ramulos, atque ita gummi incipit emanare. Quatuor hujusmodi radices (inquit Texeira, quem hic sequimur) mihi è Duzgun allatas aliquandiu servavi,quum Ormuzii agerem, tam vehementi odore, ut in ædibus vix à quoquam ferri posset, & tam pertinaci, ut octo mensibus nihil de fragrantia sua remitteret. Arabes huic gummi varia tribuunt nomina, quorum præcipua sunt *Haltit, Samaktre, Hhilbeis, Zaefa:* Persæ vocant *Inghza:* Baneanes Guzaratenses, quam illi ex Vtrad accipiunt, Inguh ; Persicæ autem Ingara nomen tribuunt. Guzaratenses assa hac fœtida utuntur in omnibus cibis, neque ullum condimentum absolutum putant sine illa : omniaque vasa sua in quibus dapes suas mensis inferunt, eadem inungunt; adeoque illi assueverunt, ut ipsis suavis & boni odoris esse videatur : quum cæteræ nationes ut graveolentem & ingrati saporis abominentur. Opium præterea, quo nationes pleræque Asiaticæ tantopere capiuntur, maxima copia hic colligitur ; ipsi vocant *Afion* : emanat illud è surculis papaveris incisis : tenuiores vero illius loco utuntur vulgo decocto capitellorum papaveris : quia autem capitella ista vocantur ipsis *Pust*, eos qui decocto illo utuntur, appellant *Pusty*, uti opulentiores, qui opium usurpant, *Afony*. Vsum illius primo introductum volunt Persæ à viris principibus, quibus curæ somnos adimebant: vulgusque sensim imitari cœpisse, ut fere solent : ita ut jam pauci sint, qui alterutro non utantur. Narrat Texeira, se vidisse nonnullos, qui tantopere illi assueverant, ut quum illo destituerentur, emorerentur. Plures tamen nimio illius usu læduntur, atque adeo tolluntur: est enim lethale venenum,nisi quis modum adhibeat, & caute illo utatur.

Præterea nitrum sive sal petrosus hic magna copia conficitur, præsertim circum Agram & in vicina provincia, in agris qui aliquandiu inculti jacuerunt, è gleba tam nigra quam fusca, atque etiam subalbente ; sed qui è nigra fit, maxime commendatur. Fit autem ad hunc modum ; effodiunt scrobem satis amplam instar salinæ, implentque nitrosa illa terra ; tum copiosa aqua per canales inducta, improbo labore multorum operariorum plantis pedum pinsunt, subiguntque,donec pulticulæ formam & liquiditatem induat;dein post biduum,ubi aqua omnem substantiam nitrosam è gleba in se contraxerit, liquidum omne, in alteram scrobem priore depressiorem & minorem derivant, ut iterum coagulescat ; postea in ferreis patellis excoquunt & despumant, purumque à fœcibus in figulina vasa transfundunt ; & ubi jam quicquid adhuc restat fæcum, in vasorum fundum deposuerit, & incrassescere cœperit, vasa illa comminuunt, & salem, uti ita dicam, porro ad solem indurandum & siccandum exponunt.

Borax reperitur in montanis *Purbet*, quæ perampla est provincia, parens Rahiæ Bieberom, & pertingens ad fines Tatarorum,quos vocant candidos ; præter Boracem etiam moschi, spicæ nardi, argenti vivi, æris & tincturæ cujusdam, quam vocant Mirzel, qua panni elegantissimo colore jecorario sive castaneo inficiuntur, ferax ; quæ merces Dongam perferuntur, quæ distat ab Agra centum & quinquaginta cosas : hæc Mogoli quidem subest,regitur autem à Rahia Biecka. Porro Borax invenitur in loco, quem vocant *Taackelehan*, in fluentis quæ montes Purbet permeant, & tandem descendunt in fretum quoddam mediterraneum, quod ipsi vocant *Masseroor* ; in illorum fluentorum fundo Borax concrescit instar coralli, exemtusque inditur in sacculos ex agninis pellibus consutos, addito butyro aut oleo, ut melius conservetur.

Denique non deest hic saccharum magnâ copiâ : uti neque variæ gemmæ, crystallus, alabastrites, porphyrius lapis, jaspis, achates, aliæque, quas incolæ eleganter perpolire norunt ; quibus accedunt adamantes, & quas vocant, *oyos de gato*.

Populorum hujus regni mores.

Incolæ & indigenæ *Indostan* olim gentiles fuere & profani idololatræ, communi nomine *Hindoi* dicti, sed postquam à *Temirlane* subjugati, fuerunt Mahumetanis permisti. Præterea hic multi degunt Persæ & Tartari, multi Abyssini & Armenii, & pene ex omnibus gentibus Asiaticis aliqui, atque adeo ex

ex Europæis. Sunt etiam inter illos aliqui Iudæi, ſed contemtim fere habiti. Indigenæ noſtratibus ſtatura æquales, & fere erecto corpore; nam pauci aut nulli hic reperiuntur incurvi aut gibboſi. fuſco ſunt colore & olivaſtro, nigris capillis; non tamen criſpis. Non amant candidos aut formoſos,quia hunc leproſorum colorem eſſe dicunt, quales inter illos ſatis frequentes. Plerique Mahumetani, exceptis ſacerdotibus quos vocant *Molaes*, omnes capillos radunt, præterquam ſupra labrum ſuperius. Omnem comam capitis abradunt, præterquam circa verticem, ubi cirrum relinquunt, ut Mahumetes illo ipſos in cœlum attrahat. Veſtes marium & fœminarum pene ad eundem modum factæ ſunt è goſſypio panno; tunicæ utrorumque arctæ ac circa lumbos ſtrictæ, quas ad genua uſque promittunt, ſub quibus braccas geſtant ad talos uſque demiſſas: pedes illorum nudi, quibus calceos inducunt apertos, crepidarum inſtar, ut facilius demere poſſint quum ædes ſuas ingrediuntur: nam ſolum pro uniuſcujuſque conditione, aut pretioſis ſtragulis, quæ hic non minus elegantia quam in Perſia texuntur, aut alio viliori tegumento inſtratum eſt; cui ſartorum in modum inſident, quoties aut confabulantur, aut cibum capiunt. Caput ſubtili panno, candido aut colorato, involvunt, *Sahsh* ipſi vocant; nec unquam illud detegunt, quum ſuperiores ſuos venerantur, ſed corpora ſua inclinant, & ſolo prius dextera contacto, eandem ſupra verticem capitis attollunt, indicantes licere illis quos colunt vel capita ipſorum pedibus premere. Æquales ſe invicem ſalutantes,barbam prehendunt, & verbis valde opportunis ſibi invicem bene precantur, puta *Greeb à Nemoas*, id eſt, precor tibi orationes pauperum, & ſimilibus.

Fæminæ Mahumetanæ non prodeunt in publicum, niſi tenuioris fortunæ aut impudicæ; capita velant, & capillum à tergo in nodos coactum promittunt: opulentiores plurimis monilibus ornantur; non paucæ quoque unam narium perforatam habent, ut illi cum lubet,annulum aureum cum gemma poſſint inſerere. Præ cæteris mortalibus facillime pariunt: nam non raro uno die uterum geſtant, & altero infantem ulnis geſtantes obequitant.

Ædes incolarum fere humiles ſunt, & deſuper planæ,pluribus feneſtris inſtructæ, quibus auram admittunt. Vitra ignorant. Præcipua illorum ædificia è lateribus aut vivo ſaxo conſtructa ſunt. Tam in urbibus, quam in pagis, ædes frequentibus arboribus ſeptæ ſunt, ita ut è longinquo urbes illorum intuentibus, magis nemora & luci, quam oppida videantur.

Nulla in hiſce regionibus ſunt diverſoria, in quibus itinerantibus neceſſaria ad victum præbeantur, tantum in majoribus civitatibus atque oppidis ædes quædam ſunt, quas vocant *Saray*,non habitatæ, quæ ab advenis occupantur; ſed neceſſe eſt lectos & reliquam ſupellectilem & coquos ſecum vehere, quibus utantur; uti & tentoria, quæ figunt in illis locis, ubi nullæ ejuſcemodi ædes reperiuntur.

Plebeii equis, aſinis, mulis & camelis vehuntur, tam fæminæ, quam mares; aut interdum vehiculis, quæ tantum duos treſve capiunt, & à bobus trahuntur, deſuper tantum tecta, niſi quum fœminas vehunt, tunc enim undique concluſa ſunt: hos boves haud ſecus curant quam equos, & huic operæ ita aſſuefaciunt, ut viginti milliaria una die abſolvant.

Locupletiores & magnates Elephantis utuntur; aut pallanca (ut vocant) quæ veterum lecticam æmulatur, quam bajuli geſtant.

Aucupio & venatu plurimum delectantur: canes illorum noſtris venaticis non abſimiles ſunt, ſed minores: etiam leopardos ad venandum cicurant, qui ſaltu feras aſſequuntur. Aves paluſtres & fluviatiles miro aſtu capiunt. Nam avis ſimilis illis quas capere proponunt, exuvias infarciunt ita, ut vera avis videatur, & aquam ingreſſi, totum corpus demergunt, facie ſolum excepta, quam ave illa factitia tegunt, atque ita inter avium gregem delati, eaſdem ſub aqua pedibus prehenſas capiunt.

Sunt & induſtrii ſagittarii, quippe arcus exiguos è bubalorum cornibus artificioſe conglutinant, & ſagittas è levibus cannis induſtrie aſperant, quibus volucres etiam volantes ferire norunt. Domi ſcaccorum ludo plurimum delectantur; habent & chartas luſorias, ſed à noſtratibus multum diverſas. Luctæ quoque & pugilum ſpectaculo animum explent, aut præſtigiatorum, qui angues quoſdam circumgeſtant, à quibus ſe morderi patiuntur. Denique ſimiorum & cercopithecorum ludibriis valde capiuntur; quos regio hæc innumeros nutrit, candidos & valde agiles, quique avium nidis mire inſidiantur.

In ſingulis majoribus civitatibus & municipiis, fora rerum venalium bis quotidie celebrantur, ſemel paulo ante ortum Solis, iterumque paulo ante illius occaſum; ubi pleraque omnia pondere veneunt.

Sole fervente domi deſident; opulentiores quoque ſervos ſuos habent qui largis coriaciis flabellis ventum faciant & aërem refrigerent: uti & chirurgos ſuos, qui brachia ipſorum & alia membra agitent ac jactent;

quod

quod in orientalibus hiſce regionibus eſt uſitatiſſimum, ad ſanguinem commovendum.

Laudanda autem eſt Mahumetanorum & gentilium fidelitas, qui peregrinis in itinere ita famulantur, ut tutiſſimo hic paſſim iter agere poſſint. Heros ſuos pedites & armati comitantur: horum opera admodum vilis eſt; nam ſingulis lunis præter victum haud ſupra quinque ſolidos pro mercede accipiunt. Summam quoque pietatem erga parentes colunt, ita ut ipſi potius fame emori malint, quam ipſos egere.

Sunt tam inter Mahumetanos quam Gentiles quidam notæ fortitudinis atque audaciæ; inter quos agmen ducunt Baloches ſive Boloches, qui Hajacan provinciam incolunt ad fines Perſiæ; & Patanes in provincia ejuſdem nominis in regione Bengalæ. Inter varias gentilium ſectas, tantum una eſt natio, Rasbootes vocant, latrociniis infamis, qui itinerantes ſine diſcrimine ſpoliant & crudeliter trucidant; iidem ſunt & fortiſſimi milites; reliqui harum regionum indigenæ fere puſillanimes ſunt, & magis rixari amant quam pugnare, ita ut Rex dicterio uſurpet; unum Luſitanum tribus Indis præſtare, & Anglum unum, aut Belgam, duobus Luſitanis.

Naves quæ quotannis Suratte ſolventes Moham in Mari rubro ſitam petunt, ingentis molis ſunt, ſed neglectim ſtructæ; & licet plurimis machinis inſtructæ ſint, ne ſic quidem ſatis munitæ. Singulis interdum mille ſeptingenti homines vehuntur, qui non tam rei faciendæ gratia proficiſcuntur, quam ut Medinam petant, & Mahumetæ ſepulchrum venerentur; nam qui hanc peregrinationem ſemel abſolverint,deinceps *Hoggei*, id eſt, Sancti appellantur. Solvit autem hæc navis plerumque menſe Martio, & ſequenti anno ſub finem Septembris revertitur: breviori quidem & duorum menſium ſpatio iter hoc abſolvi poſſet, ſed pluviis menſibus tam ſævi ventorum turbines Indico mari incumbunt, ut non niſi cum ſummo diſcrimine tum navigetur. Navis hæc vix aliud quicquam præter aurum & argentum revehit, præterquam quod ab aliis quoque regionibus metalla inferantur, quæ rurſus exportare capitale eſt. Aurum autem omne atque argentum ſive factum, ſive infectum, hic liquatur & purificatur, dein numiſmata Perſicis literis inſcripta, quæ nomen Regis & dignitatem præferunt, cuduntur: nam auro argentoque hic utuntur abſolutiſſimo.

Vulgare indigenarum idioma ipſis peculiare, facilis admodum eſt pronunciationis,ſcribiturque ab ipſis quemadmodum & apud nos, à ſiniſtra in dexteram. Doctiorum lingua Perſica eſt aut Arabica; ſed hi inter ipſos admodum ſunt rari, librorum penuriâ, quos paucos habent & manuſcriptos: licet eo ingenio ſint & induſtria, ut ſi literatura accederet, in omni genere ſcientiarum multum poſſent præſtare.

Habent aliquot opuſcula Ariſtotelis,quem vocant *Aplis*, in Arabicam linguam verſa; Avicennæ quoque, qui Samarcandæ natus fuit in ditione Temirlanis, artes nonnihil callent. Communes morbi apud illos ſunt, dyſenteriæ, febres ardentes, in quibus inediam tanquam principale remedium ſuadent; & lues venerea, quæ valide hic graſſatur. Muſica quoque delectantur, plurimaque habent inſtrumenta, quæ aut fidibus pulſantur, aut vento inflantur, ſed veram harmoniam merito in illis deſideres. Verſus componunt ad eundem modum, & rerum geſtarum annales perſcribunt: Aſtronomia denique inprimis delectantur; nam Aſtronomis Rex ita fidit, ut non facile quidquam aggrediatur, niſi hi ante obnuntiarint fauſtum aut infauſtum fore diem. Sed jam tempus eſt, ut de ipſorum religione & ſuperſtitionibus dicamus.

Religio.

Incolæ hujus regni (inquit Texeira) dividuntur in Mahumetanos & Gentiles; ſed harum duæ tertiæ partes fere unius ſunt opinionis; licet fere Gentiles omnes ſequantur ſectam & opinionem Pythagoræ: credunt enim animarum immortalitatem, illaſque aut præmium, aut pœnam aſſequi per transmigrationem in alia corpora. Præter hanc plures alias habent opiniones perabſurdas, quas referre pagina prohibet.

In regno Guzeratenſi, varii ſunt ritus & ſectæ incolarum; & quod mirum, vix familiam invenias, in qua omnes congruant; alii comedunt carnem, alii nequaquam; alii comedunt quidem, ſed non mactant animalia: alii nonnulla tantum animalia comedunt; alii tantum piſces; alii tantum lac & herbas: plurimi etiam blito rubro, vulgari in illis partibus herba, abſtinent, quia ſanguinem continere credunt, quem ipſis fundere nefas: non pauci quoque & conſervis, quia ſaccharum albumine ovorum defæcatur. Horarum quoque & temporum obſervantiſſimi ſunt, adeo ut poſt ſolis occaſum cibum ſumere nefas putent. Hi ipſi denique longe ſuperſtitioſius, quam ullæ aliæ nationes, ceremonias ſuas diabolicas obſervant. Indigenæ Guzeratenſes ſeſe communi nomine *Vanean* ferunt, Luſitani corrupte vocant Baneanes. Horum licet variæ & pene infinitæ ſint familiæ & ſectæ, tamen tres cenſentur principales, *lon Kah*, *Mexery*, & *Baman*: priores duæ in eo differunt, quod Mexery idola habeant, eaque venerentur; lon Kah minime, ſed unum Deum, principium & finem omnium

nium rerum agnoſcant & colant : cætera, connubia inter ſe jungere & cibum una capere non detrectant. Poſſident hi populi in meditullio regni Guſeratenſis peramplam civitatem Byſantagar, & plures pagos in ambitu illius, in quibus circiter xxx mill. familiæ ipſorum numerantur; gens olim inops, ſed quæ hodie agricultura & animalia paſcendo rem familiarem ſupra fidem auxit, & præſertim mercatura, in qua ſunt ſagaciſſimi atque adeo doloſi. Mares colore cutis minus ſunt commendabili & ſubfuſco: prolixo capillicio, & caput tecti ſindone pertenui coagmentata: corpus dalmatica ad talos uſque demiſſa: fœminæ colore ſunt candidiore, quem fuco adjuvant purpurantque: coma prolixa & ſparſa, quem tenuiſſima tela operiunt: cæterum nares, aures, ſuras, multis annulis onerant æneis, aureis, eburneis, pro conditione ſua. Matrimonia his laudabilia, cœlibatus exoſus & infamis: ſeptennes ſæpe nubunt, & decem annos natæ pariunt, præcoci nimis fœcunditate & non duratura. Raro autem viri ſuper unam uxorem ducunt, quum polygamia probro inter ipſos ſit. Nulli autem harum ſectarum animalia mactare, aut ſanguinem fundere permittitur. Eorum ſacerdotes dicuntur Bramenes aut Brachmanni (qui non multum abludunt à Gymnoſophiſtis, de quibus veteres Græci Scriptores multa prodiderunt.) Horum phantaſticam & fabuloſam Hierologiam deſcribere longum eſſet, neque hujus operæ. Pauca delibaſſe ſufſecerit. Mundum hunc creatum agnoſcunt, & homines primum duos factos, Porum & Parcottam, innocentes, parvo contentos, & ab omni vino, animante & ſanguine abſtinentes. His ortos Brammon, Cuttory, Shuddery & Wiſan: temperatura quadruplici, & conditione, Sacerdotes, milites, mercatores atque agricolas: omnes mares, ſed qui conjuges nacti ſint ſui ſimiles, & ex illis propaginem. Cultus idololatricus: ablutiones quotidianæ: verſæ ad orientem preces, & ſimilia, ad normam Iudaicorum ſacrorum expreſſa, & multis ludicris ceremoniis inquinata.

Reysbuth, Rasbootes vel Raſpoothes (nam in nomine variant authores) qui à multis ſeculis oras Indi & regionem adjacentem accoluerunt, ſunt gentiles. Arma ipſorum ſunt ſpiculum, gladius, & parma in modum alvearis facta, ita ut & camelis ſuis in ea potum, & equis far præbeant. Equos habent robuſtos & agiles, quos nullis ferramentis calceatos à primis annis aſcendunt. Gens eſt bellicoſa, & inprimis fortis & bello aptiſſima. Marito defuncto vidua ſponte rogo inſilit, & una cum ipſius cadavere concrematur; id jam notiſſimum eſt.

Hendowines, qui ab Aſmere ad arctum & verſus Muttan incolunt, itidem ſunt gentiles, ſed diverſis à cæteris inſtitutis; nam neque carne, neque piſcibus abſtinent. Nudi preces ſuas concipiunt, & cibum capiunt circulo concluſi, quem aliis ingredi nefaſtum putant. Fæminas ſuas inde à prima pueritia annulis argenteis, æneis & ferreis ornant; brachia quoque eburneis; id inprimis decorum putant.

Gentiles qui Golcondæ regnum incolunt, religionem ſuam implicita fide hauriunt à ſacerdotibus ſuis, quos vocant *Bramenes*, qui nullam aliam rationem illius reddere poſſunt, quam ſe à multis ſeculis à ſuis majoribus illam accepiſſe. Credunt, antiquitus quidem tantum unum Deum fuiſſe, qui poſtea alios quoſdam ſemideos ſibi aſſumſerit è mortalibus, qui miraculis aut vitæ ſanctimonia inclaruerint; his templa ſua ſive pagodes dicant, & prout cuique allibuerit, divinum cultum exhibent. Animarum quoque immortalitatem & tranſmigrationem in alia corpora credunt; unde & ſuperſtitioſe à mactatione omnium animantium abſtinent. Homicidia & latrocinia quidem caute vitant, in fraudes tamen maxime proclives. Polygamia permiſſa quidem, ſed non ita uſitata, niſi ob conjugum infæcunditatem. Adulteria in fæminis puniuntur; Scortationes tantum modeſtia reprimuntur; nam cætera hic tribum conſtituunt certæ familiæ, quæ *Bagowaro* dicuntur, & corpora ſua promiſcue vulgant ſine ullo pudore aut metu.

Vulgi in hiſce regionibus miſera admodum conditio eſt; nam primo mechanici, qui hic quamplurimi ſunt, raro ad majorem dignitatem emergunt; nam fere liberos ſuos eandem artem edocent, quam ipſi exercent; neque uti apud nos unum opus à ſingulis artificibus abſolvitur, ſed à pluribus: & mercedem admodum exiguam dietim capiunt, puta quinque aut ſex Taccas, id eſt quatuor aut quinque ſtuferos noſtrates; unde jugiter famelicum ventrem familiari explent victu, quem vocant *Kitſery*; componitur è piſis & pauxillo oryzæ; hæc ita mixta cum aqua foco admovent, & tantiſper relinquunt, donec legumina & far humorem omnem ebiberint; hinc cibum fere veſperi calidum paxillo butyri affuſo ſumunt; per diem autem eadem piſa, aut alia farra toſta mandunt. Caſæ ipſorum humiles & fere è luto aut ceſpite, ſtramine deſuper tectæ; ſupellex admodum rara, aliquot vaſa argillacea; lectiſternia duo, unum pro viro, alterum pro fæmina; nam conjuges unum lectum hic occupare inſuetum; mares ubi eos lubido inceſſerit, fœminas advocant; tegumenta & ſtragula ipſis rara, & tantum levia, quæ uti commoda ſunt quum gravis eſt æſtus, ita

quum acriter friget, miseris non multum prosunt; frigori autem mederi conantur foco ante ædes structo, è stercore bovillo siccato, qui ingentem fœtorem intolerabilemque fumum in oppidis & pagis conciliat; intra ædes focum accendere ipsis ignotum.

Ministrorum & famulorum hic ingens est numerus; nam nemo est alicujus notæ, qui non plures alat; ii & domi & foris ministeria sua noverunt probe, & tam pertinaciter iis inhærent, ut nefas putent alterius ministerium vel uno digito attingere: Ii nominibus sicuti muneribus distinguuntur: *Seluidares* equorum tantum curam habent; *Billewani* carrorum & armentorum, quibus trahuntur: *Frassi* tentoriorum & aulæorum, quibus tam domi quam in itinere utuntur: *Serruwani* camelorum; *Mahauti* elephantorum: *Zanteles* sive cursores; ii plumas in capite, duo cymbala cincturæ appensa gestant, ad quorum tinnitum passus suos metiuntur; plerumque autem singulis diebus xxv, aut xxx cosas absolvunt; horum diligentia ut dominis sæpe commodum, ita ignavia maximum detrimentum solet adferre, præsertim præfectis provinciarum aut oppidorum; qui si in obnunciando ea quæ in provincia geruntur, tardiores deprehendantur, Regis gratia excidunt, & muneris sui cum ignominia jacturam faciunt. Cæterea ministeria exequi longum esset. Merces horum exigua, nam singulis mensibus tantum tres quatuorve rupias capiunt; emolumenta nonnullorum paulo majora, nam vix quicquam ad usum dominorum suorum emunt, quin pauxillum quid sibi à venditoribus indulgeri postulent; dominis quidem haud ignaris, sed qui, non satis intelligant, se tanto carius emere.

Mercatorum paulo tolerabilior conditio est, nisi quod si quas conquisiverunt opes, tacite possidere cogantur, obnoxii alioquin delatoribus, qui veris aut falsis criminibus apud Magnates miseros ita infamant, ut tanquam spongiæ exprimantur, non sine vitæ discrimine.

Magnatum luxum & dapsilitatem explicare perdifficile est, quum hoc solum dent operam, ut, dum licet, omni genere voluptatum se expleant: summus eorum splendor fere intra gynæcea (*Mahal* ipsis) consistit: etenim tres quatuorve interdum & plures uxores ducunt; quæ singulæ in suo gynæceo separatim degunt cum ancillis suis seu mancipiis magno sæpe numero, pro dignitate aut opulentia: singulis in menses singulos sumtus domestici à marito subministrantur, supellex, amictus, monilia, secundum opulentiæ aut dilectionis modum.

Maritus autem, prout allibuerit, nunc ad hanc, nunc ad illam, sub vesperam accedit, jam ante de adventu illius præmonitam: certant illæ inter se maritum laute, magnifice, & amanter excipere; æstivis mensibus beneolentium unguentorum & liquorum copia, qua corpus & vestes illius perfundunt; servulæ pro se quæque annituntur, ut eidem placeant, aliæ muscas flabellis pellunt, aliæ manus pedesque illius fricant, aliæ cantillant & musica pulsant instrumenta, aliæ denique choreas agunt: uxor considet juxta maritum, summa modestia nutus illius omnes observans, nec aliter quam Dominum ipsum vocans; omnis generis delicias ipsi exhibens, inprimis conservas ex ambaro, margaritis, auro & opio, (Mostory & Folony vocant) ut Veneris appetitum augeat: vinum quoque largitur ministrans, donec aut obdormiscat, aut lectum cum ipsa petat: Fit autem non raro, ut in unum è servulis oculos conjiciens maritus neglecta conjuge, amplexus illius occupet; quam injuriam marito præsente callide licet conjux dissimulet, tamen postea in servula ulcisci, ubi datur occasio, minime negligit. Singulis uxoribus aliquot eunuchi dantur à maritis custodes, ita tamen ut non raro ovem lupis committant; tanta est fæminarum impudicitia, & horum quoque eviratorum improbitas: quo fit ut fæminæ hæ eunuchos hosce haud secus colant & molliter curent, quam maritos suos proprios. Ædificia magnatum admodum ampla sunt; multaque habent atria & conclavia; cæterum secus solum tantum; ipsorum tecta fere plana sunt, ut vespertina aura se oblectent; in areis habent stagnum, & arbores ad æstum evitandum. Cæterum parietes sine calce coagmentati facile se inclinant, nec ævum ferunt: hos calce prius obductos, gypso quodam è viva calce, lacte, gummi & saccaro temperato, tanta industria incrustant, & poliunt, ut speculi instar resplendeant. Supellex præterquam in gynæceis rara, ubi magnam vasorum aureorum & argenteorum videre est copiam: in atriis virorum, præsertim ubi consident, (divan gana vocant hoc conclave) aulæa Persica sternuntur, quibus insidentes suos & alios ad salutandum admittunt: salutatio (Selam vocant) fit humili corporis inclinatione, & dextra supra caput sublata, ab inferioribus; à paribus tantum corporis inclinatione. Admissi pro dignitate certo ordine ad utrumque latus collocantur: inter sermocinandum summa utuntur modestia, morum magistros dicas, neque vociferantur, aut manibus gesticulantur: si quid alteri dicere necesse est, quod ab aliis audiri nolunt, peplum ori admovent, ne halitum alterius hauriant. Responsum nacti ad id quod quærebant, discedunt, præter amicos aut familiares (qui manent, donec dominus ædium consurgat,

vel

vel ad cibum capiendum discedat) aut invitatos. Ii aulæo humi sparso insident, singulis autem à Dapifero (Zattersu appellant) suus discus & portio ciborum, (qui exquisiti ut plurimum & multo butyro conditi, cum pauxillo aromatum) apponitur. Mappas & mantilia ignorant: digitis tantum cibos contrectant: sinistra uti, aut digitos lingere indecorum ipsis: potum nullum usurpant, nisi postquam jam cibos capere absolverint. Hæc communis & usitatissima ipsorum vivendi est ratio. Quod autem de fœminarum impudicitia & luxuria diximus, haud ita intelligendum est, tanquam nullæ hic essent pudicæ, sed adeo paucæ sunt illæ, ut numero aliarum obscurentur.

De regimine politico & civili.

Imperator harum regionum, Princeps plane est absolutus: nullæ hic scriptæ leges; Principis voluntas pro lege habetur; semel singulis septimanis sedet pro tribunali, auditque patienter omnes causas tam civiles quam criminales, easque terminat judicio plane irrevocabili: pœnæ quoque capitales ut plurimum ipso inspectante infliguntur in damnatos cum summa crudelitate: atque hæc quidem in urbe regia, aut ubicunque aulam habet. In cæteris provinciis ad eundem modum à præfectis jus dicitur, è delegata potestate per Firmam ut ipsi vocant; qua iidem absolutam accipiunt potestatem in subditos vitæ & necis. Imperator & præfecti provinciarum plurimum judicant secundum allegata & probata: lites summa brevitate absolvuntur: sontes autem severe admodum puniuntur; nam aut capite plectuntur, aut suspenduntur, aut palo infiguntur, aut elephantis aliisque feris objiciuntur, secundum delicti modum.

Rex ter quotidie se populo conspiciendum præbet: semel post Solis ortum è fenestra (*Iarneo* vocant) quæ patet ad orientem supra portam prætoriam, ubi à multitudine salutatur, ut plurimum hac acclamatione, *Padska Salament*, id est, Rex vivat. Secundo meridie, quo prodit ad eandem fenestram, ut elephantorum aut aliarum ferarum pugnas contempletur. Tertio paulo ante occasum Solis ad fenestram, quæ patet ad occidentem (*Durbar* ipsis.) Vbi autem Sol occidit, subducit se cum tympanorum & aliorum instrumentorum clangore & acclamationibus populi. Omnibus hisce temporibus siquis supplicem libellum offerat, auditur. A septima autem vespertina ad nonam privatim cum magnatibus consultat in pulcherrimo atrio, quod *Guzelcan* vocant. Præcipui ministri aulæ atque adeo imperii sunt Thesaurarius, Præfectus eunuchorum, qui & aulæ magister est, Secretarius; Magister Elephantorum; itemque custos tentoriorum, & custos vestimentorum & monilium. Habet & præfectum prætorio, quem vocant Cutwallum; quales quoque sunt in omnibus civitatibus & oppidis primariis, qui prætorum urbanorum officio funguntur. Cadeæ autem custodes sunt carcerum, qui debitores omnes, qui solvendo non sunt, carcere concludunt, & eorum bona, atque adeo ipsos & liberos eorum venundant, & mancupio tradunt.

Cæteri fere Principes secreto res suas peragunt, hic vero omnia regni negotia propalam discutiuntur. Ne quidem ea quæ intra conclave peraguntur, curiosos latere possunt, exiguo modò donario scribis illius indulto.

Nemo à Principe quidpiam petiturus ad ipsum admittitur sine munere; quod qualecunque tandem sit, accipit; sæpe etiam remittit, quum displicet, aut ut majus & melius extorqueat.

Cæterum regimen mere tyrannicum est; nam quum rex solus sit dominus omnis soli, pro libitu donat & adimit agros subditis suis: magnates quoque crebro locum mutare cogit, simul cum terris quas ipsis in censum attribuit; tenuiores vero & plebem ita vexat, ut sæpe singulis semestribus agros mutare cogantur: nam aut rex ipse sibi sumit, & deteriores in eorum locum restituit; aut quos uni eripit, alteri donat; quo fit ut regio omnis minus sedulo colatur.

Porro conditio agricolarum hæc est, ut accedant præfectos pagorum, qui in singulis à rege constituuntur, & apud illos profiteantur, ubi & quantum soli ipsis conserere in animo sit, aut ubi pecudes aut armenta pasturi: ubi seges maturuerit, & secta fuerit, regii ministri vocantur, qui in regis usum capiunt pene tres quadrantes omnium frugum. Pro pastura nihil, aut perparum, solvitur.

Arx Agrensis, opus magnificentissimum, & inter ædificia Orientis facile primarium, sita est ad ripas fluvii Gemini vel Iemenæ, tria quatuorve milliaria ambitu complexa, & pulcherrimo & validissimo muro è quadratis saxis cincta, cum latissimis fossis & pontibus pensilibus. Habet & vallum cum suis propugnaculis, intra quod sunt munitissima mœnia cum suis portis. Ad arcem patet aditus per quatuor portas; quarum una spectat septentriones, quæ ingentibus machinis munita est; altera patet ad occidentem versus forum publicum quod vocant *Basar*, hæc dicitur porta *Cichery*; intra hanc è regione portæ cernitur *Casi* sive Tribunal Principis, ubi causas omnes audire solet, juxta quod collocata sunt tria mortaria ænea vastæ molis. Ex adverso hujus tribunalis est Principis *Cichery* sive atrium, in quo Wasir principalis residet, qui census omnes, indulta prin-

principis, diplomata aliaque ejus generis scripta promulgat, & exemplaria illorum custodit. Portam hanc ingressis occurrit platea, undiquaque ædibus & munimentis septa, ad quartam leucæ partem: hanc emensis obvia est tertia porta, quæ ducit ad Regis Derbar; hæc semper catenis clausa est, neque quisquam eam eques intrare permittitur, præter Regem & ipsius liberos. Hæc porta pertinet ad meridiem, diciturque Achabaris Drowage, intra quam est gynæceum scortorum, quorum aliquot centena hic degunt, & à principe aluntur; certisque vicibus parata sunt, quoties à Principe aut illius concubinis vocantur, ut saltationibus & cantilenis familiam Regis oblectent. Quarta porta despicit fluvium; ea dicitur *Dersane*, ducitque in pulcherrimam aream secundum ripas fluvii; in hanc prospicit Rex quotidie, quum Sol primum exoritur, quem salutat ipse; proceres autem hic conveniunt, ut regem salutent, & consistunt in loco nonnihil edito; reliquis Hadys, id est, equitibus & promiscua multitudine in area manente. Hic quoque meridie prospicit, ut spectet Thamashan, id est, pugnas Elephantorum, Leonum, Buffalorum, & aliarum ferarum: id fit quotidie, præterquam die Solis: singulis autem diebus Iovis non modo has pugnas spectat, sed & crudelia damnatorum supplicia. Sed ad tertiam portam jam revertamur. Ea admittit spaciosissimam aream, undiquaque cinctam patentibus atriis, in quibus duces illius & tribuni militares, certis vicibus per septimanas excubant: atria ista vocant *Atescannas*, excubandi vices *Chockees*. Paulo ultra per cancellos intratur in interiorem aream, intra quam non nisi principis nobilitas, & alicujus dignitatis viri admittuntur. Vulgus à custodibus portæ fustibus arcetur. Intra hos cancellos admissis, obvius est Principis *Derbar*, sive thronus regalis; ante quem exigua area cancellis undique cincta, & desuper aulæis tecta est, ut arceat radios solares: supra hanc porticus est, in qua Rex throno insidet, ad quam nemo nisi vocatus ascendit, præter illius filios & summum Vezirium, & duos flabellatores, quos vocant *Punkawas*, ut ipsi ventum faciant, & muscas pellant. Intra hos cancellos non facile admittuntur quam quadringentorum equitum duces. In adversa parte hujus æreæ pendent aureæ nolæ, quas ii, qui ab inferioribus Regis ministris nihil æqui se impetrasse conqueruntur, impellunt, atque ita ad ipsum principem admissi, querimonias suas exponunt; sed summo cum discrimine, nisi causa ipsorum admodum justa sit. Ad hunc locum Rex quotidie prodit inter tertiam & quartam pomeridianam, & multa millia ingrediuntur hanc aream & locum occupant pro sua quique dignitate; hic manet usque ad vesperam, audit causas, & literas è variis provinciis, Vezirio prælegente; equi atque elephanti coram ipso hic traducuntur, & à certis ministris probantur, an bene se habeant. In interiori arce sunt duæ editæ turres, quæ è longinquo conspiciuntur, absolutissimo auro tectæ, una supra illius gynæceum, altera super gazophylacium.

E Derbaro digressus, post duas horas revertitur ad aliam porticum, quæ dispicit in interiorem aream, & gynæceo illius (Mohol ipsis) adjuncta est: ad hanc non nisi magnates admittuntur, idque cum certis symbolis, quæ singulis noviluniis ipsis impartitur: hic poculis indulget certo numero & mensura, non raro ad ebrietatem; atque ita potus interdum horrenda supplicia in reos decernit.

Ab hac area semita ducit ad amœnissimum hortum, itemque ad cymbam, qua fluvium trajicit ad hortum in opposita ripa.

In atria interiora aula regalis nulli mortales intrant præter Eunuchos; concubinæ ipsius hic conclavia sua sortiuntur, virilibus armis instructæ; eædem & supplicia in sontes, si qui forte deliquerint, decernunt & capiunt.

Duo præcipue festa in aula magna pompa quotannis celebrantur: exordium novi anni, & natalis principis: Prius festum celebratur ipso novilunio post ingressum novi anni, quem hic inchoant à Martio: vocant Nourous sive Norose, ad imitationem Persarum; quæ vox sonat novendium, licet hodie octodecim dies duret. In medio areæ ante principis Durbar, erigitur thronus quatuor pedes supra solum; qui undique concluditur pretiosissimis aulæis, ita ut quadratum spatium includat LVI pedes longum, & XLIII latum, similibus conopæis desuper tectum; solum itidem stratum est pretiosis stragulis Persicis. Intra hoc septum admittuntur magnates omnes & summæ dignitatis viri; exceptis præcipuis aulæ ministris, qui alio septo sub throno concluduntur.

Thronus ipse quadratus est, è lignea quidem materie, sed conchis margaritiferis artificose variegata; conopeum longe opulentissimum, incumbit quatuor columnis argento tectis, cujus oram ambiunt fimbriæ pulcherrimis unionibus intertextæ, è quibus dependent poma & pira ex auro absoluto, intus cava: Rex insidet pulvinaribus, multis unionibus & opulentissimis gemmis ornatus: reliquum areæ ambitum occupant tentoria magnatum, qui inter se certant opulentia & magnificentia, hic enim quicquid ipsis pretiosi est, exponunt; solebat autem princeps singulorum tentoria accedere, & sumere,

quod

quod ipsi maxime allubescebat; nunc vero sedens expectat à singulis strenas.

Sunt & stationes Reginis illius paratæ, è quibus spectant ea quæ geruntur, neque tamen ipsæ conspiciuntur. Iisdem diebus & populo se exhibet è Durbaro, & ab omnibus dona accipit. Denique sub finem festi aulicis magnatibus bene meritis dona elargitur modica, & pensiones atque dignitates nonnullis auget.

Natalem suum celebrat Princeps hoc modo: postquam in palatio bona pars diei, ludicris & festis jocis consumta fuerit; princeps cum nobilissimo comitatu vadit ad matris suæ palatium, (si superstes sit) magnatesque pro sua conditione & opibus singuli Parenti illius splendida munera offerunt. Dein in aulam reversus & symposio absoluto, concedit in perpulchrum conclave, ibidemque in aurea bilance se appendit contra aurum, argentum, gemmas, omnis generis farra, & alia ejusmodi; & pondus accurate annotatur,& cum pondere præcedentis anni comparatur: postero die res istas omnes pauperibus, aut,ut alii produnt,Bramenibus, elargitur Rex: sed longe majora dona à suis accipit.

Res istas quibus ipse appenditur æstimant pretio decem millium librarum Sterlingensium; eodem die vesperi spargit inter principales quidem proceres, concavas amygdalas ex auro & argento mixtas; inter inferiores autem rupias recenter cusas; & bonam partem noctis perpotat, donec somno vinoque sepeliatur. Thomas Rœus Eques, Magnæ Britanniæ Regis ad Principem hunc Legatus, celebritatem & modum hujus appensionis ita describit: Ductus, inquit, fui in spatiosum & amœnum hortum, in cujus medio tentorium fixum erat, in quo lances pendebant aureæ ad oram variis gemmis distinctæ, à catenis item aureis sed serico firmatis; in ambitu nobiles pretiosis stragulis insidentes regem operiebantur: ille autem advenit plurimis gemmis multisque pretiosissimis monilibus, magis oneratus quam ornatus, & inclinavit se in unam lancium decussatis cruribus considens: atque hic primo in alteram lancem ingesta fuerunt aliquot sacci pleni argento; & pondus illius observatum novem millia rupiarum; quod pene ad mille libras Sterlingenses accedit: dein sacci pleni auro & gemmis, uti ferebant: tertio varii panni auro intertexti, serici, gossypini, aromata & aliæ merces itidem in sarcinas conclusæ: postremo farina, butyrum, & alia farris genera: Atque annonam hanc, uti & pannos, ajunt in Banianes erogari, licet nihil tale viderim fieri. Argentum autem omne servatur in usum pauperum, quod ab ipso Principe toto sequenti anno, vesperi fere in ipsos benigne admodum confertur. Rex ita appensus ascendit Thronum suum, & è patinis spargit inter magnates & nobiles, nuces, amygdalas, aliosque fructus ex argento ita subtiliter factos, ut credam mille ejusmodi xenia non appendisse sexaginta rupias; certe pondus viginti rupiarum, quod reservaveram, largam patinam implevit: ita ut, ratione inita, non existimem, ipsum, eo die, in totum supra centum libras Sterlingenses sparsisse. Denique noctem ipse totam potando cum sua nobilitate exigit.

Omnis nobilitas regni ab ipsius favore inchoatur, & incrementum accipit. Nobilium & Magnatum dignitas & census numero equorum distinguitur: summus numerus est duodecim mille equorum; ejusmodi fere sunt quatuor, præter filios Principis & uxorem: atque hic numerus sensim descendit ad viginti. Non quod tot equos alere ipsis necesse sit, sed Rex assignat ipsis tantum terrarum, ut ex iis tantum censum colligant, quo tot equos, si necesse sit, alere possint, computatis in singulos equos quotannis viginti libris Sterlingensibus: ita ut census universus qui à Rege donatur, ad incredibilem summam ascendat. Verum quum isti nobiles moriuntur, tam quod à Rege ipsis donatum, quam quod propria industria acquisiverunt, id omne ad Principem revertitur; haud secus quam fluvii omnes sese exonerant in mare: ut plurimum autem Rex viduis & liberis relinquit equos & supellectilem, iisque dignitatem aliquam attribuit; puta si maritus aut pater Ducatum obtinuerit quinque millium aut plurium equorum, filio fortasse mille aut mille quingentos assignabit; prout de ipso postea bene meruerit, plures addens, aut deducens. Nulla autem re magis gratiam Regis merentur quam opulentis donis, quibus nobiles inter se certant, ut Regem sibi devinciant.

INDIA.



Termini. Ndia totius orbis terrarum pars nobilissima est, & sub unius nominis appellatione maxima. Ab occidente Indo fluvio, unde nomen habet, & mari Arabico; à septentrione, Tauro monte; ab oriente, mari Eoo; ab austro, Indico clauditur. Dirimit eam, quæ priscis seculis nota fuit, in duas partes flumen Gangis, quarum illa, quæ orientalior est, India extra Gangem; quæ vero occidentalior, India intra Gangem veteribus dicta fuit; recentiores hodie *Indostan* vocant.

Partes duæ, intra & extra Gangem.

Non solum incolarum frequentia, urbium oppidorumque multitudine aliis terris præcellit, verum omnium penè rerum ubertate, quas terra homini vel ad necessitatem, vel ad voluptatem sufficit. Magnis parvisque passim fluminibus irrigatur, quæ accedente Solis validissimo calore, solum omne mirè fœcundat. Aromata, gummi, succosque fragrantissimi odoris, gemmas pretiosissimas, sericumque & byssum aliis orbis regionibus liberaliter impertit. Hisce temporibus sub Indiæ nomine comprehendimus omnes illas terras, quæ ab Indo fluvio orientem versus ad usque mare Eöum se extendunt.

Regna. Dividitur autem in plurima regna, quorum præcipua sunt, terra *Mogolensium, Decam, Malabar, Narsinga, Orixa, Tpaomsi, Aracan, Quedam, Malacca, Pegu, Siam* & *Cambodja*. Præterea tot passim Insulis conspergitur mare, ut Archipelagus esse videatur, & Insularum mundus. Inter has familiam ducunt Insulæ *Maldivæ, Zeylon, Sumatra, Iava, Borneo, Celebes, Mindanao, Philippinæ, Banda, Amboina, Moluccæ, Aynam, Pakan, Iaponia*, (quæ sitne continens, hactenus ignoratur) aliæque fere innumerabiles.

Regnum Magni Mogolis. Occidentalem Indiæ partem tenet *Magnus Mogol*, inter potentissimos totius Orbis Principes nulli secundus. Regnorum, quæ sub illius sunt imperio, descriptionem juxta tabulam eorum particularem modò vidimus. Quamobrem hic plura referre supervacaneum duximus.

Decam. *Decam* ab austro regno Malabarico contermina est, ab oriente regnis Bisnagar & Orixæ, à septentrione Cambajæ, ab occidente verò Oceano alluitur. Dividitur in regiones hasce: *Cuncam, Canaram*, & *Ballaguatem*, quæ postrema à montibus istis constituitur, qui Orixam ex adverso aspiciunt. Atque hi quidem montes, non more aliorum montium, prærupti sunt, & in fastigia ac conum ascendentes, sed plani pascuorum more. Ideo Indis *Bellaguate* dicti. Nam, *Balle* supra, *Guate* verò, montes ipsorum lingua significat. Totam regionem Lusitani *Decam* indigetant, populum verò *Decanques* & *Canaras*. Metropolis regni est civitas *Beder*, aulæ regiæ sedes. *Goa* emporium est celeberrimum, non hujus solummodo tractus, sed & Indiæ totius. Domicilium hic suum habet Lusitaniæ Prorex, Archiepiscopus, necnon Concilium & Cancellaria Regis. Nec aliunde, quam ex hoc loco, imperia legesque accipiunt reliqua, quæ Regi Lusitano parent, municipia. Hæc urbs mercium omnium Orientalium est proma & conda; quam ob causam maximus hic est mercatorum confluxus, qui ex Arabia, Persia, Armenia, Cambaja, Bengala, Pegu, Sian, Malacca, Iava, Moluccis, China, &c. huc ad mercaturam proficiscuntur. Mixti habitant Ethnici, Indi, Æthiopes, Iudæi, Armenii, Gusarattæ, Bajanes aliæque Indorum gentes, suisque quæque legibus ac fide vivit, hoc excepto, quod non liceat ulli mortuorum corpora exurere, aut Ethnicas superstitiones, quæ offendere possint, publice observare. Reliquarum urbium nomina sunt *Cintapor, Dabul, Basnin, Chaul, Damaon*, quæ littorales omnes sunt. Chaul portu gaudet commodissimo, navibus insuper instructissima est, & mercatoribus opulentis locuples, qui *Ormum, Cambajam, Sindam, Bengalam*, alioque navigant. Non longè hinc vetus est civitas, quam indigenæ habent, ubi ex lacca plurima artificiose conficiuntur, sericique & byssini panni texuntur, quos nos Belgæ propriis linguæ nostræ nominibus vocamus, *Grofgreynen, Satynen, Taffetanen, Armosynen.* Sericum rude Chaulenses è China petunt, quod ab ipsis textum varia forma quaquaversum mittitur. Feraces sunt hæ regiones orizæ, leguminum variorum, nucumque Indicarum, unde oleum exprimitur, proventu. Zingiber magna fert copia, ob quam ejus vilescit æstimatio.

In hoc solo, retro Ballaguattam, necnon duobus aut tribus montibus prope Bisnagar, gignuntur adamantes magno regis Bisnagarensis quæstu. Quicunque enim certam gravitatis mensuram (puta 25 *mangelyns*) attingunt, vel excedunt, sub pœna capitis ad ipsum deferri debent. Regio Decam montem habet,

bet, quam *Rocca velha* vocant Lusitani, ubi optimos reperias, quos ab aliis facile discernunt gemmarum mangones. E fodinis eruunt aurum, quibus vero locis ad altitudinem staturæ hominis erutum fuit, iisdem post tres quatuorve annos novum recénsque natum reperire est.

Malabar. *Malabar* à Promontorio de *Rama* initium suum capit, à Goa distans austrum versus milliaribus 10, excurritque usque ad Promontorium *de Comori*, finem continentis. Ad littus hæ jacent civitates: *Onor*, *Barsalor*, *Mangalor*, *Cananor*, *Cranganor*, *Cochin*, & *Caulam*, ubi arces sunt, & præsidia habent Lusitani. Calicutium metropolis est, sedesque Cæsaris, quem *Samoryn* appellant, qui hinc longe lateque jura dicit. Verum ex quo istic rerum potiri cœperunt Lusitani, retro sublapsa est urbis fortuna, dignitasque, ut jam veteris urbis vix quicquam præter nomen habeat. Omnibus supradictis locis piper crescit, prope Cochin cinnamum, sed vilius, quod vocant *Canellam de matte*, hoc est, cinnamum agreste. Naves è Portugallia Goam appellunt, ubi postquam exonerarunt merces, oram hanc legunt, mercesque recipiunt alias, maximè in urbe Cochin, quæ magnitudine non multo inferior est Goa. Plusculum à mari mediterranea versus rex istorum moratur, in loco, quem *Cochin Dacima* vocant, qui ad territorium spectat Malabarum. Sunt autem Malabares coloris atri & picei, capillis lævibus & nigris, verum corporis figura non absimili Europæis. Ingenio sunt atroci, animo audaces, superbi, militum quos India habet fortissimi, hostes infensissimi Lusitanorum, idololatria superstitionibusque reliquis Indis non absimiles. In duo dividuntur hominum genera: *Nairos* & *Polias*. *Naeros* nobiles sunt, militiæque dediti, quibus mos perforare pendulas aurium particulas, quas extendunt humeros usque, ad formam elegantiamque. *Polias* agricolæ sunt, piscatores, opificesque, genus hominum vile & despectum, si cum Nairis compares.

Narsinga. A *Capite de Comori* orientem versus, regnum *Narsingæ* occurrit, quod à *Negupatan* ad *Musilopatan* uque extenditur. Cujus Rex *Bisnagar* appellatur, mutuato vocabulo à metropoli regni, quæ in mediterraneis est, ubi dicti Regis est sedes. Littori adjacet civitas S. Thomæ, quam Lusitani incolunt, olim potentissima & *Malliapor* appellata. Referunt Indi, hic docuisse S. Thomam Apostolum, miraculisque gentes convertisse. Quin & hoc affirmant, cum primum in has terras venissent Lusitani, superstites adhuc fuisse Christianos, oriundos ex Indis ad Christianismum à D. Thoma conversis.

Orixa. *Orixa* sita est ad Boreale latus Narsingæ, seseque extendit orientem versus, Gangem usque. Omnis autem hic littoralis tractus Narsingæ, Bisnagar, & Orixæ à Negapatan usque ad Gangem sive Bengalam, communi vocabulo vocatur *Ora de Coromandel*. Aëre regio fruitur saluberrimo, abundatque annonæ omnis copia. Vestes hic Indicæ, præsertim in urbe S. Thomæ, necnon panni ex gossypio conficiuntur variis distincti pictique coloribus, intercurrentibus filis aureis, argenteisque, ut pretio ipsas vestes sericas excedant. Hæ pro mercibus istic sunt, & quaquaversum in omnes orbis partes, nostramque adeo Europam, distrahuntur.

Bengala. *Bengalæ* latus orientale terminat Ganges, occidentale regnum Pegu. Ganges ex maximis est terræ fluminibus. Indis sacer habetur, quique ejus se undis abluerit, ei peccata omnia remissa esse confidunt: qui vero ablui non cupiet, spe salutis excidisse. Quam ob causam magna ad eum frequentia confluere solent incolæ, variisque superstitionibus & ceremoniis defungi. Metropolis regni est *Chatigam*. Mira hic rerum omnium ad vitæ sustentationem necessariarum proventus, præsertim oryzæ, qua infinitæ naves onerantur, nec pecorum hic aviumque penuria, sed vis maxima, ita ut bos precio *Larini*, hoc est, decem assibus nostratis pecuniæ veneat; & oryzæ mensura, quatuordecim capiens Hollandicos modios, quindecim assibus. Etiam pari pro rerum discrimine precio haberi possunt oves, gallinæ, saccharum, butyrum, aliaque esculenta & poculenta. Etiam hic panni ex gossypio conficiuntur plurimi. Fila hic nent, ex herba quadam flavi coloris, quam herbam Bengalensem vocant, unde pannos texunt & lintea sericis præstantiora. Rhinocerotes alit plurimos, hostes elephantorum, quorum, rhinocerotum puta, cornu, dentes, carnes, sanguis, ungulæque antidota adversus venena esse creduntur.

Aracam & Pegu. Regna *Aracam* & *Pegu* ab occidente Bengala terminantur, ab ortu regno *Siam*. Gemmis auroque abundant, sapphiris, carbunculis, granatis, aliisque. Lacca sigillaris hic loci etiam conficitur. Elephantorum nusquam major, quam hic, numerus. Quoties huc adventat peregrinus mercator, quærunt, num diutius istic morari animus ipsi sit, quod cum intellexerint, offerunt ipsi virgines plurimas, è quibus, quæ placuerit maxime, eligit, deque precio cum amicis transigit, hæc illi pro ancilla & uxore est, ministeriisque domesticis fungitur. Discessurus eam ad amicos remittit, preciumque promissum solvit. Quod si illa absente peregrino isto nubat, revertaturque idem peregrinus, solvitur tantisper matrimonio, & ad peregrinum, cui antea devincta fuerat, redit, eique inservit, donec


INDIA quæ ORIENTALIS dicitur, ET INSVLÆ ADIACENTES.
Nob.mo Fort.moq; Viro et Heroi
D. LAVRENTIO REAL
Equiti, Indiæ Orient. ol. Gubernatori Supremo, nup. Thalaßiarchæ claßis Britannici Vicario, et nomine Ord. Belgicæ Fœd. ad Regem Daniæ Legato, Vrbis Amsterdamens. Senatori et Scabino, nec non Concilii Societatis Indicæ Orientalis Assessori, vario literarum ac doctrinæ genere claro, Tabulam hanc D.D. Guiljelmus Blaeu.
PERSIÆ PARS
INDIA INTRA GANGEM
INDIA EXTRA GANGEM
INDOSTAN
BENGALA
CHINÆ PARS
IAPON
Golfo de Bengala, olim Sinus Gangeticus
SIAM
CAMBODIA
CEILON
INSULÆ PHILIPPINÆ
MINDANAO
BORNEO
CELEBES
IAVA
OCEANVS CHINENSIS
Tropicus Cancri
Linea Æquinoctialis
MARE INDICUM
Insulæ Maldivæ
Islas de Ladrones
Archipelago de S. Lazaro
Terra dos Papous
Nova Guinea
Tropicus Capricorni
Milliaria Germanica

8

donec discedat, acquiescente, cui nupta fuerat, marito, ad quem postmodum salvo honore & pudicitia redit. In civitate *Martavan* quæ ad australe est latus Pegu, ollæ fictiles conficiuntur, quas *Martavanas* vocant. Tantæ sæpe sunt magnitudinis, ut duo vini dolia capiant. In iis aquæ, oleum, vinaque asservantur.

Siam. Regnum *Siam* ab occasu regno *Pegu* terminatur, ab ortu *Cambodia*. Rex est potentissimus: potentior olim, quin ex potentissimis Orientis regibus. Subditos imperio suo habuit non solum regni Siam populos, verum totius istius tractus qui à Pegu Malaccam usque exporrigitur, necnon *Sincam puram*, verum fracta & attrita nonnihil est ipsius potentia bellis cum rege Pegu gestis, cui quotannis tributum pendere cogitur. In hoc tractu, qui in varia regna dispescitur, sita est urbs *Tanasseryn*, quam Lusitani navibus frequentant.

Queda. Plusculum austrum versus, regnum civitasque *Queda* occurrit, ubi piper magna copia colligitur.

Circa finem pene promontorii, non longe à *Cap. de Sincapura*, spectatur celeberrima civitas Malacca, quam Batavi nunc tenent. Arcem hic habent validam, quam simul cum urbe Lusitanis eripuerunt. Episcopus Malacensis, uti & Cochinensis, suffraganei sunt Archiepiscopi, qui Goæ est. Hic dum Lusitani tenerent, præcipuus, erat totius Indiæ mercatus, naviumque confluxus onerandis exonerandisque mercibus maximus, quæ è China, Moluccis, Banda, Iava, Borneo, Sumatra, & circumjacentibus insulis, necnon è Siam, Pegu, Bengala, Coromandella, aliisque Indorum locis adventant. Parcius hic familias habebant Lusitani ob aëris insalubritatem, & soli sterilitatem. Commeatus enim maximam partem aliunde petebant. Expectare hic solebant eorum naves ventos commodos, quos *Moussons* vocant, qui certis statisque anni temporibus flant, nempe uno semestri ab oriente, altero ab occasu. Quotannis hinc navis Lusitanica mercibus pretiosissimis onusta abibat. Lingua, qua loquuntur, *Malayca* est, *Maleys* vulgo, quæ optima purissimaque omnium Orientalium esse censetur, nec minus istis locis familiaris est, quam hic Gallica.

I N S V L Æ
I N D O R V M.



Maldivæ. SEptuaginta circiter à promontorio *de Comori* milliaribus, versus austrum, insulæ *Maldivæ* jacent, in centum & quinquaginta milliarium longitudinem extensæ. Ferunt eas excedere numerum 11000, verum numerus incertus est. Incolæ Malabaribus similes sunt. Insularum quædam inhabitantur, quædam incultæ sunt, & ab habitatoribus destitutæ. Soli situsque sunt depressioris, uti regiones prope Cranganor & Cochin, ita ut quædam earum à maris æstu inundentur. Nullas hic reperias merces, præter nuces Indicas, *Cocos* dictas, & earundem cortices ac involucra, è quibus funes suos conficiunt, uti nos è canabi. Tanta istarum hic nucum frequentia, ut toti eas Indiæ sufficiant. Illud notatu dignum: naves hic confici ex solis harum arborum lignis, quæ non clavis, sed funibus ex hac ipsa arbore factis valide nectunt: folia pro velis sunt: pro mercibus & saburra nuces: pro cibo & potu eædem. Vt tota navis nux sit, & nux navis, ac vectorum suorum & insulanorum victus.

Zeylon. Zeylon insularum præstantissima, populis frequens est, qui se *Singales* indigetant. Forma moribusque Malabaribus similes sunt, longis perforatisque auribus. Color ipsis non ita, uti istis, niger. Aurum, argentum, ebur, ferrum stupendo artificio tractare sciunt. In plurima regna, regesque dividitur, quorum potentissimus est rex *Candi*. Regio montosa est, interque montes reliquos unus est, *Pico de Adam* dictus, qui omnium Indiæ montium altissimus perhibetur. Persuasissimum est Indis, hoc loco Paradisum fuisse, ibidemque impressa lapidibus Adami vestigia observari. Pecorum, aviumque magna hic multitudo. Indicorum fructuum, cocorum, malorum aureorum, limonum, citriorum, major, quam alibi, bonitas. Piper fert, cinnamumque sylvæ ferunt ingentes & nemora. Crescit in arboribus magnitudinis olearum, quæ folia habent lauro non dissimilia, fructumque quantitate nigrarum olivarum. Arbori duplex est cortex. Secundus cinnamum est, quod in partes quadratas sectum Soli exponitur, ut exsiccetur. Primum cinericii est coloris, postea in gyros se flectit, rubrumque colorem imbibit. Singulis trienniis arbor novum induit corticem. Adamantes hic reperiuntur, lapidesque ac gemmæ preciosiores, sapphiri, car-

carbunculi, topazii, & granati orientalium optimi. Margaritarum etiam hic piscatura est locuples, necnon auri, argenti, aliorumque metallorum fodinæ. Elephanti hujus insulæ aliis omnibus sagcitate & naturali solertia præstant, creduntur que aliunde allati his honorem reverentiamque exhibere.

Sumatra. *Sumatra* regibus regnisque distincta est, quorum Achemensis borealiorem insulæ partem tenens, potentissimus est. Infensus est Lusitanis. Dives est auri, argenti, lapidum pretiosorum, aliorumque metallorum fodinis. Ex ære tormenta bellica sibi conflant insulani, quibus probe uti norunt. Ferax est aromatum, lignorum odoratorum, radicum, & medicinalium herbarum. Piper fert, & byssum, & sulphur, cujus montibus fons adjacet, mero fluens oleo, ut ferunt. Elephantorum alii agrestes sunt & feri; alii cicures, regi in oblectamentum & subsidium. In civitate Manancabo pugiones conficiuntur, *Crises* dicti, armorum genus præstantissimum. Sæpe huic insulæ insidiati fuerunt Lusitani, sed frustra hactenus.

Iava. *Iava* oryzam luculenter suppeditat, aliaque ad victum necessaria, pecora, oves, porcos, gallinas. Piper fert. Pluribus paret regibus, nempe *Bantamensi*, *Iacatrensi*, *Tubamensi*, *Palambamensi*, aliisque. Magnus potentissimusque omnium est *Magnus Mataram*, uti vocant, in mediterraneis habitans, ad insulæ partem australem. Emporium ejus præcipuum est *Bantam*, quo omnes undiquaque Orientis populi confluunt, Lusitani è Malacca, Chinenses, Arabes, Persæ è Pegu, Siam, aliisque plagis. Viginti ab urbe hac milliaribus Batavi in Iacatra arcem struxere validam, quæ *Batavia* dicitur, cui adjacet urbs ejusdem nominis ampla, amœna, Belgicarum modo extructa, celeberrima Batavorum Colonia; ante annos aliquot hoc loci Præfectus ipsorum ac Concilii Indici Senatores sedem fixere. Magnus Mataram copias auxiliares à rege Bantamensi adducens virorum plus quam centum mille, urbem hanc obsidione cinxit, verum re infecta discedere coactus fuit. Qui littora tenent, Mahumetani sunt; qui interiora, paganismo dediti.

Borneo. *Borneo* sub Æquatore sita versus Boream extenditur pene ad latitud. 8 grad. Omnium Indicarum maxima est; verum in hunc usque diem nondum tota detecta. Præter ea quæ ad commeatum faciunt, lapides fert preciosiores, adamantes, margaritas minores, agaricum, camphoramque optimam. Crescit ex arboribus nucum magnitudinis. Succus est gummique in penitioribus arboris partibus crescens, qui per ipsum arboris corticem transsudat & stillat, Solisque calore candescit. Vrbes maritimæ sunt, *Borneo*, incolas numerans 25000, aquisque pene cincta, Venetiarum instar: *Sombas*, *Succadano*, *Bandarmaßin*, aliæque. Rex Bornei Mahumetanus est, nec cuiquam cum illo loqui fas, nisi per interpretem. Gens ipsa candidi est coloris, ingenio acri, magis simplicitatis amans, quam aliarum insularum incolæ, idololatrica tamen.

Lusson. Insula *Lusson*, quo nomine & aliæ minores circumjacentes indigetantur, ab Hispanis primum detecta est, anno 1564, ex Nova Hispania advenientibus. Alio nomine Manillarum insulæ vocantur, ab urbe *Manilha*: aut Philippinæ, à Philippo II, Hispaniarum rege. Olim Chinensibus paruerunt, nunc Castellanis. Tritici feraces sunt, feris luxuriant, uti & pecore, bobus, vaccis capris, suibus. Chinenses magnam huc vim byssi, gossypii, porcellanorum, pulveris nitrati, sulphuris, nitri, ferri, æris, chalybis, argenti vivi, aliasque elegantias advectant, quæ omnia Hispani hinc Mexicum in Novam Hispaniam transvehunt.

Banda. *Banda* insula est quantitate prædictis minor; nec tamen celebritate inferior, ob ingentem nucum myristicarum, & macis copiam, quæ hinc in totum terrarum orbem mittuntur. Arbores, è quibus crescunt, similes pyris sunt, verum non ita proceræ, foliaque rotundiora. Nux ipsa myristica triplici tegitur cortice. Primus similis est exteriori cortici nostrarum nucum, qui viridis est. Hic ubi maturuit, rumpitur, apparetque secundus retis instar, & purpurei coloris. Tandem se offert tertius ligneus durusque & coloris fusci. Cum ad maturitatem pervenit macis, itidem rumpitur, & colorem induit aureis malis non absimilem. Intra hunc corticem ligneum nux clauditur. Totus fructus condiri sæpius solet saccaro, condimentisque omnibus præstat.

Insularum Moluccarum descriptionem in propria earum Tabula habes.

Amboyna. *Amboyna* à multis inter insulas Moluccas numeratur, uti & Banda. In ea parvum est oppidum Amboyna, quod insulæ nomen dedit, aut ab ea accepit. Quilaum hujus etiam insulæ oppidum est. In hac Hollandi obtinent propugnacula Coubellam, & Lovium, cum receptu Hittouo & arce egregie munita. Insula hæc cariophyllorum apprime est ferax, uti & malorum citriorum, aureorum, limonum, cocorum, sacchari, aliorumque fructuum tam exigui pretii, ut Hollandi pro uno thoracis nodo acceperint 20 mala aurea. Insula Vevanala etiam feracior est cariophyllorum. Incolæ simplices sunt, minimeque vafri, occupanturque in congregandis cariophyllis, & parce vivunt. Pauperes cultros gerunt magnos, quorum usu vitæ necessaria comparant. Grandes ex oryza panes conficiunt,

ciunt, quibus loco obſonii veſcuntur, faciuntque liba ſeu placentas ex ſaccharo & amygdalis, quas cum vicinis commutant. Vitam inſuper optimis terræ ſuæ fructibus ſuſtentant. Inſula hæc multum frequentatur à mercatoribus extraneis, non tam ob aromata, quorum hic non magna copia, quam quod naves ex Malaca in Moluccas ſolventes, hic ſibi à recenti aqua provideant.

Gilolum. *Gilolum* ſitum eſt è regione Moluccarum verſus Ortum, continetque duo Regna, Gilolum & Lolodam, ſic nominata ab oppidis ſuis principalibus. In hac Inſula ſua Hollandi propugnacula habent. Aër male ſanus eſt, & quod pejus, morbi ſunt incurabiles. Parum hic aquæ eſt. Regio ſterilis & inæqualis eſt, ac terræmotui ſubjecta, fert nihilominus oryzam copioſam, multaſque arbores fagos dictas, quæ incolis panem, vinum, veſteſque ſuppeditant. Nullum majus aut minus nutrit animal, exceptis paucis porcis domeſticis, multiſque ſylveſtribus. Inveniuntur & cariophylla, ſed pauca.

Magnus inſuper parvarum Inſularum hîc eſt numerus, de quibus agemus alibi.



INSV-

INSVLÆ MOLVCCÆ.



Nsulæ *Moluccæ* primum à Castellanis aditæ, & post acrem inter Portugalliæ & Castellæ reges controversiam, denique Portugallo veluti oppignoratæ, una cum Portugalliæ regno ad Castellanos devenerunt. Nunc fere omnes à Belgis nostris superioribus annis fuerunt occupatæ, & arcibus ad minimum novem firmatæ. Insulam *Bandam* nucibus muscatis fertilem nostri Belgæ sui quoque juris fecerunt, ibidemque munitissimam habent arcem. Iidem & Amboinam insulam occuparunt, & Portugallos commercio omni in hisce insulis excluserunt. Cum Chinensibus hodie non minus, quam Lusitani, commercia exercent, & littora illa iisdem Lusitanis infesta reddunt. In summa, jam à multis annis nostrates plures naves aromatibus omnis generis onustas ex India acceperunt, quam Portugalli; & commercia Indiæ magnam partem ad se traduxerunt: plures eorundem naves mercibus Indicis onustas aut ceperunt, aut depresserunt; præter ingentia damna, quæ Portugalli passi sunt superioribus annis, *Caraquis* (ita vocant) aliquot aut mari haustis, aut ad littora fractis.

Insulæ Moluccæ quæ propriæ. Sunt autem inter Moluccas insulas, quæ hoc nomine censentur, præcipue quinque, *Ternata*, *Tidora*, *Motir*, *Machian* & *Bachian*. Quarum *Tidora* quidem Septentrionalissima est, unius fere gradus latitudinem septentrionalem, longitudinem vero 168 graduum obtinens. *Ternate* adjunctam sibi in septentrionali latere insulam habet exiguam *Hærii* dictam. Tam exiguo intervallo à se distant Ternate & Tidora, ut tormenti explosione de littore in littus trajici possit. Estque inter duas media insula, *Miterra* dicta. *Machian* & *Bachian* australissimæ sunt. Ternatenses Lusitanorum, qui Tidoram maxime tenent, acerrimi hostes sunt. Excurrunt autem ad littus usque Gilolo. Montes altissimos habent multis arboribus consitos, maxime vero Ternate, in qua mons est sulphureus ignes vomens, flante vento septentrionali. Maxima vix habet ambitum sex mill. passuum. Omnes intra spatium 25 milliarium concluduntur. Ager est aridus, spongiosus; quique cadentes è cœlo imbres confestim absorbet, antequam in mare dilabantur. *Fructus.* Aromata producit varia, nuces myristicas, mastichen, lignum aloës, santalum, zingiber, piper & caryophyllum. Quæ vero ad vitæ quotidianæ sustentationem pertinent, uti sunt oryza, frumentum, aliaque, eorum nihil ibi crescit, quamvis id ex negligentia potius incolarum, quam soli vitio fiat. Maxima autem caryophyllorum copia ad Machian & Ternaten reperitur, Bachian horum minimum suppeditat, Tidore vero & Motir mediocriter. *Caryophylla.* Crescunt autem in altissimis arboribus, quæ in montanis cernuntur aliis permixtæ, dimidio fere à littore milliari. Folia habent laurinis similia, nisi quod aliquanto tenuiora, & in extremitatibus plus excuminata sint. Flores umbellæ instar prodeunt, simillimi floribus mali aurei; fructus flore collapso paullatim protuberant in formam clavi, unde etiam illud apud nostrates nomen. Dentibus contrita folia saporem caryophyllorum manifeste exhibent. Fructum non nisi semel in anno ferunt, quamvis omni fere tempore & flores, & fructus tam maturi quam immaturi in eis reperiantur. Tempus quo maturescere solent, incertum est; quo verò florent, definitum magis, nempe Iunius, Iulius, Augustus & September, spirantibus ventis australibus. Accidit autem plerunque, ut quo tempore maxime floreant, copiosissimæ quoque pluviæ decidant, dies aliquot continuos, maximo florum detrimento, qui humorem illum, imbresque frigidos ferre non possunt. Nec minus tamen luxuriant in arboribus fructus, quippe cessante pluvia, & novo calore refecta tellure, de novo florem protrudunt, & spem messis copiosæ colonis faciunt. Decerpuntur plerunque & colliguntur quarto postquam floruerunt mense, & tum solum sub arboribus herba omni denudatum complanatur, & frondes arborum exterioribus funibus coarctantur & constringuntur, ut facilior sit adscensus, fructusque eo commodius decerpi atque colligi possint. Illud necesse est, ut intra quatuordecim dies omnes decerpantur; ni faxis, fructus maturi extincta virtute ac facultate omni aqueo humore intumescunt, ac insipidi redduntur. Tantus autem eorum est proventus, ut ex una arbore duo *Baria*, quæ 1250 libras Hollandi-


MOLVCCÆ
INSVLÆ
CELEBERRIMÆ
BACHIAN I.
Bachian
Tabellam hanc seorsim adiunximus ex qua Insula Bachian quæ hac tabula comprehendi nequiebat ob oculos ponitur.
ARC HIPE LAGO
DE S. LAZA RO
MACHIAN
Taffaso
Tabillola
Mauritius
Nahaca
TIMOR alijs MOTIR
Nassaw
POTTEBACKERS EYLANDT
Cleyn Marieco
Marieco
MITERRA
Hooge dorp
Gammalamme
Tacomma
Hærij
TERNATE
Malayo
Taluco
TIDORO
Bay van Gilolo
GILOLO I.
Milliaria Germanica communia
Milliaria Gallica communia
AMSTELODAMI,
Guiljelmus Blaeuw
excudit.
9

landicas faciunt, (*Bar* unum 625 libras continet) colligantur. Decerpti recens fructus rubent nonnihil, at sole exsiccati nigredinem contrahunt. Fit autem interdum, ut propter continuas pluvias ad ignem eos exsiccari necesse sit, & tunc nigredinem ex fumo contrahunt, & apud nostros in majori sunt precio, quamvis quoad substantiam & virtutem ab aliis nihil differant. Arbores ita inter se densantur, vel soli felicitate, vel seminis aut stolonum fecunditate, ut plerunque lucos faciant. Hos inter se partiuntur indigenæ, fructusque abdunt, ut mercatoribus divendant. Sed hæc hactenus de caryophyllis, quæ fere in his insulis tantum, & in Amboina proveniunt, tametsi in minoribus illis insulis *Hærii* & *Miterra*, quarum supra facta est mentio, quædam etiam inveniantur. Myristica arbor procera & patula est, nostræ quercui similis. Nuci operimentum triplex. Primum crassius est adversus injurias aëris, venti, & imbrium. Alterum membranæ instar reticulato munimento: quod tertium aliud putamen ligneum ambit: membrana illa est muscatæ flos, qui ab Hispanis dicitur *Macis*. Zingiber quod in hisce locis provenit, duplex est, spontaneum & sativum. Hoc illo melius est. Herba crocum refert, radix odorata est & mordax instar piperis, & quidem pipere ipso calidior. Cinnamomum, quod fabulosa antiquitas avium nidis, & præcipue Phœnicis decuti credidit, cortex est fruticis, simillimi malo Punico. Eum calore dehiscentem à ligno avellunt, & ad solem exsiccant, qui in fistulas contractus, à canalium figura, vulgo canella vocatur. In insula *Timor* sive *Motir* albi & flavi santali silvæ crescunt. Rubrum provenit in tractu *Coromandel*. Arbor nuci est similis: fructuum nullus est usus: lignum in febribus fervidissimis valet, si contusum & in pollinem redactum misceatur liquori, eoque frons, tempora, arteriæ inungantur. Quod ad fructus alios, nempe *Cocos*, sive nuces Indicas, *Bananas*, *Mangas*, *Duriones*, & similes attinet, eorum exiguus quidem ibi proventus est, sed mala aurea præstantissimi saporis reperiuntur. Incolæ harum insularum staturæ mediocris sunt, membra apte formata, colore fusco. Barbam habent, plus quam Indorum alii, & senes eam majore studio nutriunt, ut venerationis inde aliquid sibi concilient. Vestitus ipsis decorus & honestus, tunica nempe oblonga, ad genua usque demissa, ex eleganti constans panno, quem ex Bengala acquirunt, quamvis etiam peculiarem habeant pannum, quem ipsimet ex arborum corticibus eleganti admodum artificio contexunt. Adolescentes & viri juvenes annulos in capite gestant ex gossypio convolutos, quos festis diebus variis floribus exornant.

Arbor myristica.

Zingiber.

Cinnamomum.

Populi mores,

vestitus &c.

Vestis superior circa pectus patet, laxis manicis, quas ad humeros usque retrotrudere involutas possunt, ut plerunque brachiis nudis incedant. Vestis inferior ad genua usque demissa serico vel sericeo panno, qualis ex Bengala adfertur, constat. Diebus autem festis vestimenta sua gratiore suffitu imbuere solent, ut bene olentes puellarum gratiam captare possint. Religioni addicti sunt Mahometicæ. Natura humaniores sunt, affabiles valde, non superbi, non contumaces, ut in una civitate ac societate tranquillam ac pacatam vitam agant. Cum vicinis autem ac alterius insulæ populis crebræ ipsis lites, contentiones ac bella intercedunt. Armis suis mira utuntur agilitate, nec fortitudine militari ullis totius Indiæ populis cedunt. Præ ceteris autem militiæ studiis excellunt Ternatenses. Fuga in bello sibi consulere dedecus putant summum, etiamsi viribus prævaleat hostis. Arma ipsorum sunt gladius & clypeus. Caput galea tegunt. Gladii præfractis cultris similes sunt, circa manubrium tenuiores, circa extrema lati ac graves. Clypei ex levissimo ligno fabricati, ferrique omnis expertes sunt, duas spithamas lati, & quatuor pedes longi, ut totum fere corpus iis tueri possint. Hisce armis tam prudenter & dextre uti norunt, ut omnem in eis exercendis vitam posuisse putentur. Bella maxime maritima gerunt, triremibus & naviculis aliis, quas ipsi *Corcoras* vocant, congressi. Sub pugnæ initium jaculis utuntur, quæ projicere magna dexteritate norunt, postmodo ad sclopeta progrediuntur, quæ in magno precio habent, & tandem gladiis magna agilitate cominus decertant. Ceterum populus otii amantissimus est, laborum fugiens, nisi servus & mancipium sit. Supellectilem domesticam non habent, præter ollam ac patinam unam atque alteram fictilem, ad usus necessarios, itemque stoream unam atque alteram ex arborum corticibus contextam, in qua tum nobiles, tum plebei recubant. Opes sibi comparare non student, quotidiano victu contenti. Commercia peregrinis relinquunt, qui in Bengala, Pegu, Delii & alibi locorum habitant. A Lusitanis mutuo capiunt, quæ desiderant, data interim hypotheca, quæ precium rei duplo superet; à debito se liberant, quo tempore caryophyllorum fructus colligunt. Atque hac ratione, dum res suas augere non student, paupertatem omnes profitentur. Pecuniam nullam habent, opes caryophyllorum reditibus æstimant. Argento interdum delectantur, sed nullam aliam ob causam, quam ut varia inde vasa aut pocula sibi conficiant. Lingua utuntur propria, quæ nullam cum aliis Indorum linguis affinitatem habet. Scribentes characteres

res pingunt Arabicos. Vxores ducere ipsis licet, quot libet, sed alendi sumtus modum hac in re ipsos servare cogit. Zelotypia conjugum suarum & filiarum vexantur maxima, nec quenquam ad eas visendas domum secum adducunt; quin imo si quis eos conventum cupiat, in interiora domus non admittitur, sed in vestibulo foribusque consistere solet. Ducturus puellam aliquam, spectatum eam nequaquam admittitur, donec inter parentes & consanguineos utriusque partis de dote & donatione propter nuptias convenerit.

Insulæ hæ omnes ante hæc tempora suum quæque peculiarem regem habuerunt. Anno 1604 duæ illæ *Machian* & *Motir* ad regem Ternatensem pertinebant, duæ autem reliquæ *Tidora* & *Bachian* suos proprios habebant reges. Hi omnes, quoad memoria repetere possunt subditi, ex una semper & eadem familia originem traxerunt. Ternatan primum accesserunt Lusitani, quos humanissime excepit rex Chajanirus, facta ipsis potestate castellum inibi exstruendi. Verum cum iniquius incolas haberent, regem quoque ipsum interfecissent, capitalibus illos odiis prosecuti sunt Ternatenses, cumque negato commeatu castellum desererent, illud ipsi occuparunt.

Præsens Insularum status.


Hodie in insula *Ternata* propugnaculum tenent Hispani, quod *Gamalamme* vocatur, vetus insulæ metropolis, ad oram ejus australem. Arces *Dangil*, & *S. Lucia* in ipsis jacent limitibus, Hollandis objectæ. In eadem vero insula Hollandi propugnaculum possident *Malayo*, ad orientale latus, quod jam metropolis, sedesque regis Ternatensis, præcipua Belgarum in his oris colonia. Sunt & hic *Tolucco*, arx, & *Tacumma*, receptus ad latus Boreale.

Tidora tota Hispanis paret, perpetuaque cum Ternatensibus bella gerit. In ea *Marieco* castellum aliquando in Belgarum fuit potestate, verum ab hostibus pressum, vexatumque Belgæ tandem deseruerunt.


Motir sive *Timor* insula, utrique parti patet, primique occupantis esse potest. Verum cum non ingens inde speretur lucrum, negligentius à Belgis & Hispanis habetur.

Insulam *Machian* totam Belgæ tenent, exstructis illic arcibus duabus, *Gnoffaquia* & *Tafasoa*.

Bachian etiam Belgicarum est partium, in cujus angulo (*Labovo* illi nomen est) arcem videre est, à Barneveltii nomine dictam *Barneveld*.



TARTARIA,
SIVE
MAGNI CHAMI
IMPERIVM.


Artaria per vastas Scythiæ solitudines ad Septenrionem porrectas extenditur. Inhabitant eam Tartari, qui vitæ continentia & gentis suæ Scythicæ antiquitate gloriari solent, asseverantes se esse semen Abrahæ, & nemini servivisse unquam, licet vexati interdum bellis fuerint ab Alexando, Dario, Cyro, Xerxe, aliisque regibus, & populis potentioribus. Præfuit illis olim unus Chanus, sive Dominus. Nunc plures scisso imperio dominantur. Nomen habet à fluvio Tartaro *Tattar*, qui ab aliis *Magog*, ab accolis *Mongul* dicitur, à regione sita ad Septentrionem. Ab Ortu Chinarum habet regnum, à meridie Indiam, Gangem fluvium & Oxum, ab Occidente mare Caspium & Poloniam, inde Moscoviæ contermina est, à Septentrione vastis spatiis extenditur mare Glaciale. Primum ex Tartarorum gente Imperatorem nominant *Changium*, vel *Chamum*. Paulus Venetus *Cinchin* vocat. Filius huic fuit *Iocucham*, à quo tertius Imperator *Zaincham*, qui ab aliis *Bathi* dicitur. Quartus fuit *Temur Cutlu*, sive *Tamberlanes*, qui Bajayzetum Turcarum Imperatorem aureis compedibus vinctum in cavea per Asiam traduxit. Quintus fuit *Temir-Gzar*, Sextus *Macmetzcar*, post hunc *Armetzcar*, & *Siachmet*, aliique. Gens ipsa ferox, atrox, cruenta, inconditis moribus, & omnium barbarorum maxime barbara. Regio plurimum inculta, tristis, squallida & deserta. Religio seu lex est communis Tartaris cum Turcis, atque aliis Saracenis, quæ Iudaïsmum olet & hæresin quandam Nestorianam. Deum unum profitentur, Christum vero sanctum prophetam & judicem mundi postremum, Virgine pura natum, sed non vere passum credunt. Circumcisionem observant, sed eam jam adulta ætate suscipiunt, qua Ismael patriarcha illorum circumcisus erat. Orta hæc secta creditur in Mecha oppido Arabiæ, anno salutis 600, machinatione cujusdam Sergii monachi & apostatæ nefandi. Religionem suam assiduo conatu propagant. Diem à precatione auspicantur, & precibus finiunt. Quotidie, mane, vesperi, & pomeridianis horis orant: nulla, quo id minus agant, necessitate avocari se sinunt. Non id opus in solos sacerdotes rejiciunt: etsi illos solos à precatione & lege interpretanda habent. Quilibet pro se, tam clericus quam laicus pariter, & clam & coram hominibus turmatim in cœtibus Deum confitentur. Semper sobrii, aqua lustrali membra loti, terram, in qua cum Deo loquuntur, imitati sacram scripturam, pro sancta ducunt, & insternunt. Nullis sedilibus in fanis utuntur. Characteres præscriptos & certos gestus adhibent, palmas ad cœlum expandunt, genua flectunt, incurvantes & usque in terram proni in faciem procidunt, toto corde & omnibus membris orationi incumbunt, in qua non valde multa verba repetunt, sed hæc præcipua: Soli Deo immortali Creatori cœli & terræ, præter quem non est alius, honos & gloria in sæcula sæculorum. Precationi adjungunt jejunium. Affligunt enim totos dies animas suas non solum fame & siti, sed ab omni opere & verbis profanis abstinentes, nihil præter divina curantes usque ad intempestam noctem, capientes cibum non ad luxuriam, sed ad virium refectionem. Rident jejunia Christiana, non fame, non siti, non cinere, non rerum divinarum contemplatione, non vigiliis, non orationibus condita. Sunt & in eleemosynis dandis liberales; neminem enim suorum unquam mendicare, aut fame, vel algore perire patiuntur. Adhibent tamen in hac beneficentia judicium. Nam non dant iis, qui eleemosynam in ingluviem & luxum convertant: sed pauperibus, debilibus, peregrinis, scholasticis, literis & ritibus religionis ipsorum cognoscendæ studentibus. Arcana divina scrutari nefas prophanumque esse existimant, nostram temeritatem execrantes, quod quidam ex nobis de judiciis & secretis divinis, quæ magna abyssus vocantur, in suis comessationibus disputent, nomen divinum frustra usurpent. Irridient Tartari nostros Ecclesiastas seu presbyteros, taxant templa supelle-

Termini.

Imperatores.

Gentis indoles.

Mores & vita.

pellectilis, sedilium, ararum, simulacrorum, & dei ad senectutem vergentis, & mulierum venustarum, plena. Nos æris pulsu, illi certis laudis divinæ verbis ac vociferationibus ad templa se invitant: nos, quod in laudibus divinis aures delectemus nostras, buccinis, organis, harmoniis, verba precationis obscurantibus, & organis interea nostris naturalibus silentibus, reprehendunt. Tartari in equitatu sunt assidui: absque curribus bella gerunt, equis peregrinis abundant, urbibus quas tutentur carent. Moschi quolibet vere ex horda Tartarica Nohaiensi, permutatione vestium, & rerum aliarum vilium, multa millia equorum bello aptissimorum accipiunt. Tartari equorum ditissimi, ne Principis quidem suæ vehiculo jungi patiuntur equum. Tartari tunicas habent absque plicis & rugis longas, equitanti dimicantique commodas; pileos albos, leves & acutos, non ad fastum paratos, quorum eminentia atque nitore in agminibus, licet minime galeati esse soleant, apparent illustriores, & hostibus formidandi. Aromatis adeo abstinent, ut & in epulis paschalibus contenti sint his condimentis, sale lutulento, sinapi, allio, cæpis, suæque telluris fructibus, non solum vulgus, verum etiam optimates, & summus dux illorum. In mensa Principis convivali, inter aurea vasa & vernaculas dapes, nonnihil quidem piperis, non tamen cocti, in trullis seorsim apponitur, sed à nemine attingitur. Tartari Pæcopenses itidem aromata aversantur, vivuntque potu lactis & aquæ putealis, quæ in ambitu Tauricæ campestri, raro invenitur quam amara, clara autem rarius, nisi in visceribus terræ profundissime quæsita. Apud Tartaros qui modo vinum gustaverit, is & octoginta fustuariis ictibus percutitur, & totidem nummis mulctatur. Tartari suas mulieres in abditis semper tenent locis. Sequuti ducem naturam, atque priscorum hominum, de quibus in Bibliis, consuetudinem, plures simul singuli uxores habent. Ex quibus numerosas filiorum & affinium copias consequuntur. Et uxores quanto plures, tanto sui amantiores habent, faustisque fruuntur matrimoniis. Nec sponsarum magnas dotes quærunt, nec formas, nec inclytas familias; adeo ut summi principes ex captivis emptitiis conjuges sumant. Nec ita pridem in copiis Ossam Soltan fuere collectanei ejus, cujusdam Omeldesz XL filii simul, robusti, uno anno & mense fortassis ex uxoribus & pellicibus ejus procreati, quæ cohors XL fratrum conspicua fuit. Et hic apud fluvium Vaka villa Tartarorum frequens est, antiquitus XL Tartarorum, id est, fratrum appellata.

[Di]visio [T]artariæ. Dividitur Tartaria omnis in Europæam & Asiaticam. Europeæ descriptionem vide inter partes Orientales Europæ.

Asia- *Major sive Asiatica.* Asiatica quinque potissimum partibus distribuitur, quarum nomina hæc: Tartaria Deserta, Tartaria *Zagataja*, *Turchestan* regnum, Cataini Magni Imperatoris imperium, & Tartaria Vetus.

Deserta Tartaria. Deserta Tartaria inter Tanaim, Volgam, Iaxartem amnes, Tapyros, Sebyos, Imaumque montes sita, Sarmatiæ Asiaticæ partem, partemque maximam Scythiæ intra Imaum montem complectitur, in *Hordas* complures distributa; quarum præcipuæ sunt: Zavolhensis, quæ & Bulgarorum Tartarorum est horda; Casanensis, Nohaigensis, Tumensis, Schibanskensis, Cosakensis, Astracanensis, quæ quondam peculiare regnum, & Baskirdensis; pleræque ab oppidis cognominatæ. Harum incolæ, cum omnes liberi ante essent, nunc Moscovitarum imperio subditi sunt; exceptis unis Tumensibus, qui magno Chano Cataino parent. Zavolhensis horda magna quondam dicebatur, quia ex hac ceteræ ortum duxerant; unde etiam Imperator eorum *Vluchan* appellabatur, id est, Magnus Dominus sive Magnus Imperator. Astracanensis regni caput est urbs *Astracan* sive *Citrachan* prope ostia Volgæ, salinis atque emporio clara. Qua de causa mercatores innumeri ex Moscovia, Turcico imperio, Armeniis & Perside eo confluunt. Sunt præterea in Deserta Tartaria *Czyrkassi*, inter Tanaim & Volgam, in Asiatica Sarmatia: & versus Oceanum, in Scythia intra Imaum, *Mecreti* ac *Samojedi*, quos Latine dicas semetipsos devorantes; aliique eodem tractu, *Molgomsai*, *Badaique*, utrique Solem, vel rubrum pannum in sublime elatum, venerantes. Ceterum dexteræ Obii ripæ, circa mediam fluminis partem, apposita est urbs magnitudine & incolarum numerositate ingens *Grustina*, Tartaris & Moscovitis negotiatoribus frequentissimum emporium.

Tartaria Zagataja. Desertæ Tartariæ à meridie conjuncti sunt Tartari *Zagatai*, agro, oppidis, moribusque cæteris cultiores ac nobiliores. Fines eorum è Septentrione Iaxartes flumen; ab Ortu *Turkestan* regnum; à Meridie Persicum imperium; ab Occasu mare Hyrcanum. Caput regionis ac sedes regum est *Samarcanda*, Tamberlane bellicosissimo Tartarorum Imperatore maxime celebris; urbs magna ac lapide exstructa; at parum frequens. *Zahaspa* ad Obii ostia, & *Bikent* in mediterraneis clara sunt emporia, quo Indi & Catajæ regni incolæ mercandi causa conveniunt.

Turkestan regnum. Proximum ab ortu est *Turkestan* regnum, veterum Sacarum regio; cujus incolæ satis civiles & culti. Vrbium notissimæ, *Taskent, Cotam, Cascar, Iarkem.*

Imperium Cataini. Potentissimum inter Tartaros imperium est Magni Chani in regnis *Cataja*, *Tangut*, *Tainfu*: & in provinciis *Tenduc*, *Camul*, *Ciarciam*, *Carakitay*,


TARTARIA
ſive
MAGNI CHAMI
IMPERIVM
Milliaria Germanica communia
Oceanus Tartaricus
Sub Circulo Arctico
Chinæ Regni Pars
Oceani Chinensis Pars
Perſicæ Pars
Magni Mogoli Imperii Pars
Mare de Sala vel de Bachu, olim Hyrcanum, ſive Caspium
Europæ Russiæ Pars
Nova Zembla Pars
Samoieda
Molgomzaia
Colmak
Cavona
Annibi
Deſertum Lop
Tumen
Kasakki Tartari
Karakitay
Samarchand
Taskent
Ciartiam
Cotam
Carcham
Cerguth
Tangut
Quincij
Xiamxij
Sancij
Carazan
Ciorza
Carli
Mongul
Tenduc
Cathaia
Bulgaria
Nagaia Horda
Tabin promontorium
10

rakitay, id eſt Nigra Cataja, & *Teber*. Initium ejus eſt à Noruſſis montibus in finibus Tartariæ Deſertæ, extenditurque ad *Tabin* uſque promontorium & fretum *Anian*, longitudine IX circiter mill. Germ. Occupat veterem Sericam, majorem partem Scythiæ extra Imaum montem, partemque Scythiæ intra Imaum. Serica eſt ipſum nunc regnum Catajæ, vulgo *Kitay*; incolis (ut ferunt) adeo frequens, & agrorum cultu adeo læta, urbiumque ſplendore, ædificiorum nitore, atque omni denique divitiarum genere adeo affluens, uti neque Græciæ veteri, neque Italiæ cedat. Vrbium opulentiſſima eſt *Cambalu*, regia ſedes & caput totius imperii Magni Chani, quinque mill. Germ. ambitu comprehendens; quam duodecim ſuburbia, juxta numerum portarum, circumjacent; frequentiſſimum Indis ac Senenſibus mercatoribus emporium. *Caindu* urbs velis ſubtiliſſimis, quæ ex arborum corticibus ad uſum fœminarum conficiunt, maxime eſt clara. Quare tela olim Serica nota erat. Vnde Plinius; *Seres*, inquit, *lanificio nobiles*, *perfuſam aqua depectentes frondium canitiem*. In regno *Tangut* artem Typographicam ante CIↃ annos inventam fuiſſe, nonnulli contendunt. *Tenduc* provincia, magni & potentis regis Presbyteri Ioannis (quod nomen poſtea Abyſſinorum regi in Africa per errorem datum fuit) quondam regnum fuit. *Tainfu* regnum amplum atque cultum, vitibuſque fertile, artificibus ac negotiatoribus refertum, armorum bellicorum nobiliſſima inter Tartaros officina. Quin Serico ferro jam inde Plinius palmam tribuit. Poſtrema univerſæ Tartariæ pars eſt Vetus Tartaria, inter Paropamiſum amnem & Sericam ſive Catajæ regnum, ad uſque Septentrionalem Oceanum & fretum Anian extenſa. Dicitur Vetus Tartaria, quia hinc primo nomen Tartarorum, ut ſupra demonſtravimus, exortum eſt. Regiones hic & hordæ complures, quarum nomina vix nota, aut certa. At *Vng* & *Mongul*, regiones, *Gog* & *Magog* eſſe, viri docti docent.

Regnum Catajæ.

Tartaria Vetus.

FINIS.



SERENISSIMO & TER-AVGVSTO

PRINCIPI

LEOPOLDO GUILIELMO,

ARCHIDVCI AVSTRIÆ, &c.

BELGARVM & BVRGVNDIONVM

PRO REGE CATHOLICO

GVBERNATORI,

ORDINIS TEVTONICI

SVMMO PRÆFECTO, &c.



ERENISSIME PRINCEPS,

Vastissimi Sinarum Imperii situm & limites, toti propemodum Europæ pares, hisce spectandos in tabulis Serenitati sisto Tuæ. Illos, jam inde à Diluvio Noëtico, cultissimis populis habitatos, sed externis omnibus hactenus inaccessos, Sociorum denique meorum Societatis Iesu religiosorum virorum, Sacra & conqui-

* rendis

rendis Servatori Deo animabus hominum errantium à fide intenta induſtria penetravit, magni Xaverii Orientis Apoſtoli, tantis olim conatibus immortui, adjuta patrocinio, & animo exemploque provocata. Ego noviſſimus & minimus inter omnes, pluribus abhinc annis Tridento ex finibus Italiæ & Germaniæ in Sinas, Deo me vocante profectus, magnam earum partem, quo me vel ſpes ſacræ prædæ, vel Tartarorum egit furor, qua eundo qua fugiendo peragravi, ſitumque omnem Provinciarum & Vrbium inſpexi coram, accurateque dimenſus ſum; donec in muro illo prodigioſe vaſto & longo, quem Sinarum Imperator unus, trecentis & quod excurrit annis ante Chriſtum, contra vim incurſionemque Tartarorum quadratis è ſaxis quinquennali machinatione conſtruxit, ipſe conſtiti ad extremum prope limitem Orientis; indeque ſubjectas latè Sinarum terras & regna quamplurima luſtravi oculis, cæloque ſubjeci ad menſuram. Mox Romam, ad procuranda auxilia ad Generalem Præpoſitum noſtri ordinis à Sociis delegatus, ab ultimo Oriente per im-

manes

manes tractus Oceani in Norwegiam, & inde in ipsum, quod pro Rege Catholico felicissime gubernas, Belgium mari terrâque delatus, fructum habui peregrinationis tantæ primum maximumque, Bruxellæ videre Te coram, & Te alloqui sermone patrio & Germano. Tua illa virtus & animus, quem non vindicando solum armis ab hoste Belgio, sed orbi toti in libertatem filiorum Dei adserendo parem ex voce vultuque perspexi, impulere me statim, ut opus hoc meum Sinographicum non alteri quam Tuæ Serenitati dedicarem. Quem enim alium potius, vel unde conquirerem Patronum aut Vindicem mei operis, quam illum, cujus tanta ad me fama vix primos Europæ limites ingressum etiam inter hostes & æmulos Austriaci nominis prævolavit? Loquebatur illa mihi de LEOPOLDO GUILIELMO Belgii vindice & magna, & mira, & quæ, nisi dicerentur de auctore tanto, prope incredibilia viderentur; Asserta jura Ecclesiæ; defensam contra oppugnatores Religionem; servatam inter tot arma & prælia, & testatam exemplo perpetuo pietatem; gesta, etiam sine subsidiis,

diis, sine quibus Mars nullus est, bella gravissima; recuperatas cum paucissimo milite urbes plurimas munitissimasque; stabilitam cum Batavis, bellum, nisi agenda res cum LEOPOLDO foret, praeoptantibus, pacem; ac denique Belgium omne sanctissimè felicissimeque defensum suoque Regi ac Domino vindicatum. Haec equidem audiebam adhuc absens, & gaudebam praecipiens animo & cogitatione non dubiâ visurum me coram illa omnia, quorum remota etiam fama & memoria me tantopere recreabat. Sed enim postquam ipse me ad interiora Belgii penetravi, cum audita procul vidi coram, cum accuratè perspexi opera virtutis ac fortitudinis Tuae, *Dixi* tandem, cum Sabaeâ apud Salomonem regina, publiceque professus sum: *Verus est sermo quem audieram de virtutibus & sapientiâ tuâ. Non credebam narrantibus donec ipse venissem & vidissent oculi mei, & probassem vix medietatem sapientiae tuae mihi fuisse narratam. Vicisti famam virtutibus tuis. Beati viri tui & beati servi tui, qui assistunt coram te omni tempore, & audiunt sapientiam tuam. Sit Dominus Deus tuus benedictus.*

2 Paral. cap. 9.

Vtinam illum ego, dum vivo, diem aliquando videam, quo & virtute atque fortitudine quâ

quâ jam vales, & poteſtate quàm modo valeas majore, in proximum Catholicis Indiis Sinarum imperium non arma hoſtilia, quæ non amas; ſed, quam amas, pacem cum fide & ſocietate Chriſtianâ inferas ſempiternam! Hoc vovet

SERENISSIMÆ

CELSITVDINI TVÆ

Devotus ad obſequium

MARTINVS MARTINIVS
Societatis JESV.

** PRI-

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

FERDINANDVS TERTIVS, *Divina favente clementia electus Romanorum Imperator Semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ; Comes Tyrolis, &c.*

Prisci illi ingenii doctrinæque Principes, artium disciplinarumque inventoris efficaciori quodam Supremæ Divinitatis adflatu instinctuque informati pariter atque impulsi, cùm multa acutè & sapienter excogitarunt, tum verò nihil propemodum vel ad honestatem præstantius, vel ad speciem pulcrius, vel ad voluptatem jucundius, vel ad utilitatem fructuosius aperuere, & ad posteritatis memoriam simul ac notitiam transmisere nunquam intermorituram, quàm insignem illam artem seu facultatem, quæ nobis universum orbem, vel majorem portionem eorum, quæ in eo continentur, veluti regiones, provincias, urbes, oppida, maria, flumina, lacus, montes, promontoria, & alias ejusdem primarias partes, tam accuratâ cùm secundum habitudinem ac positionem ipsarum ad invicem, tùm etiam cœli ipsius respectu delineatas descriptione, exigua quando in tabellâ repræsentat, ut, qui eam inspicit, peregrinari in quaque regione, eamque coràm oculis perlustrare sibi videatur. In ea igitur disciplinâ excolendâ & amplificandâ qui gnavam ponunt ac sedulam operam, eorum commoda Augustalis benignitas propenso Cæsarei favoris ac gratiæ patrociniò lubens volensque meritò suscipit provehenda. Quum itaque Ioannes Blaeu Typographus Amstelrodamensis humillimè Nobis curarit exponendum se, quandoquidem jam quinque partes Atlantis Majoris typis suis excusas in lucem ediderit, sextam quoque ejusdem partem sub epigraphe ac nomenclatione Atlantis Sinensis una cum descriptione Patris Martini Martinii, ejusdemque tabulis generalibus publici juris facere suoque ære pariter ac charactere, tam in majori quàm minori formâ emittere decrevisse: Vereri autem, quum ejuscemodi editis non exiguos requirat sumptus, ne, dum ipse rei litterariæ juvandæ, curiosoque aliorum studio excitando pariter ac promovendo enixius insudat, improba hominum alienis laboribus insidiantium, quæstuique ac lucro proprio, vel cum aliorum dispendio & jacturâ augendo inhiantium, sperato operæ atque impendii sui fructu exutus insanabilem in re sua familiari faciat pauperiem; adeoque nos supplicabundè rogarit, ut rationibus suis hoc loci consulere seque contra id genus lucripetarum dolos Cæsarei Nostri Diplomatis præsidio munire clementer dignaremur. Nos itaque considerata submississimarum id genus precum æquitate, iisdem tanto annuimus facilius quanto judicamus indignius, eum qui rem litterariam publicam opibus suis pariter ac laboribus, liberaliter suscepit juvandam atque ornandam, gravissimam rei suæ domesticæ calamitosæ tempestatis vim fraudulenter illatam videre ac persentiscere. Ac proinde ipsum Iohannem Blaeu

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

Blaeu hæredesque ipsius Cæsareo Nostro privilegio super dicta editione Atlantis Sinensis, sextæ nimirum partis Atlantis majoris faciendâ clementer donavimus; adeoque prudentes, scientes, volentes, animo bene deliberato, ac de Cæsareæ Nostræ potestatis atque authoritatis plenitudine disertè donamus, omnibus ac singulis Typographis, Bibliopolis, & aliis quibuscunq; librariam negotiationem exercentibus tenore præsentium serio inhibentes, ac vetantes, nequis eorum sæpedictam sextam partem Atlantis majoris vocabulo & nomenclaturâ Atlantis Sinensis inscriptam, ad quindenos annos à primâ editionis die proxime computandos, intra Sacri Romani Imperii, Regnorumque, Provinciarum, ac Dominiorum Nostrorum hæreditariorum fines simili, vel alio typo & charactere, vel etiam unà alterave forma, vel aliâ linguâ, in toto sive in parte recudere, vel alio recudendam dare, vel alibi impressam importare, adducere, vendere, aut distrahere clàm vel palàm citra voluntatem ac consensum prædicti Ioannis Blaeu ejusve hæredum ausit, præsumatve. Siquis autem secus faxit, & interdictum hoc Nostrum temerario quodam ausu negligere, & transgredi non fuerit veritus, is non solùm hujusmodi libris perperam quippe recusis atque importatis, quos quidem antedictus Blaeu ipsiusve hæredes ubicunque deprehensos sive propria authoritate, sive Magistratus loci illius auxilio apprehendere ac sibi vindicare poterunt, de facto privari, sed viginti quoque marcarum auri puri puti Ærario sive Fisco Nostro Imperiali, fraudis nimirum vindici: Ex altero verò semisse sæpememorato Ioanni Blaeu, ejusque hæredibus omni spe veniæ præcisâ pendendarum mulctam dare damnas esto. Hac tamen lege ut sæpenominatus Blaeu quaterna ut minus exemplaria dictæ sextæ partis Atlantis majoris, epigraphen & nomenclaturam Atlantis Sinensis præferentis, statim post finitam editionem suis sumptibus ad Imperialem Nostram Cancellariam, ejusdem destinato Taxatori transmittat. Quod si neglexerit, hac Nostra gratiâ ac privilegio neutiquam gaudere possit, sed eo statim privatus & exutus esse censeatur. Mandamus igitur universis ac singulis Nostris & Sacri Imperii, Regnorumque, Ditionum ac Dominiorum Nostrorum hæreditariorum subditis, cujuscunque status, gradus, ordinis, dignitatis, conditionis, aut fortunæ existant, tam Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus, præsertim vero iis, qui in Magistratu constituti vel proprio, vel Superiorum nomine ac loco jus dicunt, justitiæque exercent administrationem, ne quemquam Privilegium & interdictum hoc Nostrum Cæsareum temerè & impune transgredi, aut violare patiantur; quin potiùs contumaces, si quos fortè compererint, præscriptâ pœnâ mulctari, aliisque modis idoneis curent coërceri, nî gravissimam Nostram indignationem incurrere, & eandem mulctam pendere voluerint. Harum testimonio litterarum manus Nostræ subscriptione & sigilli Nostri Cæsarei impressione munitarum. Quæ dabantur in Civitate Nostrâ Viennæ 7 Januarii, 1655.

FERDINANDUS.

V[t]. FERDINANDUS COMES CURTIUS.

Ad mandatum S. Cæsareæ
Majestatis proprium

JOANNES WALDERODE.

SVM-

S V M M A
P R I V I L E G I I.



CAutum est Privilegio D D. Ordinum Belgicæ Fœderatæ, seorsim quoque Hollandiæ, ne quis intra proximos viginti annos, præter Ioannem Blaeu Typographum Amstelædamensem, Tabulas provinciarum Imperii Sinensis particulares, aut generalem, cum descriptionibus Geographicis, vel separatim, vel alio quocumque modo imprimat, aut alibi impressas in dictas terras inferat, atque divendat; sub omnium librorum, & pecuniæ insuper mulcta, ut latius patet in diplomatibus, datis Hagæ Comitis 1655.

In Consessu Ordinum Generalium xx Martii.

W. RIPPERDA v[t].

In Consessu Ordinum Hollandiæ xi Maji.

J. CATS v[t].

Ad mandatum eorundem D. D. Ordinum signatum

absente Graphiario
J. SPRONSEN.

HERB[t]. van BEAUMONT.

A P P R O B A T I O N E S.

CVm duo ex Societate nostra Theologi opus, quod inscribitur *Atlas Sinicus, sive Magni Sinarum Imperii Geographica descriptio, auctore R. P. Martino Martinio è Societate* IESV, *ex Sinarum regno in Vrbem misso Procuratore, &c.* recognoverint, & in lucem edi posse censuerint, ego Ioannes Baptista Engelgrave, Societatis IESV per Flandro-Belgicum Præpositus Provincialis, auctoritate ad id mihi data ab Adm. Rev. P. N. Generali Goswyno Nickel, concedo ut typis mandetur. in quorum fidem hisce sigillo nostri officii munitis subscripsi. Bruxellis, 1 Martii, 1654.

Ioannes Baptista Engelgrave.

A*Tlas Sinicus, sive Magni Sinarum Imperii Geographica descriptio, auctore R. P. Martino Martinio Societatis* IESV, opus summa fide ac diligentia conscriptum, & è libris Sinicis Geographicis quindecim singulari studio ac labore erutum, prolatumque, nunc primum in lucem, una cum mappis Geographicis ejusdem regni, ex ipsis Sinensibus archetypis expressis, typis omniumque oculis dignissimum judico, nihilque omnino continere quod Catholicæ atque orthodoxæ fidei contrarium sit, aut repugnet. in quorum fidem hisce manu nostra subscripsi. Bruxellis, 25 Martii, 1654.

ANTONIUS SANDERUS,
Presbyter, S. Th. Licentiatus, Iprensis Ecclesiæ Canonicus & Scolasticus, librorum Censor.





IMPERII
SINARUM
NOVA DESCRIPTIO
SAMAHAN TARTARIÆ sive SAMARCANDÆ PARS.
TANYU TARTARIÆ PARS
XAMO
XAMO DESERTUM
TIBET
REGNUM.
KIANG
REGNUM.
VSUÇANG
REGNUM.
BENGALA.
MIEN
REGNUM
REG. LAOS
TUNGKING
GANNAN.
KIAOCHI sive
COU CHINCHINA.
XENSI
HONAN.
SUCHUEN.
HUQUANG
YUNNAN.
QUANGSI
QUANTUNG
KIANSI
FOKIEN
CHEKIANG
COREA
IESO.
IAPAN
I. Formosa
LIUSUNG.
HAINAN
Tropicus Cancri.
Cum privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis,
& Ordinum Belgicæ Fœderatæ.

ATLAS EXTREMÆ ASIÆ, SIVE SINARUM IMPERII GEOGRAPHICA DESCRIPTIO.

AD LECTOREM PRÆFATIO, In qua totius extremæ Asiæ descriptio generatim præmittitur.

Asiæ nobilitas.



Siam omnium, quas globus hic noster terraqueus continet, regionum nobilissimam, & esse etiamnum, & fuisse olim ab ipsis rerum initiis, inficiari nemo nisi rerum ignarus, imperitusque potest: quippe, quæ amœnissimos illos hortos divina manu consitos (Paradisum vulgò vocant,) primaque terrarum principes homines, ac parentes nostros sinu suo susceperit, foveritque: exinde propagato mortalium genere coloniæ per reliquas orbis partes longe lateque diffusæ: Hæc prima gentium ritus, sacra, ac ceremonias, rectam vivendi rationem, litteras ac scientias alias docuit & instituit: hæc demum ipsum Deum humani generis vindicem, ac servatorem, humana specie tulit.

Extremæ Asiæ nobilitas.

In Asia vero ipsa (saltem post communem illam orbis eluvionem) nulla pars hac extrema aut nobilior, aut antiquior, aut cultior fuit, sive politicam gubernandi rationem, seu litterarum usum, ac peritiam spectes. nam ejus Historia ab ipsis Sinis jam ab antiquissimis temporibus conscripta, ter mille annos fere continet ante natum Deum, ut clarius patet ex nostra extremæ Asiæ Historiarum collecta epitome, & Chronologia. Iam tum illi litteras, Philosophiam quæ ad mores pertinet, & Mathematicas scientias imprimis habuisse feruntur, quod & antiquissimæ siderum observationes abunde ostendunt, & ipsæ regnandi leges vetustissimis exaratæ voluminibus, & ad hæc ipsa tempora superstites docent.

Varia ejus nomina cur & unde.

Quam autem orbis regionem hîc extremam Asiam voco, alii *Sericam*, *Sinam* alii vel *Chinam*, Tartari *Catayum* dicunt, & *Mangin*, quo potissimum nomine non tam regionem, quam Sinas ipsos afficiunt: *Mangin* enim illorum lingua barbaros homines sonat, quo modo Tartari Sinis illudere solent, haud indigno Sinicæ arrogantiæ & superbiæ ludibrio. Turcæ etiam, ac Mauri, Saracenique qui singulis trienniis, fictis suorum Regum falsoque adornatis legationibus, pedestri itinere per *Laor* & *Cascar* Sinam petunt, *Catayum* nominant, de quo mox plura dicemus infra. at (quod merito omnibus moveat admirationem) extera hæc nomina omnia Sinis omnino ignota sunt, unum illud *Mangin* si excipias, quo nomine, ut dixi, à Tartaris per injuriam compellantur. Sinæ autem imperium suum *Chunghoa* vocant, & *Cungque*, utroque nomine ab illius excellentia indito: hoc medium regnum sonat (nam in medio terræ sitos se credunt) illud autem *(Chunghoa)* medium hortum, vel potius florem significat. Hæc duo communia maxime & stabilia fuere nomina, alia tamen subinde atque alia accessêre ex variarum familiarum, imperiorumque varia successione; ita modo à Tartaris *Tai-c'ing* dicitur, quod antea *Taiming*, & trecentis annis ante *Taijuen* vocitabatur. non immerito suspicetur quis & hoc Hippophagorum regnum esse, equina enim omnes perinde ac bubula, aut quavis alia carne vescuntur, quamquam

Laor & Cascar.

illud Tartaris magis frequens, ac familiare eſt.

Sinarum nomen unde.

Unde autem *Sinarum* nomen ſeu potius *Chinarum* ortum ſit, clarius ex mea epitome liquet, in qua illud à *Cin* Imperiali familia ortum ducere oſtendo. qui autem ab urbana voce, qua ſæpius inter loquendum utuntur Sinæ, *Cing* nimirum, ortum volunt, falluntur meo quidem judicio, & errant: ſiquidem Sinæ omnes, qui ultro citroque cum Indis inibi aut Luſitanis commercia inſtituentes ſuis navigiis Indiam adeunt, non *Cing* ſed *Cia* patria voce, urbane alios compellare ſolent, ſoli litterati, aut qui cultioris linguæ ſunt, *Cing* dicunt, quam linguam ex *Chincheu*, & *Quangtung* mercatores, qui ſoli ex Sinis fere hactenus navigarunt, plerique ignorant. Crediderim ego potius à *Chincheu* urbis incolis toti regno nomen adſcitum, namque iſti omnium frequentiſſime ſuis navibus Indiam totam pervagari conſueverant, unde facile à Luſitanis ac Indis *Chinæ* nomen effictum. Quidam à Sionibus illud deducunt, nam, ut ajunt, Sionica lingua Sina regionem ſeu terram excellentem ſignificat, de quo cum mihi certiora comperta non ſint, nihil certi auſim aſſerere.

Extremæ Aſiæ termini.

Atque hæc de nomine plus ſatis, ad rem ut veniam, extremam ego Aſiam voco: extremam à loco, in quo jacet, vere extremo: terminos enim illius, qua ad orientem ſpectat, ſtatuit Eoum mare: ſiquidem Indicum Oceanum, hactenus Eoum dictum, ultimum omnino non eſſe, ipſa experientia docente ſat compertum eſt. mare illud à Sinis *Tung* dicitur, hoc eſt, orientale. Hoc à Borea in Auſtrum, ab Auſtro in occaſum totam fere extremam hanc Aſiam alluit, ad Boream vero à veteri Tartaria, regniſque *Niuche*, *Niulhan*, & parte *Tanyu* ſecluditur per murum illum tanta famæ, ac ſcriptorum celebratione inclytum, qui in ipſo mari jactis molibus in *Leäotung* ultimis exſurgit finibus, qua in Septentrionem vergit peninſula *Corea*; inde longiſſimo tractu continuata fere lapidum ſerie per 300 milliaria Germanica inter montium crepidines excurrit occaſum verſus, ubi ad ripas *Lutei* ſeu *Crocei* fluminis, de quo plura infra, terminatur; deinde magis ad Boream deflectens regno *Tanyu* & arenoſo deſerto, ſeu ſolitudine clauditur, per quam & à regno *Samahan*, & *Caſcar* ſeparatur: reliqua, quæ ad Auſtrum vergunt, ambiunt regna *Preſte Ioan*, *Geo* ſeu *Cangingu* (communi nominē Sinæ *Sifan* dicunt) *Tibet*, *Laos*, *Mien*, *Pegu*, (ubi *Bengalam* attingit) *Tunking* demum & *Cochinchina*, quæ Sinæ *Kiaochi* vocant. Triginta circiter gradus in longitudinem porrigitur, à capite ſeu promontorio *Ningpo* urbis (quod Luſitanis *Liampo*) ad Amaſæos, ſeu Damaſios uſque montes. Latitudo maxima eſt à decimo & octavo gradu ad quadrageſimum & ſecundum Borealis hemiſphærii. quæ tota, quam vaſta eſt regio, ab uno regitur, adeoque maximo Monarcha, unde non immerito cum tota Europa de imperii magnitudine dicta eſt poſſe certare.

Munimenta à natura.

Porro ſi ſitum ejus, poſitionemque cum cæteris adjacentibus orbis partibus accurate tecum expenderis, dicas à natura objecta quaſi cæteris, exſtructaque illius munimenta; adeo quippe exiles, clauſique omnes aditus ſunt, ut orbem in orbe ipſa per ſeſe à reliquo ſejuncta conſtituere videatur: nam, qua patet mari, nullam ferè aquarum habet altitudinem, adhæc tempeſtatibus famoſa ſunt littora, ſcopuliſque, ac rupibus ſub aquis hinc inde deliteſcentibus, non uno loco infamia. unde magnis navibus, quales myoparones aliæque ſimiles, acceſſus minime tutus, aut ſecura ſtatio. Ad Boream ingens illa ſolitudo deſerta eſt, muruſque, quo ars juvit, ſicubi defuerit, naturam. Ad occaſum vero à continuis, iiſque altiſſimis montibus Damaſiis à reliqua Aſia, minoribuſque regnis dividitur, latiſſima illorum intercapedine ad mæniorum modum interjecta.

Extremæ Aſiæ climata.

A climate itaque ſecundo ad ſextum uſque aſcendit, ita ut diem maximam æſtivam XV habeat horarum, quæ ex XIII ad XV excreſcat: illa quidem in *Hainan* inſula, hæc vero in Provincia *Peking*, & *Leäotung* ſit regione: aliqua ex parte, ſed minima, zonam ſubit torridam, maxima ex parte ſubjacet temperatæ. Unde cum ad tantam procurrat ſpatii latitudinem, varias ſentit pro regionum, ac temporum anni varietate cæli ſolique tempeſtates: adeo ut, ſicut nec omnes ferre omnia poſſunt terræ, ſic nec de omnibus eædem æſtuum, frigoriſque vices affirmari poſſint. qua parte ad Septentrionem vergit, ingentia ſæpe fert frigora, crebras denſaſque nives, ſæpeque admodum diuturnas, illic fluvii duriſſimo concreſcunt gelu, non item in Auſtrali plaga, ubi majores fervent æſtus, omneſque totius fere Indiæ fructus læti proveniunt, uberéſque;

Fertilitas.

Muſæ, palmarum nuces, *Mangas*, *Ananas*, aliique. in Boreali vero parte uvas fert, ficus,

cus, castaneas, nuces alias omnis generis, poma persica, cotonea, pyra, aliosque ex Europæis arborum fructibus, de quibus singulis agendum postmodum sigillatim in cujusque provincia.

Ubique cælo, solo, uberrimis pascuis, saloque in locis maritimis, & fluminibus læta est regio. in ea naturam, artemque benefica, ac liberali credas concurrisse manu. ut nescias fertilitas, an pulchritudo, utra plus alterutri debeat. illud omnino fatendum, quidquid alibi reperitur per partes, hîc reperiri simul omnia, ut multò de hac, quam de Romana olim, dici nunc possit verius:

Propertius.

Omnia Sinensi *cedant miracula terræ,*
Natura heic posuit, quidquid ubique fuit.

Adeo vix quidquam est, quod illa ab exteris desideret, cum plurima in ea reperiantur, quæ frustra alibi quæras, & desiderentur maxime. orbis compendium, aut annuli, hoc est, orbis gemmam recte dixeris, in qua scilicet plus pretii, rerumque reperturus sis, quam in reliquo, ut ita dicam, fors orbe toto. Sin est, quod expeti possit, Indiæ aromata sunt, sed ea vicino adeo atque opportuno sunt loco, ut propter assiduum ultro citroque commercium, non tam extera censeri possint, quam domestica, ineundæque cum proximis societatis atque amicitiæ vincula & adjumenta, ut vel hoc ipso luculente satis monstrasse videatur Deus, cum non omnis ferat omnia tellus, alterius sic regionem alteram poscere opem & conjurare amice.

Varia extremæ Asiæ divisio.

Divisa olim fuit in provincias duodecim, à *Xuno* Imperatore. deinde in novem, ab ejus successore *Yvo*, annis ante Christum natum circiter MMCCLX: tum temporis enim non nisi partes Boreales complectebatur, à gradu latitudinis fere quadragesimo ad trigesimum, ubi limites statuebat Provinciis magnus fluvius *Kiang*. paulatim deinde Australes partes postea subactæ sunt, & à barbarie ad politicem Sinicam redactæ. Tum demum in quindecim ingentes Provincias totum hoc imperium Sinicum divisum est.

Provinciæ.

Ex iis sex, quæ mari adjacent, *Peking*, *Xantung*, *Kiangnan* seu *Nanking*, *Chekiang*, *Fokien*, *Quangtung*. Hinc Boream versus occurrunt mediterraneæ *Quangsi*, *Kiangsi*, *Huquang*, *Honan*, *Xansi*. demum quæ ad occidentem vergunt: *Xensi*, *Suchuen*, *Queicheu*, *Yunnan*. habet præterea *Leäotung* regionem ad occasum Provinciæ *Peking*, ubi magni illius muri principium, & *Coream* peninsulam regno vectigalem: ad hæc non paucas numerat insulas vicinas, quæ tributum pendunt, inter eas nobilissima est *Hainan*. Inde ortum versus haud ita procul ab *Amacao* innumeræ sunt aliæ, adeo subinde inter se conjunctæ, ut una potius, quam plures esse videantur. His proxima insula Formosa est, à Sinis *Lieúkieú* dicta, ex adverso *Fokien* Provinciæ. Inde ad *Ningpo* promontorium jacet insula *Cheuxan* nobilis modò, & frequens. aliæ complures sunt versus Boream, *Coream* inter & Sinas, de quibus omnibus suo dicetur loco.

Figura.

Figura totius regni Sinensis quadrata fere est, atque ita illud mappæ Sinicæ repræsentant. duo tamen promontoria longe procurrunt in mare (quod Sinæ *Tung* vocant) alterum ad urbem *Ningpo*, ex qua in Iaponiam brevissimus est trajectus, quadraginta plus minus horarum. alterum in Provincia *Xantung* ad urbem *Tengcheu*, ubi à *Coreá* & Sinico littore Sinus maris intercipitur haud absimilis Adriatico, qui Italiam, Albaniam & Istriam interfluit.

Errores in mappis novis & antiquis.

Hinc facile duo eruuntur, iique crassi errores, quos in mappis plerisque Europæis animadvertere licet. primus, quo murum illum ingentem, & *Peking* Regiam ad 50 altitudinis gradum collocant, cum murus ipse vix bidui itinere ab urbe *Peking* absit, cujus altitudo gradum 40 non excedit, ut me cum sociis sæpius observare memini, imo quandoque deprehendisse 39. gr. 59.

Error in Catayo describendo.

Alter, isque priore nihilo tenuior est, quo ultra Sinas aliud regnum nobilissimum fingunt, *Catayum* vocant, cum urbibus *Quinsai*, *Cambalu*, &c. cum ultra murum nihil omnino reperire sit præter vagantes cum equis, ac plaustris, sine urbibus Tartaros, nimirum *Tanyu*, *Niúche* & *Niúlhan*, aliosque ad Boream magis, quos ob loricas galeasque è piscium exuviis confectas *Yu pi* Tartaros Sinæ vocant. Ex ultimis his Orientis oris profecti Tartari, hanc extremam Asiam modo occuparunt per *Leäotung* regionem ingressi. Quid autem *Cambalu*, *Quinsai*, *Catayo*, ac *Mangin* sint, infra luce meridiana clarius ostendam, ubi & plura alia dilucidabo, ex quibus facile intelligi possint, quæ apud *M. Paulum Venetum*, sunt, multisque hactenus errorum fuêre causæ: nec est quod quisquam hæc è cerebro meo aut nata, aut à me inventa putet. ingenue enim hîc & Germana fide profiteor me hæc omnia è libris Geographicis Mappisque Sinicis pro qualibet Provincia ab

ab ipsis Sinis sigillatim compositis & impressis hausisse, quas & penes me habeo, & cuivis harum rerum curioso coram exhibere paratus sum. qua porro accuratione, ac diligentia id à me præstitum sit, facile animadvertet, quisquis in rebus Geographicis non omnino hospes est.

Carnis & rerum necessariarum copia.

Sed, ut redeamus in viam ab hisce erroribus, est, ut dixi, extrema hæc Asia rerum omnium, quæ ad usus vitæ sustentationemque hominum faciunt, ferax omnino & copiosa. Vaccas habet, oves, capras, anseres, anates, gallinas, aliaque hujus generis animalia. præcipue vero porcis abundat, sine quibus vix ulla domus. miris hos artibus enutriunt, ac pinguiores reddunt: porcina hæc in delitiis & maximo apud Sinas usu est: eam quippe præ reliquis omnibus toto anno expetunt, & suavissimi est saporis. plebs quoque non parcit equis, mulis & asinis, imo nec canibus, qui & ad magnatum adhibentur mensas, & carius veneunt cæteris; non deest ubique triticum, oriza (quæ panis apud eos habetur loco,) milium, cæteraque legumina omnia adsunt. fructuum quoque, ac pomorum omnis generis apparatus ingens præter amygdala, oleasque. multos ex his profert, quos necdum vidit Europa. Olerum summa apud eos varietas est; & delectus, quam apud nostrates, major, ususque frequentior. plurimi quippe metempsychosi adhuc adhærentes, religiose à carnibus abstinent.

Pisces.

Piscibus quoque, non minus quam ubivis gentium alibi, hic scatent flumina. nec è mari tantum lacubusque ingentem illorum haurit vim, sed & alit Sina, ut Europæi animalia domestica solent. cum enim inter orizæ campos, quos rivuli non pertranseunt, fossas ac lacunas effodere debeant, quibus, cum desunt pluviæ, terram irrigare necesse est; ne ex siccitate emoriantur segetes, in iisdem piscibus cibum subministrant, maxime lentem palustrem, unde videre est annis singulis mense Mayo quam plurimas per Sinam vagantes naves aqua plenas, in quibus parvi pisciculi, qui apti judicantur ut alantur, & crescant, divenduntur. majores quosdam è mari eductos in onerarias conjiciunt, eosque glacie ad id hyberno tempore servata operiunt, atque ita diu noctuque protractos funibus ad ipsam usque aulam *Pekinensem* deferunt; sæpe ad mensem integros recentesque custodiunt: quos servare non possunt, muria ac salsamentis condiunt plebeculæ cessuros in vilius alimentum.

Byssi abundantia.

Byssi tanta est copia, ut ausim asserere, plus prodire ex una *Chekiang* provincia, quam reliquo fere orbe toto; bis quotannis bombyces educant, quorum culturam ante Christum natum bis mille & octingentis annis exercuisse eos antiquissimi gentis annales referunt. Hinc serici usum, artemque ad alias pervenisse nationes omnino verosimile est. imo & ab illis ad nos derivatas currulium tormentorum, Magnetis, ac Typographiæ artes, multis haud temere probatur. quippe cum Tartaris *Iuenis* Sinam ingressi multi, Europæi *B. Odericus* (de quo accurate, ut solent, in actis SS. RR. PP. *Bollandus* & *Henschenius*) *Fr. Aytonus Armenus, M. Paulus Venetus* aliique, à quibus cum anni illorum inventorum non ita multum absint, haud injuria quis ab illis ad nos allata suspicetur. Gossipii semen non nisi ante annos plus minus quingentos accepit ab exteris: at nunc in ea ita luxuriat, ut orbi propemodum toti inde vestes gossipinas suppeditare posse credas, ex gossipio ad amictum vulgo pannus texitur: Lino caret, non tamen cannabi, ex quo vestes texunt æstivas compendioso artificio. quin & byssum in arboribus nascentem profert, de qua in *Xantung* Provincia.

Fluminum commoda.

Fertilitas hæc & rerum copia magna ex parte gentis industriæ, fluviisque ac lacubus irriguis debetur. multi hi sunt & admodum frequentes, qui præter piscationem copiosam aquas orizæ præstant, in quibus seminatur, & bis quotannis crescit, ad hæc commoda commerciis tanto ibi navium ultro citroque commeantium numero, ut fidem excedat. quanta vero fluminum sit opportunitas, vel ex eo collige, quod *Amacao Peking* usque ad sexcentas prope leucas, navigetur, non nisi die uno, quo mons superandus, navigatione interrupta. Ita & ex *Chekiang* navigatur in *Suchuen* per totam, qua ab ortu in occasum extenditur, longitudinem. imo vix urbs est aut civitas ad quam navibus non pateat iter, natura aut arte ductis ubique fluviorum alveis.

Fodina.

Fodinæ metallorum omnium innumeræ per totam hanc extremam Asiam sunt, & oppido divites ac copiosæ. Aurum & argentum ne eruatur, lege cautum est. eo quod noxiis, ut ajunt, terræ exhalantibus vaporibus in mineris passim interirent homines, quorum vitam pluris, quam aurum & argentum (propter quæ nos & terrarum viscera scrutamur, evacuamusque, & terræ superficiem hominibus) ab Imperatoribus & Regibus æsti-

æstimari par est. aurum ex fluminum ripis colligere omnibus licet, & vel sic facile ingens ejus vis comparari solet, quod merces potius hic est, quam mercium pretium: siquidem non moneta nummisve, sed, ne locus fraudibus sit, concisi maxime argenti pondere identidemque crucibulo fusi & refusi metiuntur, atque in id ipsum forfices, & habilem trutinam ligneolæ inclusam thecæ ad genu circumferunt. teruncios duntaxat ex ære publica forma percutiunt, gestant pertusos suspensosque funiculo, supplendis argenti pretiis aut vilioribus mercibus coëmendis. argenti vivi, æris, ferri, stanni, cupri, minii vel cinnabaris, lapidis lazuli, vitrioli mineralia effodiunt. præter hæc candidum cuprum instar argenti conficiunt, quod non nihil carius ære flavo. è liquefacto ferro plura faciunt cum Europæis communia, tormenta bellica, campanas, ollas, mortaria, fornaces, aliaque hujuscemodi.

Pecunia.

Populi frequentia.

Quam vero præ reliquis orbis partibus populo frequens sit extrema hæc Asia dici vix potest. illud mihi compertum est, non modo in urbibus, oppidis, pagis fluminibusque frequentissimam occurrere turbam, sed per publica etiam itinera. credas te procedentem alicubi videre exercitum, aut in nundinis Europæis versari. minime itaque mirum, sub initium accessus Lusitanorum, rogare subinde quosdam solitos, num mulieres ibi quinque vel decem uno ederent partu: alii mobiles ajebant isthic esse Civitates, tanta enim ubique navium copia est, ut sub noctem quiescentes sæpe civitatis magnę spatium occupent, speciemque repræsentent. in his non modo suas, sed & altilium animalium educant familias, porcorum imprimis, gallinarum & anatum, unde haud pauciores fere aquarum, quam continentis sunt incolæ, si de Australibus præsertim loquamur provinciis; nam apud Boreales navigatio non ita viget. quod si libris Sinicis maximeque authenticis credimus, qui diligentissime adnotatum habent singularum provinciarum, urbium aliorumque locorum hominum numerum (seclusis regii sanguinis familia, magistratibus, Eunuchis, militibus, sacrificulis, mulieribus, pueris) sunt ad quinquaginta octo milliones, nongenta & quatuordecim millia, ducenta, octoginta & quatuor, 58, 914, 284. hinc non adeo mirandum, si quis eam dixerit ducentos hominum milliones continere. hic autem numerus absque ullo fere labore juxta Sinicas leges facillime subducitur. quilibet enim paterfamilias sub gravi pœna tenetur tabellam ex porta majori domus suspendere, in qua habitantium numerus, conditionesque, qui qualesque sint, exprimuntur. singulis autem decem domibus assignatus est decurio, *Tifang* vocant, cui incumbit numerum hunc colligere, ac si quid peccatum fuerit in censu, urbis admonere præfectos. hæc severius turbatis rebus servantur, adeo ut neminem omnino admittere liceat, cujus non expressum sit nomen, si diutiuscule ibi hæreat.

Urbium, ac civitatum numerus.

Urbes præcipuæ magnitudinis nobilitatisque sunt 150, inferioris autem ordinis 1226. omnes altis muris fossisque munitæ, quibus militaria quam plurima loca non adscribo, præter innumera castella, oppida, munimenta, municipia ac pagos nostratibus urbibus sæpe haud multum cedentes, quorum ita multi sese offerunt, ut summa iniri vix possit. unde incidit mihi aliquando in mentem, si ingens ille murus Borealis totam Sinam ambiret, fore ut tota hæc extrema Asia unam quasi urbem constitueret, & quidem incolis ædibusque admodum frequentem, adeo vix ab uno abitur loco, quin alius continuo bene cultus occurrat. Ex iis urbibus pleraque navigabilibus impositæ fluviis suburbia habent hinc inde longe lateque excurrentia, & egregia aëris salubritate commendanda.

Distinctio.

Porro distinctio inter urbes ac civitates subinde non adeo magna est, si ipsam tantummodo magnitudinem spectes. dantur enim subinde civitates urbibus æquales vel majores; sola distinctio intercedit à vario præfectorum titulo, ac auctoritate juxta politicas, ac consuetudinum Sinicarum leges. Urbes quidem omnes civitatibus dignitate præstant, non item incolarum aut rerum affluentia: Urbes *Fu*: civitates *Cheu* vel *Hien* vocant. municipia etiam ac pagi sunt magnitudine & commerciorum frequentia cum civitatibus sæpe comparandi, præcipue quos *Chin* vocant, quia vero muris carent, magistratibusque propriis, ideo nec civitatis ferunt nomen, & à proximis magistratibus reguntur.

Sinæ ingenio acuti.

Sinarum autem ingenia Aristotelis dicta de Asiaticis populis probant: Europæi fortitudine Sinis præstamus, Sinæ nobis ingenii acumine. Sagaces sunt, subdoli, ac ad subitos casus acutissimi, & impavidi: sollertes etiam sunt atque industrii. rerum utilium nihil omnino perire sinunt. vilissima quæque scruta etiam in tanta rerum pretiosarum

rum abundantia colligunt, servantque, ossa canum, gallinarum plumas, porcorum setas, imo & spurcissima quæque excrementa, quibus etiam mercimonia instituunt. in artibus mechanicis quam industrii artifices opificesque sint, satis superque testantur ea, quæ jam inde ad nos allata sunt, serica omnis generis vestis, vascula porcellana, arculæ illorum glutine & auro illitæ, vestes acu pictæ, aliaque ejusmodi, ex quibus tamen non optima quæque ad nos advehi solent. lignum ebenum, ebur, corallium, succinum, jaspides, durissima marmora, aliosque lapides pretiosos egregie elaborant. Succini speciem ex pice fusa ita mentiuntur, ut vero genuinoque invidiam facere possit. jam pridem vitrum ex oriza conficere didicêre mire perspicuum, attamen friabile, adeoque necdum cum nostro comparandum, ad illud tamen accedit proxime. multum nobis cedunt pingendi arte, quippe qui nec umbrarum rationes ac regulas, colorumque oleo temperandorum miscendorumve usum necdum sint assecuti. aves autem floresque ita tum coloribus, tum filis sericis acu textis exprimunt, ut naturam proxime sequantur, meritoque omnibus sint admirationi. Ibi ante Europæorum inventionem artis nauticæ ac magnetis usus antiquissimus, imo Typographiæ, tormentorum, pulverisque pyrii inventa nostris longe priora sunt, ut paulo ante insinuavi.

Artifices egregii.

Pictura.

Agricultura.

De agricultura vero quid loquar? eam ad certas reduxerunt regulas juxta varias qualitates terrarum: hanc unam maximi faciunt, absque reliquis artibus, sine hac homines vivere non posse nec injuria dictitantes. eam ob rem magnis privilegiis agricolas ornant, ita ad laborandum hortantur & excitant, ut vix pedem terræ incultum squallere otiosumve patiantur. Vbi steriliores campi sunt, eos industria ac arte ad fertilitatem cogunt, eosdem, ne quotannis bis culti lassentur, restaurant ac fovent. si desint aquæ, excavatis fossis etiam ad longissima intervalla rivos è fluminibus deducunt, atque hinc tota fere Sinarum regio ubique naviculis pervia. aquas ex humiliore etiam loco attollunt facili instrumento ex quadratis asseribus constructo, magna vi ac copia aquas sorbente, eo fere modo quo apud nos fit per globulos catenæ ferreæ insertos.

Rarus piscandi modus.

Ad Sinarum monstranda ingenia rarum piscandi modum hic visum adjicere. avis apud eos est ansere minor, corvo haud absimilis, collo prælongo, rostroque aquilino in extremitate admodum incurvo. hæc pisces capere, ut canes lepores, docetur. collum annulo ferreo ita coarctant, ut majores pisces eo exceptos deglutire non valeat. eos piscator sibi extrahit. pisces grandiusculos, quos colli laxitas non capit, rostro arreptos elevat, piscatorique ut accurrat, cum strepitu ostentat. vidi quandoque tres aut quatuor aves ejusmodi uni pisci adhærentes, sibique mutuo ad prædam ferentes auxilium. ita sex ac plurium librarum pisces capiunt. quia vero hæc piscatio magnum præbet piscatoribus lucrum, pro singulis avibus certum quoddam tributum coguntur pendere.

Architectura.

Domuum exstructione, ac magnificentia, totiusque ædificii soliditate multum nobis cedunt, in turribus pontibusque struendis aut pares nobis, aut fortasse etiam superiores. præter altissimas elegantissimique operis turres, pontes multi sunt & artificio & magnitudine spectabiles. Domus tametsi non adeo splendidæ, ad usum tamen fere nostratibus sunt commodiores, atque intus mundiores. plures contignationes non amant, ut summum una subinde additur. quippe gradus scalasve ascendere laboriosum putant. infimam ædis partem omnes incolunt. eam commodo ordine in cænacula & cubicula distribuunt. quæ foris patent parum habent ornamenti, (si portam majorem, aliasque fores anteriores, quæ in divitum domibus satis splendidæ sunt, exceperis) interiora sua amænitate atque elegantia non carent. omnia illo glutine (*c ie* dicunt) illita mire relucent. ædes vulgo ligneæ sunt, etiam palatia regia, ita tamen ut parietes è lateritio plerumque opere exsurgant, qui cœnacula & habitationes solummodo separant: nam tectum ipsum columnis ligneis innititur, cujus tegulæ omnes argillaceæ ut nostrates sunt. fenestras, ex quibus ad plateam pateat prospectus, nullas amant, imo hoc ingenuis indecorum ducunt. atria varia, aliis alia interiora struunt. secretissimum seu ultimum mulieres inhabitant, quarum ad modestiam ac cautelam arcta custodia omnes, ut ita dicam, Europæos exsuperat carceres.

Scientiæ.

Scientiarum varietate, perfectioneque multo nobis inferiores sunt, licet eas longe pluris, quam nostri æstiment. præter Astronomiam, (cujus judiciariam partem maximi faciunt) vix quidquam habent veri, aut solidi. Philosophiam, quam Ethicam dicimus, jam ab antiquissimis retro temporibus, ex ipsis naturæ rationisque principiis utcum-

cumque sat bene deduxerunt. de virtutibus altissima quæque dicunt, ac scribunt, ad bonam Reipublicæ gubernationem omnia, referentes. acutissima autem illorum esse ingenia vel hinc collige, quod à nobis Arithmeticam nostram, Geometriam, sydereum & planetarum computum, imo & Logicam Conimbricensium Sinico idiomate impressam edocti, quam celerrime omnia percipiunt. Habent & illi suo more cum figuris impressa complura volumina de Architectura, Physiognomonica, Anatomica, artibus mechanicis, &c.

Medicina.

In medica arte, si praxim spectes, nos omnino superant. plusculum quidem illis disputant, speculanturque nostri, at facilius & melius illi morbis medentur. antiquissimos de herbarum, lapidum, atque arborum natura habent libros in unum corpus redactos, suisque figuris, ad modum nostri Dioscoridis, exornatos: præterea morborum signa, effectus, causas, aliasque proprietates continent recentiores illorum ac veteres libri. ut plurimum simplicibus ac decoctis medicamenta conficiunt. ustiones fricationesque adhibent, sectionem venæ non item, quam illi gravissimum errorem autumant. jejunio potius, aliisque refrigescentibus sanguinem ad debitam temperiem reducunt. ajunt, non ideo quod ferveat in olla, effundendum jusculum, sed si compescere velis, ignem subducendum: pulsuum adeo præclaras habent perceptiones, ut ex eorum notitia occulta etiam quandoque detegant ulcera.

Pulsuum ratio apud eos præclara.

pulsuum motus sex in qualibet notant manu, tres principes, totidem ordinis inferioris, qui omnes ad varias corporis partes pertinent. primum ad cor, ad hepar alterum, tertium ad ventriculum referunt. atque ita deinceps ad alia membra alios. dum ægrum visunt, mediam tenet horam pulsuum horum exploratio summa cum quiete omnium, nec sine decumbentis fastidio, quam mox, unde oriatur intemperies, & qua sit in parte corporis facile indicant, & recte dijudicant. Artis Chimicæ professores, & hic non rari, ubique vagantur, non aurum modo pollicentes, sed & immortalitatem in hac vita, quorum pæne idem, qui Europæorum scopus est, splendide mentiri scilicet, & nimium credulos, avarosque, istis offuciis fallere.

Habitus corporis.

Ingenii quoque acumen perperam sæpe ostendunt in sagacissimis dolis, & fucis, quibus aliis imponunt. agiles præterea sunt, & levi flexilique corpore ac vivaci spiritu. laboris patientes, at minus famis. siquidem diem medium, præsertim matutinum, absque cibo transigere pæne existimant sibi fatale.

Mercatores industrii sunt, & solertes, gens tota otii inimica, & desidiæ. ubi vel minima lucelli affulget spes, nullus eis labor gravis, quippe honesto utile sæpe potius & antiquius. valetudinis sat firmæ sunt ac robustæ, duratis vel inde à puero lacertis, colore candido certant alicubi cum Europæis, multique conveniunt, si nasum simum, barbam raram, exiles, prominentes & in oblongum deductos oculos, latamque & ad quadrati magis formam accedentem faciem exceperis. nigerrimo omnes prolixoque gaudent capillitio tum viri, tum mulieres. flavum rufumve colorem vilipendunt, imo horrent, magis etiam quam olim Thebani. mulieres ut plurimum statura minores sunt, at vultu & liberali & eleganti. præcipuam pulchritudinis muliebris ac decoris partem exilitati pedum tribuunt. inde primum natis puellis infantibus eos arcte revinciunt, ac comprimunt, fasciisque ita adstringunt, ut deinceps nequeant excrescere. sunt, in quibus caprinos vaccinosque vix superent mole aut magnitudine. ridicula sane & mira in tam culta gente stultitia, cui si vel ipsam Helenam obtuleris, sordebit ob pedes majores. adeo mulieres hîc omnes, quo viris placeant, hoc lubentes subeunt tormenti genus.

Religio.

Triplex est Sinicæ gentis religio seu secta potius. primam eamque antiquissimam, Philosophicam: secundam Idololatricam: tertiam Epicuream nomino: illi *Sankiao* hoc est triplicem doctrinam vocant. Philosophica inter reliquas & re & auctoritate eminet. penes hanc regni regimen est. soli enim Philosophi ad rempublicam administrandam admittuntur. *Iukiao* sectæ nomen est. hæc olim unum summum principium agnovit: multa namque de cœlo, summo imperatore, ac rerum omnium gubernatore philosophorum veteres libri tradunt. modo, se illius naturam, ac essentiam, ac quo modo colendus sit, ignorare fatentur. unde melius judicant esse, omnem cultum omittere, quam in illo errare. hujus itaque sectæ asseclæ nihil spectant magis, quam justum ac perfectum Reipublicæ regimen, virtutumque moralium exercitationem. tractat hæc Philosophia de cœlo, terra, ac homine, tamquam de iis, in quibus omnium rerum cardo versetur. *Sançai* illa tria vocant. de

Philosophorum secta.

cœlo

cœlo ac terra ſcientia tota mere naturalis eſt, ubi de rerum principiis, de generatione & corruptione, de motibus cœlorum, ſiderum,ac Aſtrologia utraque,de agris demum eorumque cultura ac dimenſione, &c. de homine vero ſcientia tota eſt,quæ ad mores ſpectat,quà ſcilicet homo eſt ſociale animal, rationis ac regiminis capax, in eo præcipui ordines,ſeu tituli quinque. Primus patris & filii eſt, in quo de obedientia miranda magis, quam imitanda proponunt. II. Uxoris & mariti, ubi de differentia eorum, de connubiis, &c. III. Eſt regis & ſubditorum, ubi de fidelitate ac paterno regum ergà ſuos amore. IV. Eſt amicorum, ubi de amicitia. V. de fratribus, ubi de majoris amore, ac minoris obſequio. deinde docet ter mille minores ritus ſeu præcepta ad urbanitatem, bonos mores externos, modeſtiam,circumſpectionem & ſimilia, ſpectantia: prudentiam, pietatem, ac fortitudinem qua nos ipſos vincimus, multis ac egregie laudat, juſtitiam & virtutem illam,qua alios metimur ex nobis, ſeu nobiſcum conferimus,extollit, ac commendat, in eaque ſummum perfectionis ponit apicem. de futuris hæc ſecta minime eſt ſollicita, nec de iis diſputat,ea potiſſimum perſuaſa ratione,quod nec quæ ante oculos ſunt,eaque quæ coram videt, recte ordinare aut intelligere poſſit. virtutes omnes tum interiores tum exteriores ſedulo colendas docet,idque faciendum propter ipſum virtutis bonum, ſeu propter ſe, nullo alio ſpectato fine, fac, inquiunt, virtutem abſque eo quod aliud exſpectes præmium, ipſa ſibi virtus ſufficit, nihil hac in orbe pulchrius;aliaque præclariora in horum Philoſophorum libris ſunt, quibus ne antiqui quidem illi noſtri Philoſophi umquam ſomniarunt, aut paria aut meliora.

Idololatrica ſecta.

Secunda ſecta Idololatrica eſt, *Xekiao* vocant. peſtis hæc paulo poſt Chriſtum natum Sinas infecit. metempſychoſin admittit. duplex eſt, una interna, externa altera. hæc idola colit. animarum tranſmigrationem dari poſt mortem in peccatorum pœnam docet, ab omni, quod vixit, perpetuo abſtinet. ridicula lex & ab ipſis ſectatoribus ſacrificulis exploſa, neceſſaria tamen ab illis judicata,ad rudiorum à vitiis abſtractionem, & virtutum incitamentum. Interna metempſychoſis præclara,philoſophiæque moralis pars pulcherrima. ſpectat enim paſſionum ſeu pravarum animi affectionum omnimodam vacuitatem,atque victoriam. hæc dum obtineatur, hominum animos in bruta animantia, prout illorum affectibus fuere obnoxii, migrare perhibent, poſt mortem nihil præmii, nihil pœnæ agnoſcit niſi vacuum, nihil in hac vita veri eſſe vult, niſi prout à nobis apprehenditur, idemque malum ac bonum eſſe reſpectu diverſo. de his in epitome noſtra Hiſtoriarum Sinicarum ab orbe condito, agetur fuſius.

Epicurea ſecta.

Tertia fere Epicurea eſt. in voluptate felicitatem ponit. longam vitam, imo immortalem corpori per medicinas promittit, ac quærit. miras invenit artes ad comparandas augendaſque voluptates: poſt mortem nihil eſſe aſſerit, ſunt ex hac ſecta magi complures. omnium ſane turpiſſima ac nequiſſima eſt. faxit Deus, ut hæ ſectæ tandem melioribus noſtræ fidei, veræque ac Catholicæ religionis ſolidis principiis commutentur,veraque illis veri Dei ſuccedat cognitio. atque hujuſce rei ſpes non parva eſt, quippe Philoſophi Europæam doctrinam de moribus, quæ cum illis congruit, laudant, adeo ut nihil præter ſola ſupernaturalia principia illis deeſſe videatur.

Virtutes.

Virtutes omnes, earumque ſectatores naturaliter amant, tametſi ipſi vitiis non careant. cauti tamen ſunt, & ne pateant oculis,miris artibus celant, caſtitatem & continentiam mirantur, at nil minus ſervant. Prolem non ſuſcipere probro ducitur, & calamitati; continentiam à viduis exigunt. demortuo marito alteri nubere inter honeſtiores, inſuetum. Viduis continentibus arcus triumphales erigunt, inſcriptiones ad perpetuam memoriam apponunt. modeſtam gravemque in verbis ac factis demiſſionem ſuſpiciunt. eam præ ſe ferunt,quamvis ea non præditi. Cæteras nationes ſuperant longe parentum ac magiſtrorum obſervantia. eos non alere, iis non in omnibus obſequi, eorum nolle ſubire onera ac labores, aliquam iis præbere moleſtiæ cauſam capitale eſt. magiſtris licet diſcipulis dignitate longe inferioribus honoratior ceditur locus, dignior iis defertur compellatio titulorum, iiſdem in omnibus, in quibus diſcipulorum requirunt opem atque operam, non adeſſe, crimen creditur: nihil eis magis horrori eſt, quam dicta, facta, geſtuſve, quæ crudelitatem vel iracundiam redoleant, proinde interiorem iram ac odium celant omnino, ac diſſimulant, à nullo umquam armorum genere inſtructi per vias incedunt, quippe arma ac bella gerere hominibus indignum, & indecorum putant, quare milites viliſſimo habentur loco, ac pæne uti hoſtes contemptui ſunt.

Parentum ac magiſtrorum obſervantia.

Arma vili, ſtudia magno æſtimant.

Litteras

Litteras autem ac ſtudia quanti faciant, vel inde patet, quo nulli illitterato pateat ad rempublicam,aut regni gubernacula aditus. quo quiſque à litteris inſtructior eſt, eo opibus ac honoribus magis eminet. hinc tota pendet, oriturque nobilitas. Vix quiſpiam inter eos etiam ruſticorum eſt, qui non ad decimum & quintum ætatis annum in litteras incumbat. difficile ibi reperire eſt aliquem,qui ſcribere neſciat. cum tota itaque nobilitas in eo conſiſtat, & petatur à litteris, nullaque ratio natalium habeatur aut ſanguinis,præterquam in ſolis Regiis familiis, quo quiſque altiorem in Republica habet locum,eo majoribus titulis ac veneratione ab omnibus colitur, à quibus, aut unde aſcenderit, omnino neglecto.

Nubendi modus.

Conjugiorum etiam ratio noſtris omnino diſpar. dotem maritus ſponſæ dat. imo tenuiores ſponſam quodammodo à parentibus emunt. honeſtiores accepta pro elocatione filiæ munera,æquo aut majori ſæpe valore rependunt. inter contrahentes nullus aſpectus mutuus, nulla colloquia,publicive contractus, utrorumque parentes per procuratores ſuos matrimonium inſtituunt. & ita ad ſponſi domum ſponſa numquam alias viſa in ſella geſtatoria ablegatur,magna præcedente comitum caterva, accenſis vel in ipſa meridie lucernis. ibi famulus clavem ſellæ ſponſo defert, illi ſoli hanc aperire licet, ſponſamque quæcumque demum ſit, excipere. Maritis uxore defuncta aliam ſuperinducere imo & domi habere pellicem probro haud vertitur, adeo ibi iniqua fœminis ſors eſt.

Polygamia ibi uſitata.

Varia urbanitatis officia.

Ad faſtidium uſque apud Sinas prolixa ſunt, ac tantum non ſuperſtitioſa urbanitatis officia. locus honoratior inter concives ſemper ſeniori ceditur, inter hoſpites illi, qui ex loco venit remotiori. nos honoris titulos à familiæ dignitate aut muneris amplitudine,illi à ſola ſenectute deſumunt,quo ſeniorem quempiam vocas, eo dignior appellatio eſt, qua in re tamen ſuos habent gradus. Voces *ego, tu* &c. ſolis ſuperioribus in ſubditos, aut heris in ſervos uſurpare licet. cæterum à prima ætate pro gradu,quem quis habet, quicum loquitur, ſibi deſumit appellationem. in publicis congreſſibus Sinæ ad ſalutationes perofficioſi ſunt, in conviviis aſſidui, erga hoſpites quoſcunque humaniſſimi, ſumma in geſtu totoque habitu modeſtia & morum compoſitio, vix ut quidquam addi poſſe videatur, præcipue philoſophi ac magiſtratus reliquos Stoica quadam gravitate excedunt,in publicis plateis attollere vocem, garrire,huc illucve circumſpicere,vibrare in unam partem aut obvium oculos, vel leviuſcule diſcurrere perditorum hominum reputant. pejerantes, obſcænave loquentes audire rarum eſt. quivis bene indutus, compoſitis veſtibus opertoque capite prodit in publicum. honorem totius corporis profunda inclinatione, tectis junctiſque manibus, exhibent. ſin occurrant ſibi invicem, ambo ſtantes ex æquo verſus eandem partem ſimul ſeſe inclinant. dexterum latus hoſpes occupat. at inter deambulandum, ſiniſtrum, ne flabello, quo ſemper armati, ventulum cum incommodo ad faciem alterius faciat. cibos ſumendos digitis attrectare etiam vulgo inurbanum, duobus bacillis oblongis, ex ebeno vel ebore aut alia materia, ſcite in os convehunt, quamobrem cibi omnes, duriores præſertim in fruſtra conciſi menſæ apponuntur, egregio ſtructuræ lancium & mundiſſimo ordine, cui ubi nonnihil aſſueveris res grata, & percommoda eſt, tametſi ſub initium aliquando ſit moleſtior.

Veſtes.

Veſtes illis laxæ ſunt, & ad talos uſque demiſſæ. ab anteriore parte aperte, quas deinde prope dextrum humerum, & ſub brachio adſtringunt. manicæ amplæ. ratio tota modeſta ac gravis. crines quam longe excreſcunt nutriunt, pectineque emundant, & in capitis vertice in globum collectos adaptant, reticulo ex ſetis equinis contexto vinciunt, ſuper impoſito pileolo cylindrico, aut cubico, ex quo ſtatus ac conditionis cujuſque dignitas etiam eluceſcit. variant pro vario hominum genere. fœminarum tunicæ oblongæ pedes omnino contegunt, protenduntur que ab ipſo collo ad talos uſque, ut nihil omnino nudum præter ipſam faciem appareat. manus abdunt intra manicas, quæ, ut veſtes omnes,ex ſerico. E viri manu quidquam accipere ibi moris non eſt, ſcammo aut menſulæ imponitur, quod offers, inde veſte manum operiente ſumitur à fœminis.

Potus.

Potus ſemper calidus ſit oportet, ſive is ex aqua ſit, ſive ex vino,ex oryza cocto; in aqua bulliente *C'ha,* ibi herbam nominatiſſimam, macerant, & ita calidiſſimam hauriunt. plane ubi adſuevi, Sinas laudandos dixi, damnandoſque Europæos, ita frigido potu gaudentes. ibi enim calidam potitantes & ſitim exſtinguunt, & humores exſiccant, unde vix umquam expuunt, nec calculo aut ſtomachi cruditatibus, ut hic, laborant, longeque pauciores morbos, nec ita graves ſen-

sentiunt, calculum, podagram, chiragram & similia nesciunt.

Viæ publicæ eximiæ.

Omnibus merito admirationi sint viæ publicæ ad proficiscentium commoda, quantum humanitus fieri potest, exactæ. æquatæ primum, dein lapidibus stratæ sunt in omnibus fere Australioribus Provinciis, in quibus minor equorum & curruum usus. idque in altissimis etiam montibus, ubi datur transitus rescissis hinc inde rupibus, abruptisque ac solo æquatis montium cacuminibus, impletis vallibus magno per totam regionem itineris compendio. Ibi certis intervallis ad singulos nimirum lapides (qui 10 stadia Sinica continent) dispositi cursores, per quos brevissimo tempore diplomata, jussa regia ac præfectorum, celerrime perferuntur. Inde nihil ibi rarum aut admodum novum solet contingere, quin intra dies paucos toti regno innotescat. ad singulos octonos lapides (quod spatium unius diei iter est) erectæ domus regiæ publicæ (*Cung quon*, & *Teli* vocant) ad quas præfecti ac magistratus divertunt, regioque sumptu excipiuntur tabella præmissa, qua de illorum adventu, dignitateque reddantur certiores, perscriptis dierum, quibus ad quælibet loca venturi sint, numeris. Ubi adest è præfectis quispiam, omnia in promptu sunt, non cibi tantum, sed equi, sellæ gestatoriæ, bajuli, navesque, si opus fuerit: omnia enim quæ desiderat in tabella *Pái* à Sinis dicta præscribit. fluminum etiam ripæ non secus ac viæ regiæ adornatæ sunt, arbore nulla impedimentove alio, nisi ad quinque cubitorum ab aquis distantiam, relicto, necubi remulco protrahentes naves, illis retardentur. quin & littora multis in locis quadratis ab imo jactis lapidibus erecta sunt, interpositis, sicubi postulat necessitas, lapideis plurium arcuum pontibus, ut quoad hæc non tantum cum Romana magnitudine, sed quarumvis etiam aliarum gentium Sinæ jure merito videantur posse contendere.

Naves sumptuosæ ac mirandæ.

Qui hæc quæ mox dicam oculis non subjecerint, difficile credo fore, ut fidem iis adhibeant, nihil enim quod ad hæc accedat reperire est in Europa nostra. Eæ regiæ præfectorum naves sunt ad instar præaltæ domus è materia assurgentes. ad latera varia dividuntur in cubicula, medium occupat spatium aula utcumque capax, in qua dispositæ mensæ, sedilia affabre facta, fenestræ ac januæ ex lignis reticulato opere, variisque mæandris ac celatura elaboratæ: pro specularibus vitris ostreorum tenuissimæ membranæ aut lamellæ, sericive panni subtilissimi pellucente cera illiti adhibentur, qui optime ventum omnem arcent, variis florum, arborum aliarumque rerum figuris ornati, ambiunt navim ad fores podia & cancelli, per quos nautæ absque navigantium incommodo libere discursant. navis tota glutine seu sandaracha illita miro lævore, ac varia colorum amænitate, arridet. depictis intus, aureis coloribus, avibus, urbibus, volucribusque, res tota visu dignissima & commodissima usui. Longitudo navium nostris triremibus par est, suppares sunt altitudo ac latitudo: ad ingressum per octo fere cubitorum scalam ascenditur, in prora castelli habet formam, quod tibicines ac tympanistæ occupant, musica continenti aures demulcentes; ea ubi auditur à navibus cæteris, loco cedere solitæ, si alterius præfecti navis occurrerit, pro officii dignitate invicem deferunt. nullæ ibi rixæ, nullæ contestationes, aut lites, certis regulis ac statutis definita sunt omnia. eam ob rem ad proram aureis ac cubitalibus litteris cujusque navigantis præfecti dignitas exarata, versicoloribus ad latera è serico fluitantibus vexillis, dum cessant ventorum flatus, adsunt destinati qui remulco trahant, aut remis moles tota impellitur, motis ad modum caudæ piscium, methodo facili & compendiosa, Sinicique ingenii non exiguo argumento. quippe sine ulla aquæ percussione, extractioneve remi, vel remo unico propellitur & dirigitur navis, adeoque unus hic sex aut octo nostratibus nautis æquivalet.

Privatorum domus humiles.

Intra mænia privatorum domus haud admodum operosæ. commodorum illi magis quam splendoris aut ornatus curam gerunt. domus divitum splendidæ ac diffusæ. reliquas superant, ædes præfectorum, quas vere palatia possis dicere. in quaque metropoli 15 aut 20 aut sæpe plures sunt, in urbibus reliquis ut minimum octo. in minoribus civitatibus quatuor, forma omnes similes, nisi quod unæ aliis majores sint pro majori præfecti dignitate. Regio ea sumptu exstructa sunt ad præfectorum vel militarium, vel togatorum habitationem. nec modo palatia hæc navesque suis suppeditat Rex Sinarum, sed & omnem necessariam suppellectilem, & victum, & famulos, imo, quod notatu dignum est, cum præfectus discedit, vel in aliam Provinciam, vel officio defunctus (quod subinde intra medium annum contingit) licet sine nota suppellectilem seu mobilia, ut vocant vulgo, omnia auferre, quæ pro novo præfecto nova omnia apparantur.

Majora

Præfectorum palatia.

Majora palatia quatuor aut quinque habent atria cum totidem domibus in fronte atriorum: in frontispicio cujusque portæ tres, maxima media est. utrumque portarum latus marmorei leones armant. ad portam maximam area ingens cancellis rubro illo Sinensi glutine splendentibus septa. in ea geminæ turriculæ cum instrumentis musicis ac tympanis, quæ ad exitum, ingressumve præfecti, aut cum prodit in tribunal, pulsantur. intra portam capax atrium lites habentium, aut quidpiam poscentium statio. à latere utrimque cellæ sunt, seu exiles domunculæ, quas curiales infimi subsellii incolunt. adsunt binæ aulæ hospitibus honoratioribus, præfectum visendi causa adeuntibus, excipiendis. in his sedes, & reliqua ad hospitum exceptionem destinata, dexterum in iis latus togatis, sinistrum militaribus tribuitur. superata hac aula aliæ tres portæ apparent, quæ non nisi cum Præfectus pro tribunali sedet aperiri solent. media ingentis est magnitudinis. eam subire solis nobilioribus & magnatibus licet, reliquis per eas, quæ ad latera sunt, datur transitus. tum magna rursum sequitur area, ad cujus terminos capacissima aula est ingentibus suffulta columnis, *Tan'g* dicitur, in ea jus dicit præfectus, utrimque tabelliones, curiales, ministri publici suas habent ædiculas, nec cum præfectis migrant, sed stabiles sunt, publico omnes stipendio aluntur, & ab uno ad alium dominum transeunt, loco minime mutato. post hæc sequitur aula interior, priori insignior nomine *Su tan'g*, hoc est secreta. in hac soli amicissimi ad colloquium & salutationes admittuntur. circum hanc famuli domestici, ac præfectorum proprii degunt. post hanc porta maxima est & domus præfecti uxorum ac liberorum, omnia intus ornatissima & percommoda sunt, hic nemora, horti, lacus, aliaque quæ aut ad amænitatem, aut voluptatem pertinent.

Regimen publicum.

Aliqua hic adjicienda forent de publico regimine ac forma Imperii, sed aut alii hæc satis descripsere ante me, aut ego fere omnia inserui ex occasione meæ Sinicæ Historiæ epitomæ. addam tamen ad appetitum provocandum nonnulla, ne quod ego maxime admiratus sum primo, quis desse queratur. Rex ipse vitæ ac bonorum omnium absolutissimus est dominus, ipse unus omnium omnino caput, adeoque regnum Sinicum jure absolutissimum Monarchicum dicendum. Quod à parente in filios, vel ubi hi desunt, ad propinquos regios derivatur; ex filiis natu major Imperium regendum assumit, reliqui omnes nomine, titulo, veneratioueque Regis sunt, sed non auctoritate, certa unicuique assignatur urbs, palatio, splendore, famulitio, ac stipendiis vere regiis concessis, sed nullo in Cives jure; imo concessos reditus à præfectis Regiis singulis tribus mensibus accipiunt, ne simul tantum congregare possint, quo turbas excitent; ex urbe assignata exire capitale est; totum Imperium sic ab uno Imperatore regitur, ut nulli quid liceat, illo non consulto; præfecti per totum Imperium ab eo constituuntur. Tribunalia curialia in Regia sunt sex: primum Magistratuum est, *Lyp'u* dicitur: secundum quæsturæ, seu redituum, *Hup'u*: tertium rituum, *Lyp'u*: quartum militare, *Pingp'u*: quintum ædificiorum publicorum, *Cungp'u*: sextum criminum, *Hingp'u*. ab his totius Imperii non negotia, sed consilia pendent, nam à Provinciarum præfectis per supplices libellos admonetur, ac rogatur Imperator, qui negotiis consideratis, juxta rei qualitatem tribunali debito examinanda mittit; Assessores habitis maturis consiliis, sententiam suam scripto Imperatori offerunt, quam vel mutat, vel confirmat pro libitu; ad quod melius peragendum summos aliquot totius Regni Philosophos eligit adjutores, *Colao* vocat, vel *Çaisiang*, hoc est Gubernatores auxiliares, hi primo post Regem loco sunt, illique cum de negotiis agitur assistunt, ac consiliis adjuvant; à reliquis præfectis vix conspicitur. Illud præterea in hoc regimine rarum, quod licet Imperator palatio numquam, aut vix umquam exeat, tamen totius Regni statum, ac omnium præfectorum probe novit, propterea annis singulis ad singulas Provincias, visitatorem mittit, ampla supra omnes præfectos auctoritate munitum, tamquam legatum suum; hic Provinciam suam visitat, & præfectorum omnium virtutes, ac vitia accurate examinat, ut in Regiam reversus, de singulis Imperatorem scripto datis informationibus edoceat: plane Sinica respublica bene constituti Religiosi ordinis regimen imitatur, nec mirum, cum in eo perficiendo à tot millibus annorum Sinici philosophi insudarint, nulli alteri rei fere magis studentes: verè hoc Regnum felix vocaret ille qui optabat rempublicam, in qua vel Rex philosopharetur, vel Philosophus imperaret.

Qualiter Imperatorem vocent.

Sinicus Imperator à suis *Tie'ncu* dicitur, hoc est cœli filius, licet autem apud hanc gentem idem sæpe sit Cœlum, Deus, ac supremum

mum numen, non tamen à Cœlo genitum Imperatorem suum credunt, sed ejus filium vocant, quia præ reliquis mortalibus charus, dignitate inter mortales summa, ut putant à Cœlo donatus sit. Vocant etiam vulgo *Hoangti*, hoc est *Luteum* Imperatorem, seu Terræ, quam lutei coloris dicunt, ac ita à *Xangti* supremo nimirum, seu Cœlesti Imperatore distinguunt. Primus qui *Hoangti* nomen habuit regnavit ante Christum Deum natum annis MMDCXCVII, ob cujus egregias virtutes, cum nomen etiam arrideret, omnes postea *Hoangti* vocati sunt Imperatores, ut apud nos à Cæsare Cæsares.

Reditus Imperatoris.

Nemo vel pedem terræ possidet, ex quo tributum Regi non pendat, unde nil mirum tantos illum habere reditus annuos, ut præter expensas publicas regulorum, præfectorum ac militum, tamen ultra LX milliones scutatorum quotannis in regiam deferantur, adeo ut summa omnium ad CL scutatorum milliones facile pertingat: ex iis tamen nihil regi pro lubitu insumere licet, at in ærarium publicum omnia congeruntur. cum opus, à præfectis ærarii scripto petit Rex, & numquam non, quod petit, obtinet. Præfecti licet à Regis nutu omnes pendeant, atque ordinem inter se pro dignitate servent, suam tamen quisque absolute administrat Provinciam, nisi à majoribus præfectis aliud illis fuerit injunctum: tot hoc in imperio publica sunt munera tantaque præfectorum copia, ut difficulter percipi is ordo possit. Ea de causa quolibet trimestri liber prodit, in quo illorum nomina, patria, officium, gradus: quæ res plane hic necessaria, & percommoda iis, qui amicos officii causa Sinico more adire, aut per litteras indeptam dignitatem illis gratulari desiderant. fuit, cum undecim præfectorum numerarentur millia, cum tamen omnes minoris notæ, albo inscripti non sint. commune præfectorum nomen Sinicum *Quon fû* est, Exteri Mandarinos dicunt, fors ex eo, quod mandent cæteris. qui plura de his cupit, nostram consulat Epitomen, Sacram expeditionem R. P. *Nicolai Trigautii*, aut R. P. *Alvari Semedo* relationem de Sinis; aliorum de his scripta non ita probo, quod plurimi audita tantum, & ex aliorum sæpe relatione referant, quæ & mendis & subinde mendaciis haud carent.

Qui bene de Sinis scripserint.

Vrbes apud Sinas omnes fere similes.

In urbium descriptione non ero longior, pleræque enim similes sunt, sola magnitudine vel emporii frequentia se superant. figura ut plurimum sunt quadratæ. mœnia lata, altaque coctili laterculo vel secto lapide structa, aggesto aggere terreo firmata. circum fossa ingens, debitisque intervallis prominentes turres altiores quadratæ non absimiles antiquis illis, quæ adhuc exstant, Romanorum muris. quælibet porta duplex duplices habet valvas. inter eas area interjacet militum exercitationi dicata. primas valvas seu portam ingresso altera non apparet, quippe è latere, non ex adverso sita. prima duplici armata muro figuram facierum nostrorum propugnaculorum repræsentat. Supra ipsas portas præcelsæ atque insignes turres (*Muen Leu* Sinæ vocitant) ad militum stationem, armorumque custodiam veluti totidem armamentaria, insigne omnino opus, si tam insignes nactum esset propugnatores. Extra portas diffusa late longeque suburbia. in iis sæpe vix minor habitantium numerus quam in ipsa urbe. Singulæ urbes, & fere omnes civitates paululum remotam à mœnibus loco amœniori, magisque frequenti unam ut minimum habent turrim in his, quas antiqua gentis superstitio sortis prosperæ aut adversæ omen illis finxit portendere. Novizoniæ aut saltem Septizoniæ sunt, admiranda prorsus structura & altitudine. unam alteramve infra describam, ex quibus quæ qualesque sint reliquæ, facile erit conjicere.

Forma ac mœnia.

Turres præclaræ.

Turris Horaria.

Ab his non multum abit publicum illud opus, quod *Culeu* vocant, nos turrim horariam dicimus. ad hanc sæpe præfecti convivia celebraturi conveniunt. in ea aquea clepsydra horas docet: siquidem ex uno vase in aliud aqua effluens tabellam, in qua horarum ac temporum notæ, sursum attollit; est qui eam ibidem observet, & ad horas singulas ingentis tympani pulsu signum det, simulque extra turrim tabellam cum diei hora cubitali charactere exaratam exponat. Viderint hic antiquarii an quidpiam hæc conferre possint ad clepsydras antiquas melius percipiendas, aut illustrandas. Hic idem ignis curam gerit, cumque urbem ex alto totam prospiciat, sicubi is forte inopinato domum corripuerit, tympano pulsato ad extinctionem omnes convocat. pœna capitis statuta ei, cujus incuria domus conflagrarit, ob domuum passim lignearum ex vicinia periculum.

Templa.

Non procul à turribus ferè splendidum semper sumptuosumque idolorum fanum est: adhæc templum plerunq; magnificum Urbis custodi sacrum: quamvis autem modo idola in eo sacrilege colant, fuit, cum

non

non nisi in eo genium tutelarem, seu spiritum agnoscerent. Hic præfecti omnes, cum primum magistratum adeunt, sacramentum dicunt, fideles se fore pollicentur, justitiæ habituros rationem, ipso spiritu in testem, ac scelerum vindicem vocato.

Arcus triumphales multi & præclari.

Non exiguum urbibus ac civitatibus decus conciliant arcus illi triumphales, quorum multi pluribus locis, uti & turres, ex secto lapide, marmoreve sunt, celatura opereque prorsus eximio, seu magnificentiam, seu artificium spectes. illi non secus atque olim apud Romanos, bene meritis de civitate, aut Republica statuuntur. subinde & civibus magnam doctoris dignitatem indeptis, de quibus suo loco fusius.

Gymnasium Cungfutii.

Illud præterea plurimis urbibus civitatibusque commune est, ut Gymnasium obtineant numquam satis apud Sinas laudati *Cungfutii*, idque splendidum omnino ac magnificum, tantoque auctore dignum: statuam nullam aut idolum continet. clausum reliquis, solis studiosis, idque certis tantum diebus patet, ibi ejus libros ac doctrinam explicant præfecti, inaugurandi, suos accipiunt gradus, multaque agunt, ad gratam animi de accepta ab illo doctrina, significationem testandam, quæ quibusdam, rem non æquo aut purgato satis intuentibus oculo superstitiosa videntur. Atque hæc sunt omnibus civitatibus vulgo communia, quare nec in singulis describendis, cum similes sint, adlaborabo, si quid rarius in iis occurrerit, id haud gravate in eruditorum curiosorumve harum rerum gratiam adnotabo.

Mira in figuris montium Sinarum superstitio.

Post Urbium descriptiones montes haud procul ab eis dissitos enumero. in his notandis deligendisque non minus curiosi quam superstitiosi sunt Sinæ, in illis consistere suam felicitatem, ac fortunam omnem rati, idque ob draconis, quem felicitatis putant principem, in illis habitationem. unde pro sepulchris struendis montis figuras diligenter examinant, venas omnes ac viscera rimantur, sumptibus nullis aut laboribus parcunt, ut felicem scilicet terram obtineant, caput puta, vel caudam, vel cor draconis: nam inde pro sepulti posteris felicia omnia & ex voto fluxura existimant. multi hujus artis periti per totam hanc extremam Asiam vagantur, qui montium figuras, venasque observant, non aliter atque Astrologi siderum conjunctiones & aspectus, & Chiromantici manuum, ac Physiognomi (cui studio admodum dediti Sinæ) totius corporis habitum & lineamenta. mira superstitio, in qua tamen ad insaniam usque delirant. inventum id credo fuisse Philosophi cujusdam, ut ita vivorum in demortuos augeret pietatem, & obsequium. montes autem Sinenses plerumque à magnis pagis occupantur, pulcherrimis sepulchris, saltibus ac lucis amœni sunt: utque industria Sinarum nihil incultum squallere sinit, in planitiem & æquor orizæ inibi serendæ montes deducunt, de quo alibi alias. adhæc ubi arrident nemora ac sylvæ amœnique prospectus, in iis collocantur idolorum fana magnitudine & splendore præcipua: illic sacrificulorum adsunt monasteria, quæ paulo post suo loco describentur. In densioribus vepretis inculta adhuc gens, necdumque ipsis Sinis subjecta degit.

Montes omnes culti.

Flumina.

A montibus ad flumina majora, aquasque descendo, cum enim mapparum spatium exile vix omnium illorum nominum capax sit, ut nihil omnino desit, scriptis saltem montes & flumina nobiliora tradere volui. ut enim omnia ad unguem exprimerentur in mappis, pro qualibet urbe mappa particularis sculpenda foret, quod ingentis esset operis, laboris, maximorumque sumptuum, cum quævis urbs cum subditis illi civitatibus atque oppidis ad instar non exiguæ Provinciæ constituat. in montibus & aquis, si quæ notatu digna, quæ vel ipse animadverti, vel ex Sinensibus Cosmographicis libris hausi, non omisi. Distinctionem facio inter flumina, fluvios, amnes, ac torrentes, flumina voco quæ lapsu magis placido manant, fluvios qui fluunt velocius, amnes autem hic minores sunt fluvii vel flumina, torrentes qui è pluviis ac liquatis nivibus orti præcipites per valla ac loca asperiora descendunt, navigabiles tamen ut plurimum sunt vel minorum patientes navium, vel ratibus ex arundinum fascibus compactis. priusquam manum tollo de tabula, duo hic mihi nobilissimi hujus extremæ Asiæ fluvii describendi sunt, qui tum ob longissimos, quos permeant, terrarum tractus, tum ob ingentem aquarum vim ac molem hunc sibi locum potissimum postulant.

Distinctio inter flumina.

Descriptio fluminis Yangçu Kiang.

Primum locum haud immerito sibi vindicat flumen, quod *Yangçu Kiang*, vel per antonomasiam *Kiang* Sinæ vocant, ac si maris filium diceres. Hoc Sinam totam in Australem ac Borealem dividit, ab occasu fluit versus ortum, varia habet nomina pro varia, quam præterfluit, regione. primum *Minkiang* dicitur à montibus *Min*, à quibus ortum ducit, qui qua Provincia *Suchuen*

maxime vergit ad occidentem, in *Sifan* sive Preti *Joan* regionem quam longissime excurrunt, ad Boream radices habent haud ita procul à Metropoli *Guei*, inde egressum flumen magno aquarum impetu Metropolim ipsam alluit, factoque undarum divortio in varios sese extendit ramos (ut ita dicam) magnamque regionis partem in insulæ modum coactam gyro suo complectitur. Ad *Sincin* civitatem mutato nomine *Takiang* dicitur. inde collectis plurimis ignobilioribus rivis ad *Sui* civitatem in *Mahu* fluvium influit. Hinc illi ad *Liu cheu* civitatem *Liukiang* nomen est. inde ad *Chung King* urbem tendit, & magnum *Pa* fluvium cum ejus nomine excipit. tum superata *Quei cheu* urbe *Huquang* Provinciam ingressum *Takiang* nomen recuperat, haud ita procul ab urbe *King cheu*. Huc usque per vallium anfractus multis vorticibus, ingentique aquarum impetu, per famosos sæpe scopulos, ac horrenda præcipitia prorumpit, quæ tamen sua freti arte, ac industria feliciter vitant, & enavigant Sinæ. Ex *King cheu* paulatim fit placidius, ubi *Tung ting*, lacum versus Boream pertransit, eo ac metropoli adjacente superata *Kiangsi* Provinciam adit, ibidemque ex lacu *Pengsi* sive *Poyang* immensum quantum auctus *Yangçu Kiang* nomen obtinet, à *Kieukiang* urbe ad mare usque *Eoum* per 100 eoque amplius leucas ita placidum, pacatumque flumen est, ut expansis ubique velis recto & obliquo cursu secari à navibus possit: dictu mirum! per tantam terrarum longitudinem in Noviluniis ac Pleniluniis præsertim, huc usque maris æstum sentiri & pertingere, piscesque maritimos adversas undas ascendere; hic ad duarum leucarum plerumque latitudinem sese diffundit, totamque *Nanking* Provinciam fœcundat ac rigat. donec pertransita *Kiangning*, alias *Nanking*, urbe, & *Chinkiang* ingenti sibi adaperto ostio, in ipsum Oceanum se exoneret. in ipsis faucibus insulam tenet atque urbem à militum naviumque præsidio egregie instructam. Urbes ac civitates plurimas illius ripis ab utroque latere impositas dabunt Mappæ nostræ, quæ sequuntur.

Croceus fluvius miri coloris.

Secundum sibi locum postulat fluvius *Hoang* nomine; *Croceum* aut luteum dico, id enim Sinice sonat, à colore, quo imbutus, illi nomen inditum, cum primum vidi, paludem putavi, at aquarum impetus, ac vis ingens brevi aliud ostendit, quippe incredibili velocitate proruens naves adverso flumine subire non patitur, nisi magna hominum multitudo & in duplum, quam alibi soleat, major remulco trahentium numerus aquarum depressionem, pertinaciamque evincat. dimidii miliaris latitudinem modo æquat, modo exsuperat. Longitudo tanta ut ad octingenta & amplius milliaria pertingat. in hæc fere verba à Sinis describitur. Ortus *Hoang* fluvii est inter Australes montes *Quenlun*, quos incolæ *Otunlâo* vocitant. Aquæ pluribus quam centum fontibus scaturientes ad superficiem lacus, quem efformant, ebulliunt. *Sing cieu* mare dicitur. octoginta stadia quadrata occupat, ex eo aqua canali deducta alterum lacum efficit antecedenti paulo minorem; Inde fluit *Hoang* Boream versus nonnihil in ortum deflectens. mox *Xensi* Provinciam alluit, rectàque ad ortum pergit. tum deinde versus Boream arenosos campos seu desertam solitudinem præterlabitur, atque hinc versus Austrum Sinam subit, & per *Xantung* in mare prorumpit. Hæc fere Sinicus auctor. Est igitur hic fluvius hujus extremæ Asiæ magnitudine & celebritate nominis secundus, at nihilo propterea magis Sinicas leges veritus ab exteris nationibus egressus Sinam ingreditur, ac veluti odium, quo Sinæ advenas persequuntur, prohibentque, ultus, eluvionibus sæpe circumjacentes regiones latè fœdat, mutato sæpenumero alveo, dum limo, quem copiosum vehit, plenus, illum, illiusque vehiculum exonerat. Montes *Quenlun*, quibus ortum debet, omnino Amasæos esse existimo, eosque haud ita procul dissitos ab altera magni Mogoris Regia, quam *Laor* vocant, aut à regno *Tebet*, imo iisdem in montibus scaturire *Gangem Bengalæ*, *Meson Laorum*, *Historemque Cambogiæ*, aliosque non ignobiles fluvios, qui *Sion* & *Pegu* regiones irrigant, ipse locorum regionumque situs suadet. plurima enim maximaque flumina, quæ Austrum versus manant, inde suam petere originem, demonstrant Sinæ. *Croceus* porro *Sifan* & *Tanyu* immensos terrarum tractus Sinis minime subjectos prætergressus ad illorum appellit ditionem, ubi *Lingao* urbs est haud procul à civitate *King* Provinciæ *Xensi*, qua murus ille magnus spectat ad orientem, quem non tam præterlabitur, quam alluit, raditque. mox desertam illam solitudinem, qua in ortum, qua Boream versus tamquam hostiles campos celerrimo cursu prætervectus ad bis mille plus minus stadiorum longitudinem, ad Austrum vertit iter, & per

Crocei iter.

Se

Se muri magni portam illapsus limites statuit inter *Xensi* & *Xansi* Provincias. inde *Hoan* adit, tum *Xantung*, perque *Kiagnan* Provinciam magnam itineris partem conficit, donec ad *Hoaigan* urbem, in mare turbidus adhuc, & violentus sese immergat. olim *Peking* & *Xantung* percurrere solitus. at Sinarum industria & labor alveum illius procul avertit, quod regiones illas in longissimam latissimamque fusas planiciem, sua exoneratione, exundationeque prorsus elueret, rivum tamen reliquere Sinæ, qui antiquam *Crocei* semitam adhuc commonstret. Aqua tota limo obsita luteum habet colorem, quam ne mille quidem annorum spatio limpidam evadere posse volunt Sinæ, unde apud eos diverbio locus: quando *Croceus* clarescet, de re admodum difficili, aut quæ prorsus fieri nequit. hanc aquam ad usum limpidam faciunt navigantes injecto alumine. illo enim infecta limum suum præcipitat ad fundum vasis: vasis pars quarta limo subtili adeo constat, ut omnem sensum tactus fugiat, reliqua magna flumina suæ cuique Provinciæ propria habes ad Mappas. ubi & quæ notatu digna in urbibus singulis. ibidem lacus, stagna, fontes, æstuaria reperies, ut ita tandem universalis omnium rerum hujus extremæ Asiæ ad Europæos cognitio perveniat.

Murus Sinarum.

Exciderat, mihi tumultuarie hæc in chartas conjicienti, magnus ille totque scriptorum monumentis inclytus, & ætatis nostræ ac superioris maxima exceptus admiratione, æternaque dignus memoria magnus inquam ille Sinarum murus: cujus celebris quidem, sed adhuc admodum obscura, uti video, apud Europæos fama est; is non unam, sed quatuor omnino Provincias ambitu suo cingit, quamquam mihi quidem de nimia ejus hactenus existimata longitudine semper aliquid demendum visum est. nec enim, quod trecentas Germanicas leucas superet invenio, ex quibus 15 uni gradui pares: tota enim illius longitudo à Sinu maris, in quem *Yalo* fluvius ex Tartaria Orientali influit, ad usque *Kin* civitatis montes prope ripas *Crocei* fluvii, non excedit gradus viginti, licet illud, quod deesse ob parallelorum coarctationem videtur, abunde sua inflexione & curvitate compenset: nusquam interrupta illius continua series, præterquam ad Boreales partes Urbis *Siuen* Provinciæ *Peking*, ubi exiguum spatium tenent horridi & inaccessi montes, qui firmissimum murum nectunt, & ubi *Croceum* fluvium ad se fauces admittit, reliqua flumina minora, ab exteris subingredientia regionibus arcubus hinc inde, fornicibusque superstructis ad instar pontis, admittit. cætera totus sibi constans, ac fere uniformis non per planiciem modo, quæ in his partibus rarior est, nec per montium crepidines tantum, sed & qua ipsos montes transcendit: certis intervallis altiores habet turres, portas etiam quasdam, ad exeundum, ubi necessitas postulat, & illis vicina castella munitissima, tum ad muri custodiam, tum ad militum habitationem apte disposita, ut in mappis videre est: habuit enim, aluitque ad ejus custodiam qua longe ab Ortu in Occasum patet, Imperator Sinicus haud minus quam millionem, ut vocant, militum, seu decies centena millia. muri altitudo triginta Sinensium cubitorum est; latitudo duodecim & sæpius quindecim. Sinæ quidem *Vanli Ching* vulgo dicunt, hoc est decem millium stadiorum mænia, quo numero non veram, sed ingentem, ac prodigiosam muri longitudinem denotant: cum enim ducenta, & quinquaginta Sinica stadia gradum unum Æquatoris constituant, extenderetur illius longitudo ad gradus omnino quadraginta, qui longius spatium occupant, quam tota hæc extrema Asia in longitudinem excurrat.

Ejus longitudo.

Muri auctor.

Inchoavit hoc opus *Xius* Imperator Cinæ Imperialis familiæ auctor, qui Sinicos Imperatores omnes & operum magnitudine, & rerum gestarum ac bellica gloria, vel æquavit, vel superavit. hic postquam totam jam Sinam devicta *Cheva* familia suo subjecisset imperio, ex regulo factus Imperator Tartaros ipsos multis magnisque cladibus afflixit: ut autem futuras eorum in posterum in ipsam Sinam irruptiones, reprimeret, planeque impediret, murum hunc magnum exstruxit, quo tamquam continuis mænibus arceantur Tartari. aggressus est opus anno secundo sui Imperii supra vigesimum, qui fuit ante Christum natum ducentesimus decimus quintus. quinque annis totam absolvit fabricam incredibili hominum adlaborantium multitudine: nam ex denis tres viros adesse per totam Sinam delectu habito voluit. Variis in partibus regni exstructio cæpta, & quinquennii spatio incredibili velocitate absoluta, tanta operis firmitate ac soliditate ex meris scilicet silicibus, lapidibusque, ut sicubi clavus infigi posset per lapidum commissuras, morte luerent qui partem illam fabricassent. ad Sinum maris, in quo illius initium per aliquot stadia aquas subit,

Murus, quo anno sit conditus.

ſubit, ſcribunt Sinæ ad hæc ſub aquis jacienda fundamenta, quamplurimas naves non lapidibus, ſed crudi ferri maſſis plenas fuiſſe demerſas. his innixus fundamentis aſſurgit occaſum verſus, & *Leäotung* regionem: mox excurrit ad *Peking*: inde *Xanſi* & *Xenſi* Provincias munit non recta ſemper progrediens, ſed quandoque deflectens juxta varium locorum ſitum. opus ſane magnificum, ac ingens & omni dignum admiratione, adhæc uſque tempora fere ſine labe, aut noxa, contra tot injurias temporum perſiſtens. Supereſt modo tantum, ut addam nonnulla quæ ad faciliorem, eorum quæ ſequuntur, perceptionem facere multum videntur.

Chronologia Sinica.

Primum eorum eſt breviſſimum totius Sinicæ Chronologiæ compendium, ut conſtet quo anno fuerint Imperatorum, qui nominabuntur, familiæ. Sciendum itaque extremam hanc Aſiam primum ſeptem habuiſſe Imperatores, quorum ab electione per ſuffragia dependerit ſucceſſio, ab anno nimirum ante Chriſtum natum MMDCCC XLVII, uſque ad MM CC VII: ante quæ tempora nihil ſe veri habuiſſe in ſuis hiſtoriis fatentur Sinæ, dein hæreditaria fuit ſucceſſio. *Yvus* à ſuis electus Imperator ultimus primam fundavit familiam *Hiaa* dictam, quæ incepit anno MMCCVII, duravitque ad MDCC LXVI, quo anno extincta *Hiaa* familia, *Xanga* ſubiit. Tertia fuit *Cheva*, quæ ſuperiori devicta, deletaque, cœpit anno MC XXII, diutiſſimeque regnavit ad annos ſcilicet ante Chriſtum natum CC XLVI. quo anno *C'ina* familia exordium ſumpſit, ſtetitque tantum uſque ad CC VI, quam ſubſecuta eſt familia *Hana*, cujus Succeſſores regnarunt ad an. CC LXIV poſt Chriſti nativitatem. Exinde *Cyna* ad annum uſque CCCC XIX, quo quinque ſimul fuere Reges, qui ſibi mutuo intulere bellum *Uta'i* dicti, donec aliis omnibus extinctis ſola *Tanga* familia totius hujus extremæ Aſiæ gubernacula arripuit, tenuitque anno Domini DC XVIII: at non ita paulo poſt ſciſſo rurſum & abeunte in varias factiones imperio, *Heutai* diſſenſionis rebellioniſque capita vocitarunt. Demum anno DCCCC XXIII *Sunga* familia toti Sinarum imperio jura dedit, quod obtinuit ad annum uſque M CC LXXVIII, quo anno florens tum vigenſque hæc familia ſubacta à Tartaris magna regni parte, penitus interiit, adeo & iſthic:

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo,
Solaque ſors conſtans in levitate ſua eſt.

Sub hæc tempora, hoc eſt ſub hujus familiæ exitum ac finem, Sinarum regionem Marcus Paulus Venetus, cum pluribus nonnullis paulo ante vel poſt eum ſecutis ingreſſus eſt cum Tartaris, qui *Juenam* familiam inſtituerunt, quæ rexit Imperium uſque ad M CCC LXVIII: quo anno Tartaris expulſis *Ta'iminga* familia ſurrexit, quæ modo, nobis tragœdiam ſpectantibus, iterum à Tartaris pene extincta eſt, qui *Ta'icingam*, familiam ſuam vocare cæperunt M DC XLIV.

Sinica menſura qualis.

Secundo loco Sinica menſura ſcienda. Supra attigi, Sinam totam à ſuis quadratam dici, & pingi, & vere parum aberrant, olim quia vix extra Sinam alias eſſe ſciebant, vel putabant terras, ideo maxime terram quadratam, & Cœlum rotundum affirmabant; hinc etiam eſt quod omnis Sinica menſura per quadrata fiat, ſic olim antiquiſſimis temporibus totam terram Sinicam in minutiſſima quadrata partiti ſunt ad tributum regium facilius colligendum, unum enim ex novem pro Rege Agricolæ ſeminabant ac colebant: menſura autem ac menſurandi modi parum differunt à Strabonis, Melæ, Plinii & Solini, nos iter noſtrum dividimus per paſſus, milliaria, illi per *Pú*: *Chang*: *Li*: *P'u*: *Ç'an*, quæ explico.

Integrum Che ſive cubitus Sinicus in decem uncias diviſus.

Menſuræ variæ.

Sit ergo minima menſura *Ly*, quorum decem unum *Fuen* conſtituunt, decem *Fuen* unum *Çun*, horum decem unum *Ch'e*, decem *Ch'e* unam *Ch'am*, ſex autem *Ch'e* unum *Púú*: CCCLX *Púú* unum *Li*, decem *Li* unum *Pu*, & octo *Pu* ſive LXXX *Li* unum *C'an*, quæ Sinica nomina ita ferè noſtris reſpondent, ut deinceps Latinis nominibus utamur.

Ç'an eſt inter diurnum, quantum nimirum diebus ſingulis Sinæ ambulando conficiunt.

P'u lapidem, cippum, ſeu poſtam vocabimus, nam per totam hanc Extremam Aſiam in ſingulis *Pu* arcum erigunt (ſicuti olim Romani cippos ad ſingula milliaria) in quibus locorum diſtantiam inſcribunt ac notant.

Li

Li vero ſtadium vocabo quamvis duo noſtra ſtadia plus minus complectatur: *Che* cubitum dicam. *Pu'u* vero paſſum, nam ita Sinice ſignificat, *Ch'am* perticam vocabo, decem conſtat cubitis, ſive uno paſſu & quatuor cubitis, reliquæ menſuræ in hoc opere non ſunt neceſſariæ.

Gradus unus quantus.

Quia vero uni gradui Æquatoris certa menſura invenio dandos Sinicos paſſus 90000: & ſtadium Sinicum eſt 360: infero uni gradui danda ſtadia 250, ita ut 25 ſtadia conficiant ſex Italica milliaria, nam Italicum milliare continet 4 ſtadia cum $\frac{1}{6}$, quia vero paſſus continet ſex cubitos, habebit gradus cubitos 540000: ſtadium vero cubitis 2160 æquale erit, ſive perticis 216.

Hic itinerarium vides Sinicum prout ab ipſis Sinis deſcriptum eſt ſuis ſtadiis, non quidem minutiſſimum illud, quod hæc gens habet de loco ad locum, ſed ſolum de Metropoli ad Metropolim, quæ diſtantia ex ſequenti tabella in communi datorum locorum angulo patebit.

	Peking.	Kiangning.	Hangcheu.	Huquang.	Xantung.	Xanſi.	Honan.	Suchuen.	Fokien.	Quangtung.	Quangſi.	Xenſi.	Kiangſi.	Yunnan.	Queicheu.
Peking.	0	2425	3340	2527	925	1230	1315	4730	5220	5545	5015	2390	2980	5570	4730
Kiangning.	2435	0	920	1630	1783	2270	1115	4580	2795	4555	4117	2355	1594	5035	4000
Hangcheu.	3340	920	0	1325	2700	3190	1025	3960	1870	3675	3750	3270	1170	4590	3550
Huquang.	2527	1630	1325	0	1750	2100	1212	3860	2025	1980	2487	2015	635	3040	2000
Xantung.	925	1783	2700	1750	0	1730	980	4210	4150	4980	4250	3320	3077	5240	4200
Xanſi.	1230	2270	3190	2100	1730	0	1155	2675	5260	5230	4380	1890	3660	5140	4100
Honan.	1315	1115	1025	1212	980	1155	0	3325	4420	4210	3700	1240	2520	4310	3270
Suchuen.	4730	4580	3960	3860	4210	2675	3320	0	4883	4035	3100	2350	3415	2170	1130
Fokien.	5220	2795	1870	2025	4150	5260	4420	4883	0	1420	3460	5100	1790	5130	4640
Quangtung.	5545	4555	3675	1980	4980	5230	4210	4035	1420	0	1230	4810	2560	3570	1160
Quangſi.	5015	4117	3750	2487	4250	4380	3700	3100	3460	1230	0	3750	2515	3380	2350
Xenſi.	2390	2355	3270	2015	3320	1890	1240	2350	5100	4810	3750	0	3760	3810	2810
Kiangſi.	2980	1594	1170	635	3077	3660	2520	3415	1790	2560	2515	3760	0	3990	2950
Yunnan.	5570	5035	4590	3040	5240	5140	4310	2170	5130	3570	3380	3810	3990	0	1040
Queicheu.	4730	4000	3550	2000	4200	4100	3270	1130	4640	1160	2350	2810	2950	1040	0

Quod ad vocabulorum pronunciationem attinet, notandum omnia quæ per *che* ſcribo, more Hiſpanico pronuncianda, vel ut Hetruſci *c* ante *i* vel *e* vocales, eodem modo Hiſpanice hæc littera *ç* cum auricula dici debet, vel ferè ut *z* Italorum. Ubicumque ſupra litteram hanc notam vides ᶜ, pro ſpiritu aſpero Græcorum erit: aliquando aliqua per *j* Hiſpanicum ſcribo, hæc pronuncianda ut Itali *Gi* & *Ge*, ſive Hiſpanico more: quæ per *K* ut Itali *Che* & *Chi* ſuum, ac ſi eſſet *Qua* & *Qui*, reliqua ut jacent. Licet autem ſæpe idem nobis nomen occurrat, apud Sinas diverſiſſima eſt ſignificatio, ac character, nam multos characteres, & paucas habent voces, multaſque uniſonantes. multa ego per *ng* ſcribo, quæ alii per *M*, ut *peking*, alii *pekim* ſcripſere, quia *M* in qualibet ſyllaba aperto ore pronuntiandum eſt, ut à Luſitanis fieri ſolet, alias Sinica pronuntiatio minime exprimitur.

Quia autem ſub qua conſtellatione, ſeu aſteriſmo civitates ac regiones ſingulæ ſtatutæ ſint, noto, hic viginti octo Sinicarum conſtellationum nomina ac longitudines viſum eſt apponere, cum planetarum notis, quorum influxibus ſubeſſe dicuntur, quæ omnino noſtro cyclo ſolari reſpondent. pono autem has longitudines ad annum Chriſti MDCXXVIII emendatas, quo anno correctionis Kalendarii Sinici epocha ſtatuta eſt, quia primus fuit annus *Çungchinii* Impera-

peratoris, qui Societatis nostræ Patribus emendationem Kalendarii Sinici imperavit, sub quo etiam confecta est.


Supereſt nunc, antequam ad ſingulas Provincias veniamus, ut circumvicinas regiones, quæ Sinico imperio adjacent breviter explicemus, ac quid potiſſimum dicant de illis ipſi Sinæ Geographi, audiamus. de *Japonia, Corea*, ac *Leäotung* agam ad illarum mappas de ſingulis ſigillatim.

Nomen.		Longit.	Gradus.	Signa.
Ki'o.	♃	198 : 39	18 : 39	♎
Ka'ng.	♀	209 : 14	29 : 14	♎
Ti.	♄	219 : 54	9 : 54	♏
Fang.	☉	237 : 48	27 : 48	♏
Sin.	☾	242 : 34	2 : 34	♐
Vi.	♂	250 : 7	20 : 7	♐
Ki.	☿	265 : 43	25 : 43	♐
Teu.	♃	275 : 3	5 : 3	♑
Nieu.	♀	298 : 54	28 : 54	♑

Nomen.		Longit.	Gradus.	Signa.
Niu.	♄	306 : 35	6 : 35	♒
Hiu.	☉	318 : 14	18 : 14	♒
Guei.	☾	328 : 13	28 : 13	♒
Xe.	♂	348 : 20	18 : 20	♓
Pi.	☿	4 : 1	4 : 1	♈
Quei.	♃	15 : 32	15 : 32	♈
Leu.	♀	28 : 46	28 : 46	♈
Guey.	♄	41 : 46	11 : 46	♉
Mao.	☉	53 : 37	23 : 37	♉
Pie.	☾	63 : 16	3 : 16	♊
Sang.	♂	77 : 14	17 : 14	♊
çu.	☿	78 : 35	18 : 35	♊
Cing.	♃	90 : 8	0 : 8	♋
Qu'ei.	♀	120 : 33	0 : 33	♌
Lieu.	♄	125 : 9	5 : 9	♌
Sing.	☉	142 : 9	22 : 9	♌
Chang.	☾	150 : 32	0 : 32	♍
Ye.	♂	168 : 36	18 : 36	♍
Chin.	☿	185 : 36	5 : 36	♎

DE ORIENTALI TARTARIA.

Tartaria Orientalis.



Rimum igitur occurrit ignotum magna ex parte hactenus Europæis Tartarorum regnum *Niuche*, de quo ita Sinicus Geographus: Hoc regnum, qua ad occaſum vergit *Kilangho* terris terminatur, ad Auſtrum *Coream* attingit, jam inde ab antiquis temporibus *Soxin* dictum, idque quatenus ſolummodo occupabat regionem, quæ ad *Quentung* flumen ſita eſt, qua ad ortum ſpectat, quaque ad Boream *Caiyven*. Hic populus *Kin* vocitatus eſt. *Hana* familia hunc terræ tractum *Teleu*, *Guei* vero Rex *Hoekie* dixit, ſub *Tanga* familia Vico nomen fuit, ſub *Taiminga* vero exſtructis ibi eodem tempore munimentis aliquot, *Niuche*, ſub qua aliquanto tempore tributa ſolvere ſolitum. Hæc ille de ſitu ac nomine. de moribus: Habitant, inquit, ſubterraneas cavernas, veſtiuntur animalium pellibus, plurimum delectat eos robur, ac vires, furtis gaudent ac rapinis, crudas carnes vorant, ex contuſo milio cum aqua miſto potum ſeu cereviſiam conficiunt. eorum artes ſunt, dextre ſagittas emittere, venationi indulgere, quamvis complures ac variæ ſint horum barbarorum ſpecies, varios etiam habeant mores: hæc breviſſime Sinicus auctor. quæ omnia paulo fuſius explicanda ſunt. quamvis porro ingenue profitear me haſce terras coram oculis minime luſtraſſe, ex Sinicis tamen mappis, ipſiſque Tartarorum, quibus cum apud Sinas frequenter egi, narrationibus addam hic quædam, ea, qua poſſum diligentia, ac certitudine.

Tartariæ antiquitas.

Hujus imprimis Tartariæ Orientalis antiquitas ex eo patet, quod de ea ſub *Hana* familia fiat mentio, quæ ante vulgarem Chriſti Dei epocham cæpit anno CC VI, ac deinceps hæc mentio continuetur, vario tamen indito nomine Sinico more. Illius populus *Kin* dictus, quod aurum ſonat, & vulgo aureorum montium Domini vocantur, nam auro ditiſſimam habere regionem putantur: Termini hujus Tartariæ ſunt ad Boream & Barrapeliotem *Niulhan*, aliud Tartarorum regnum, ad ortum *Yúpi* regnum item Tartaricum, quod claudit mare Japoniam inter & Orientalem Tartariam medium, ad Auſtrum cum *Corea* peninſula contiguum eſt, ad quam accedit regio *Leäotung*, à quibus per murum illum magnum ſeparatur. Occidentalis limes ingens fluvius *Linhoang* eſt, qui inter hoc Tartarorum regnum & *Kilangho* fluit.

Tartari Sinarum hoſtes qui, & quando?

Inter omnes Tartaros hi ſemper fuêre maximi Sinarum inimici, & ſub *Sunga* Imperatoria familia, facta irruptione, variis cladibus affecerunt Sinas, adeo ut ex Borealibus Provinciis ad Auſtrales ſe recipere Imperatores fuerint coacti, occupatis ab iis

Leäo-

Leäotung, *Pecheli*, *Xansi*, *Xensi*, & *Xantung* provinciis, ac facile quidem totum sibi subdidissent Imperium, nisi, illorum felicibus successibus invidentes, viciniores Samahaniæ Tartari (postquam magnam partem Asiæ in suam redegerant potestatem) per Australes, ac Occidentaliores Sinæ provincias ingressi, illis acre bellum intulissent, quos tandem omnino etiam ex Imperio expulerunt, imo & Tartariam Orientalem ingressi maxima ex parte occuparunt, de quo bello *Marcus Paulus Venetus* agit. dein contra Australes Imperatores Sinicos pluribus commissis præliis, victoriæ præmium, totum Sinicum tulêre imperium, ac *Ivenam* condidêre familiam, anno nimirum septuagesimo nono supra ducentesimum & millesimum; de quibus plura infra ubi de *Catayo* & *Mangin* agemus latius.

Hi Tartari *Kin* dicti, modo quoque me totam inspectante Tragœdiam, Imperium Sinicum magna ex parte occuparunt, cujus belli seriem leget, qui volet, in nostro de Tartarico bello libello, ubi quo pacto dicantur tributa Sinico imperio solvisse, exponitur, rationesque, cur defecerint, bellumque moverint; modo ad illorum mores veniamus.

Tartarorum domus. Quod attinet *ad subterraneos specus*, quos inhabitare Tartaros Sinæ dicunt, iis in verbis Sinici in Tartaros odii specimen aliquod, aut potius scintilla, elucet: neque enim tam in specubus aut cavernis quam sub papilionibus, ut ita dicam, habitant: ego sane tentoria apud eos vidi, meliora quam usquam alibi, constant ea ex pannis sericis cera pellucente obductis, sunt & ex bysso, & ex pellibus, quæ maxima velocitate erigunt, deponuntque: cumque ea altius supra terram attollunt, ac quodammodo suspendunt in aëre, circumcirca reti ex crassioribus funibus contexto circumdant ad quinque vel sex pedum altitudinem, interpositis hinc inde bacillis, ad eum fere modum, quo in Italia pastores caulas suas muniunt. ne vero rete illud appareat, tapetibus vestiunt, solum etiam tapete insternunt, super quem decussatis sedent, prandentque cruribus, nullis adhibitis sedilibus, at mensulis tantummodo humilibus omnino, & minime operosis. atque hic quidem sedendi mos toti fere Asiæ communis est, si Sinas excipias, qui altas atque egregio elaboratas opere, sedes habent, imo & mensas nihilo Europæis inferiores, unde ad Europæos vivendi mores ex Asiaticis quoque maxime quidem nunc videntur accedere, namque humi sedere, & prandere sine mensis, præterquam quod incommodum, neque ita decorum sit, barbarum esse censent ipsi Sinæ. Magnates alia habent tentoria pro uxore, ac liberis, pro famulis, culina, aliisque, ita instructa atque disposita, ut domum unam videantur constituere. num adhuc in Tartaria civitates vel munimenta illa centum & viginti quatuor (quæ sub *Ivena* familia ibi constructa sunt) extent, an non, affirmare non ausim; audivi tamen ex ipsis non deesse pro rusticis, ac senibus, qui non ita procul à domibus abeunt, aut vagantur, humiles casas & ex aggesta terra mœnia. *Muoncheu* etiam magnum aliquod oppidum esse nomen quo hi Tartari se vocant, persuadet. nam cum cujates sint, interrogantur, ex *Muon cheu* se oriundos esse plurimi respondent, eumque totius regni maximum esse locum asserunt, unde à Sinis passim *Muoncheu gin*, hoc est, ex *Muoncheu* homines vocantur. Cæterum Tartari mobiles civitates habent, vaganturque cum armentis ac familia tota, ut pro re nata pascua mutent, eodem quo de Tartaris occidentalibus legimus modo.

Vestes Tartarorum. Vestes ut plurimum illis ex pellibus, sed & ex serico & gossipio sunt: has à Sinis jam passim emunt: suas cum Sinis permutant. pelles nimirum luporum, ursorum, vulpium, castorum, lutrarum, martium, & murium Moscoviticorum, vulgo Zibellinas vocamus, aliorumque hujusmodi animalium. vestes oblongæ sunt, ad talos usque demissæ, manicæ strictæ in equinæ ungulæ formam desinentes, cingulo latiori se stringunt, ex quo à lateribus utrimque strophiola duo pendent ad faciei ac manuum munditiem, cultellus etiam ex eo suspenditur, & duo marsupia, in quibus tabacum, cujus avidissimi sunt, ac similia servant: tabaci suctione hospites excipiunt, quotque adsunt, tot adferuntur à famulis jam accensæ tabaci fistulæ: mira sane hujus herbæ vis, aut vitium potius, quo jam totum pene penetravit orbem, multisque plus nimio familiare est. ex sinistro latere acinaces suspenditur, ita ut manubrium à tergo arripiatur, eleveturque, cuspis vero atque acumen in partem anteriorem propendeat, unde etiam à tergo dextera manu equitantes facile extrahunt. ocreas habent vel ex serico, vel ex equino plerumque concinnato, adaptatoque corio. calcaria non adhibent. pileolus capiti congruit. biretum rotundum est atque humile, hoc pretiosæ pellis fascia per circuitum ambit.

bit. pellis hæc frontem aures, ac tempora à frigore defendit. æstate ex storea vel stramine formato pileo utuntur, quantum vero tegmen capitis supra pellis fasciam eminet, tantundem rubra byssus undique sparsa tegit, vel nigri aut purpurei equorum crines, quos pulcherrimo imbuunt colore.

Habitus corporis. Corporis constitutio atque habitus haud ita multum abit à Sinis. colore sunt albicanti, forti ac solida membrorum compage, parum garruli aut loquaces, mores reliqui vicinioribus nobis Bosphori Tartaris haud absimiles, nisi quod plusculum mitioris cœli ex vicinia Sinarum hausisse videntur.

De robore eorum ac viribus vera sunt quæ dicunt Sinæ, dum sese cum illis comparant: at si hæc absolute spectes, omnia Asiatica sunt. ac nullo modo cum Europæis comparanda, quamvis in eo Sinensibus vel maxime differant, quod plerique omnes *Mores.* etiam à prima ætatula ad militiam instituantur, indurenturque. cubile illis solum est, tapete, quo ephippium adornant, substrato. cibus, quem occupant, satiat. carne ut plurimum vescuntur, nec à semicocta, vel semiassa abhorrent. camelos & equos ad vescendum mactant. Venationi addictissimi sunt. vultures falconum nostrorum loco, & venaticos canes præclarissimos habent. sagittas emittendi, quo volunt, peritissimi sunt, & in eo expeditissimi, jam inde à puero hanc artem edocti. rapaces quoque sunt, & cum furandi est occasio eam non negligunt, ferreas galeas nostratibus habent plane similes, si partem eam excipias, qua faciem protegimus, bucculam vocant. thoraces non una ducti lamina, sed ex variis laminarum particulis sunt ferreis claviculis simul compaginatis: quæ cum Tartarorum procedit equitatus, mutua collisione, strepitum haud exiguum edunt. quod mirum, cum in equis fere assidui sint, totaque eorum militia equestribus constet turmis atque armis, nemo apud eos est, qui equorum ungulas ferreis soleis muniat, aut id norit.

Religio. Religio apud illos vix ulla, Mahometismum horrent, de Turcis (*Hoei Hoei* vocant) pessime sentiunt, & loquuntur. fortasse hinc illud eorum odium natum, quod à Sinis olim Turcarum adjuvantibus copiis sedibus suis fuerint ejecti, à *Taimingæ* nimirum familiæ auctore, quando contra Christiani præcipue è Nestorianis pro Tartaris stabant, qua de re alibi erit dicendi locus. Aliqua tamen sacra vel superstitiones potius, ab Indiæ sacrificulis ad eos manasse, probabile est. nam sacrificulos, quos Lama vocant, habent aliquos, amantque. præterea mortuorum cadavera (quod & Indis familiare) comburunt, fœminis famulisque, equis ac armis in eundem rogum conjectis. tamen quid post mortem futurum, deque animæ statu aut immortalitate, maxime sunt solliciti. religionem Christianam admittunt facile, & jam nunc ex iis non pauci eam amplexi sunt. quis neget divinitus illis hoc fortasse ad Sinas iter apertum, ut ita salutis viam, veram fidem ac religionem invenirent? cum alioqui ad illos penetrare difficillimum foret, imo tantum non factu impossibile, quod modo facillimum effectum: atque eo fere modo, quo olim à barbaris gentium dominam Romam occupari, destruique permisit Deus, ut ita Gothos, Vandalos, aliosque Christianis sacris imbueret, veraque fidei luce illustraret.

Gentis lingua facilis est. Persicæ aliquid habere videtur affine. *Tartarorum lingua.* characteres quidam aliquomodo ad quosdam accedunt Arabicos. sed in legendo à capite descendunt ad calcem, ut Sinæ, à dextra ad sinistram progrediuntur, ut Hebræi atque Arabes, quod & Sinis commune. Alphabetum habent secus ac Sinæ, cujus litteræ, licet figura diversæ sint, eandem, quam nostrates habent pronuntiationem, nimirum *A B C.* quamvis sexaginta, eoque plures habere se dicant characteres, non viginti quatuor tantum, eo quod vocalem cum consonante etiam Alphabeti litteram vocent, ut: *la, le, li, lo, lu, pa, pe, pi, po, pu,* &c.

Scribunt Sinæ in hac *Tartaria* rubinos, *Apud eos rara.* unionesque præstantissimos reperiri. forte hos ex mari *Tartariam* inter & *Japoniam* interjecto piscantur. ibidem reperiri ajunt piscem vaccam, cujus magnitudo vaccas nostrates excedit, longitudo sæpe pertica haud minor, nec squammas tamen habet aut cornua. crediderim hunc eundem esse cum eo pisce, quem fuse describit in descriptione fluminis Amazonum (quod ipsemet totum perlustravit) R. P. *Christophorus Acunha*, anno MDCXL Madriti edita Hispanice, & *pesce Buei* vocat. Vulturis etiam genus est apud Tartaros, *Haitungcing* vulgo vocant, licet hic reliquis mole minor sit, adeo tamen est audaculus ac animosus, ut sylvestres anseres & aggredi & capere sæpe soleat.

Montes insigniores. Maximus in hac Tartaria mons est *Kin* dictus, hoc est aureus, à quo forte genti nomen. duplex est, orientalis unus, alter occidentalis, qui Boream versus longissimo excurrunt

currunt tractu continuata semper serie, velut Alpes fere, aut Apenninus Italiæ. Est & alius mons altissimus *Chang pe*, qui ad mille stadia procurrit. in eo lacus est octoginta stadiorum, ex quo duo fluvii emanant, alter versus Austrum fluens *Yalo* nomine, alter in Boream *Quenthung*. ex eodem oritur monte *Sunghoa* flumen, quod non ita multo post cum *Quenthung* aquas miscet, atque ita juncti, versus ortum nonnihil deflectentes in Eoum mare sese exonerant.

DE REGNO NIULHAN, & YEÇO vel IESSO.

Yupi Tartari.



SEquitur Niulhan, quod Tartarorum regnum etiam ad *Niuche* pertinet, estque illius pars Barrapeliotem versus ac Boream, in quo nihil à præcedentibus admodum diversum occurrit. huic proximi *Yupi* Tartari haud procul à mari, ita dicti, quod galeas ac thoraces è durissimis ac fortissimis piscium conficiant pellibus. his succedit, quam Sinæ *Yeço* vocant, ingens terra continens, haud dubium eadem cum ea, quam *Jesso* vulgo dicunt, ubi lacum ingentem *Pe* Sinæ ponunt.

Eorum mores.

Hæc totidem fere verbis, quot Sinæ, describit Maffæus noster lib. 4 epist. *Japoniæ* terræ in Septentrionem adjacet amplissima Sylvestrium hominum regio, Leucas ab urbe *Meaco* trecentas (milliaria ducenta quinquaginta quatuor) bestiarum pellibus induuntur, toto hirti corpore, ingenti barba, mystacibus maximis, quas paxillo subrigunt potaturi. Vini gens avida est imprimis, ad bella ferox, formidolosa Japonibus. in prælio sauciati salsis aquis abluunt vulnera, id unum genti remedium est: speculum gestare dicuntur in pectore (ex cupro est contra sagittas fortissimum, quale etiam plerique Tartari ditiores ferunt) ad caput gladios alligant, sic ut in humeros manubrium desinat. Sacra habent nulla, cœlum duntaxat venerari soliti sunt, &c. disputant multi num hæc terra *Jesso* (ita cum Europæis voco *Yeço* Sinico relicto nomine) insula sit an continens: at si Sinis credere volumus, omnino pars est incultæ Tartariæ, cum *Niulhan* & *Yupi* continens terra, nec propterea sequitur Japoniam insulam non esse, nam à Jesso per fretum separatur. sed fidem hic ego meam libero, quam in re incerta interponere nolim, ad mappam lectorem remitto, in cujus delineatione Sinicam expressi.

Tartarorum lingua.

Scribunt præterea Sinæ ultra *Leäotung* terras Barrapeliotem versus continentem ad sex stadiorum millia extendi, quæ fere viginti quatuor gradus conficiunt, ex quo patet ingentes esse terrarum tractus versus Americæ Quiviram ad fretum usque *Anian*, quod fretum detur-ne in rerum natura, nec ne, non ausim asserere, cum nihil mihi de eo certius sit compertum, fretum tamen esse, ea, quæ in Sinensium historiarum dico epitome, suadent. Si dederit Deus ut unà cum sociis aliquando Sinam revisam salvus illius beneficio & incolumis, cum ad incognitas has & vastissimas extremæ hujus Asiæ ac Tartariæ terras lucem Euangelii afferre in animo habeamus, facile ex occasione fiet, ut hæc etiam, quæ nobis tamen præ animorum salute exigui aut nullius momenti sunt, ad Geographiæ perfectionem proferantur in lucem, atque omnibus illarum rerum curiosis patefiant.

Apud eos rara.

DE REGNO TANYU.

Montes insigniores.



RElicto jam ortu paululum digrediamur ad occasum, ad quem jacet potentissimum ac ingens Orientalium Tartarorum regnum, quod, ab occasu *Quenthung* fluminis incipiens, immensam terrarum planitiem occupat inter *Xamo* desertæ solitudinis seu sitientis arenæ campos & Sinas. nec pauca etiam continet ultra ipsum desertum sita usque ad veterem nimirum Tartariam, quam Sinæ Samahaniam vocant: & hic terræ tractus ab illis nominatim *Tata* vocitatur, corrupto nomine propter litteræ *R* apud Sinas defectum. Hujusce regionis nomen ac gentem visus est nosse M. Paulus Venetus, cum

appellavit illud *Tangu* minimum mutato nomine. Hanc gentem Sinæ Orientalibus Tartaris ſcribunt aliquanto eſſe humaniorem, antiquiſſima videtur ex eo, quod ſub primis Sinarum Imperatoribus de ea fiat mentio in illorum annalibus, qui ſæpiſſime etiam res Sinenſes turbavere, aliquoties etiam fuêre devicti, & in haſce regiones à Sinicis Imperatoribus frequentes fuêre deductæ coloniæ, ut in mea epitome accuratius enarro. unde mitiores etiam fortaſſe apud eos nati mores. de his ita inquit auctor noſter Sinicus: Variæ horum ſunt ſpecies, & à diverſis Imperatoriis familiis diverſa adepti ſunt nomina. *Hiaa*, quæ prima regnatrix fuit familia eos vocavit nomine *Hiuncho*, *Cheva Hienyun*, *Cina* & *Hana* eodem fere vocabulo *Hiungun* dixêre: poſtmodum à variis regibus varia ſortiti ſunt nomina, ſub *Tanga* familia *Thokiúe*, ſub *Sunga Kicheu* dicti. Sub *Hanæ* familiæ exitum hi Tartari à *Vuon* Rege ſubacti ſunt, nec ita multo poſt à rebelli *Queijú* internecione pœne deleti. exinde regnum ad *Tho Kive* devenit, quo tempore à *Ta'nga* familia non exigua damna paſſi fuêre ac devicti: verum à Rege occidentalioris Tartariæ ſuperati ejus Succeſſores ſub *Sunga* familia juvarunt ad occupandum Sinicum Imperium, unde *Ivena* familia orta, *Sunga* omnino extincta, anno nimirum MCCLXXVIII à Chriſto nato. Hæc *Ivena* familia pacifice ſatis totum Sinicum Imperium rexit ad annos ſeptuaginta, ex eaque apud ipſos Sinas continua ſucceſſione fuêre novem omnino Tartari Imperatores: at paulo poſt iterum ab *Hunguvo* ejecti ſunt, patriaque liberata eſt anno Chriſti MCCCLXVIII, quo *Thaiminga* familia imperium tenuit, de qua plura alibi. Horum Tartarorum mores ita deſcribunt Sinæ: aquas quærentes atque herbas vagantur cum armentis, induuntur animalium pellibus, ex tapetibus caſas ſuas conſtruunt: ira concitati ne patri quidem aut fratribus parcunt: mortuorum corpora comburunt: cum ad rogum ſuos mortuos portant, cantant ac ſaltant omnibus amicis comitantibus, alii mortuorum cadavera ex arboribus ſuſpendunt, in eiſque relinquunt ad triennium, demum oſſa comburunt. hæc illi, quibus nihil ego, quod addam, habeo.

Nomina antiqua.

Mores.

Montes inſigniores.

In mons eſt, in quo olim ſub *Hanæ* familiæ Imperatore *Hiàouvo* ingentem Tartari acceperunt cladem, rege ac primoribus regni omnibus deſideratis. etiam nunc cum montem hunc tranſeunt, flere ſolent ac ſuſpirare, infelicem ſuorum ſortem miſerati. *Lankiuſiu* mons alter eſt, in quo ſub eadem *Hana* familia ad ſeptuaginta Tartarorum millia viva intercepta ſunt à Sinico exercitu. *Jengen* conviviorum mons dicitur, quod in eo *Hiàovus* militibus ſuis convivia præbuerit, poſtquam curruum illius & equorum dux ingentem ac tertiam jam de Tartaris reportaſſet victoriam. *Kinúi* mons ibidem. de fluminibus nihil reperio præter ea, quæ habentur in mappa.

In hac Tartaria oves admodum magnæ ſunt, atque optima carne præditæ: earum cauda craſſiſſima eſt, ac complures plerumque appendit libras. equi plurimi ac generoſi, licet exiles habeant ungulas, exiguumque ac breve caput, quod omnibus fere Tartarorum equis commune eſt, qui omnes quoque mira pernicitate in curſu & velocitate præſtant. magna ibi etiam camelorum eſt copia, aliorumque hujuſcemodi animalium. quæ mihi nova ac mira apud eos viſa, præcipue duo hæc ſunt: primum, inſtrumentum illud ex incurvo ferro aut ære, cum chalybæa lingula, quod reciprocante inter duo labia & lingulam ſpiritu, digito indice motam, ſonum edere ſolet, qualia Norimbergæ paſſim fiunt ac vulgo *Trompe* vocant. Hiſce ſimillima omnino habent Tartari, iiſque & eodem modo impulſis utuntur in equis, ſonoque illo ſeſe oblectant. unde habeant aſſequi non potui, niſi vel ipſi conficiant, vel cum Europæis habeant aliquod commercium. alterum eſt herba quædam, quam ſupra lapides naſci ajunt: hæc incombuſtibilis eſt, tametſi in ignem injecta diutiſſime in eo hæſerit: rubeſcit quidem & igneſcit aliquo modo, at educta ex igne quam mox priſtinam albedinem recuperat, nonnihil in cineritium colorem declinantem. haud ita longe excreſcit, ſed ad inſtar cannabi brevioris fert capillitium, non tamen illi par eſt robore ac firmitate, ſed longe citius frangitur. aquæ impoſita in lutum abit, ſtatimque corrumpitur. ex ea forte veteres Romani Asbeſton ſuum, ſive pannos illos confecêre, in quibus mortuorum comburebant cadavera, ne cineres cum rogo miſti ſervari, aut diſtingui non poſſent: difficulter enim inducor, ut credam ex Amiantho fuiſſe lapide, quod volunt Porcacchi in funeralibus, & Anſelmus Boëtius de Boot de gemmis, aut ut alii recentiores ex alumine plumæ, aut Talco ſeu vitro Moſcovitico, ex quibus, ut ex hac herba Tartari ellychnium concinnant perpetuum, quod numquam

Armenta.

Asbeſton Tartarorum.

Tamerl... nus no... attigit Sinam.

quam emungendum est, sed cum sordibus concrescentibus oppletur aliquantum, tantum conjiciendum in ignem, putresque illi adhærentes fungi post ustionem abstergendi, cum incorrupta igni illius perstet materia.

DE REGNO SAMAHANIA.



Anyu Tartariam excipit aliud regnum, quod Sinæ *Samahaniam* vocant. Hanc *Samarcandam* esse & nomen & situs ratio suadet. jacet ad Notapeliotem civitatis *Socheu* apud Sinas fortissimæ, ad occasum *Imäi* montis. in ea civitates esse insignes, domos ac palatia egregia Architectura structa Sinæ affirmant. albis ibi vestibus indui Regem, aureis argenteisque vasis uti pro supellectile, manibus cibos capere solitum. Est, cur credam hasce terras non multum à mari Caspio remotas esse, ab iisque Alexandriam Bactrianam ab Alexandro Magno in Bactris olim conditam haud longe abesse. Ex hac regione Tartari illi fuêre ex familia *Cinchi*, de quibus agit Venetus, qui Imperium Sinicum invaserunt: imo eosdem hosce ego non temere existimo esse, qui postquam sedibus Sinicis essent ejecti, Tamerlano Duci adhærentes magni *Mogoris* stabilivêre regnum, captoque *Bajazeto* Asiam fere totam in suam redegêre potestatem: nec enim Tamerlanus unquam, quod quidem scire queam, aut ex illorum historiis eruere, cum Sinis bella gessit: floruit namque Tamerlanus post ejectos è Sina Tartaros ab auctore *Taiminga* familiæ, nec bellum umquam aut castra movit versus ortum, sed ad occasum potius, per regnum *Mogor* ad usque Persidem, aliaque loca, quæ vergunt magis ad occidentem. Hæc facile capiet, quisquis animadverterit Tamerlanum non diu regnasse, & floruisse circa annum Domini M CCCC VI, quo anno toti Sinico Imperio præerat *Taiçungus* Imperator è *Taiminga* familia, *Hunguvi* illius nepos, qui Tartaris è Sina pulsis Imperium libertatemque restituit, atque è vilissima sorte, sacrificulus quippe erat, ac latro publicus, in summum evasit Imperatorem.

Tamerlanus non attigit Sinam.

His adjacet, nisi fallor, regnum Cascar, de quo qui plura volet, consulat Hodopæricon Benedicti Goes nostri, descriptum in sacra expeditione R. P. *Nicolai Trigautii*.

DE REGNO SIFAN.



Ox *Sifan* apud Sinas omnia Imperii confinia, quæ ad occidentem jacent, includit. Ea potissimum sunt, quæ à Provincia *Xensi* ad *Junnan* pertingunt. continent autem regiones *Usuçang*, *Kiang*, & *Tibet*, quæ nomina plurimas involvunt gentes, quas supra centum esse diversas perhibent Sinæ: inter ea *Geo* & *Cangingu* regnum, quod Presbyteri *Joannis Venetus* vocat. istud Sinæ, licet alioqui exterorum contemtores, laudant, in eoque bonos vigere mores, egregiasque Reipublicæ ac regiminis leges, civitates etiam plurimas fossis mœnibusque munitas esse prædicant: quod sane magnum, magnique faciendum à parcissimis illis laudatoribus de regionis præstantia testimonium est; de se enim magnifice sentientes nihil quod alienum sit, magnopere aut æstimant, aut commendant. Hujus limites statuuntur à Sinis inter *Min* montes, & Croceum fluvium, qui hoc regnum transit: montes vero longe lateque excurrunt, ac demum cum *Quenlun* montibus sive Amasæis conjunguntur, è quibus Croceus fluvius suam ducit originem.

Inibi versus occasum ingens lacus est *Kia* dictus, ex quo Ganges multaque alia flumina, quæ mappæ adscripsi, profluunt.

Gangis ortus.

Incolæ hi plerique doctrinam *Fe* sequuntur, metempsychosim credentes, idola ex cupro eleganter fundunt. tapetes elaborant præclaros. equis optimis abundant. præter hæc nil admodum rari de iis reperio.

Post *Tibet Mien* regnum occurrit, quod ad Bengalæ partem orientalem situm est: mox ad Australes partes *Junnan* provinciæ Sinicæ sequitur.

REGNUM

REGNUM LAOS.



Vocant Sinæ hoc Regnum *Laoquo*, de quo præter nomen vix certi aliquid Europa inaudiit: illud ego, tum ex iis quæ de eo scribunt Sinæ, tum ex narratione R. P. *Mariæ Leriæ* Societatis Jesu, quam penes me MS. habeo, ac tamquam viri vere Apostolici, quique complures annos eo in regno Euangelii prædicationi impendit, magni faciendam puto, paucis hic describo.

Regnum hoc *Laos*, inquit *Leria*, situm est in meditullio Australis Asiæ. abest undique à mari ut minimum leucas centum: ac proinde piscibus fere caret, ac licet è fluminibus quidam capiantur, sat magno constant pretio, & vix usui aut esui apti sunt, cum parum valeant. bufalorum ac porcorum carne abundant, adeoque vili hæc emitur. Gallinas quamplurimas habet, è quibus facile decem, quinque vel sex assibus aut uno Julio emes. fructus omnes habet toti Indiæ communes, at vix ullos Europæos, si poma granata excipias, & uvas sylvestres haud ingrati saporis. Regio tota orizæ feracissima est, nec siccitatis subit periculum, cum tota etiam æstate magnis aquarum fluctibus intumescant flumina, quippe ex *Tibet* montibus (*Junnan* credo dicere voluit *Tibet* finitimam) liquefactæ nives ita illa augent, ut non secus atque Nili aquis Ægyptus, tota regio inundetur. quod magnum plane divinæ providentiæ argumentum est, cum in hoc regno tantum per duos menses toto anno pluat: tum temporis aratur, fitque sementis, quod si fluviorum exundationes deessent sterilesceret terra, ac siccitate emorerentur segetes, vixque hominum habitationi accommodata esset regio. Sed nec minus putandum naturæ miraculum, quod tantum excrescat in altum orizæ culmus, quantum ipsa aqua ascendit, quod idem in *Syon* & *Camboya* accidit, unde & naviculis insistentes maturam orizam demetere solent, cujus stirps aquæ semper inhærere debet, ut crescat, alias vix nata emoritur.

Rerum copia.

Idem autem fluvius, qui *Laos* regnum secat, suisque Mæandris totam regionem perluit, in duo quasi brachia dividitur, quorum unum *Sion* regnum, alterum *Camboyam* stringit, ubi nonnunquam ita excrescit, ut per octoginta leucas maximæ etiam ascendant naves.

Illud *Laos* Regnum incommodum habet, quod non item ut in Regno *Sion* fluvius hic circumquaque omnem late irriget regionem, unde ingenti labore rivos coguntur deducere, canalesque effodere ne sterile reddatur solum. Colligitur hic Benjoin thuris excellentissimi species. ebore ac elephantis abundat. rhinocerotes etiam alit elephantum hostes capitales. horum cornua in pretio præcipue sunt apud Sinas, salnitrum ferrumque habet, imo argenti ac auri fodinas. stannum ibi optimæ notæ est, muschumque ex vicino *Lu* regno, at si ipsum animal, ex quo colligitur, eo abducatur, ut piscis extra aquam, brevi emoritur. Moneta genti argentea est, at pro minutulis rebus ac vilissimis conchulæ adhibentur (*Caoxis* vocant) ex quibus 1200 vix regalem valent Hispanicum. centum tamen pro gallina emenda sufficiunt. lingua genti propria ad Sionum linguam parumper accedit.

Confinia regni Laos.

Regna confinia sunt ad Barrapeliotem *Tungking* & *Cochinchina*: ortum claudit *Changpa* regnum, à quo per desertam illam solitudinem ac montes secluditur, Australes partes occupant *Camboya* & *Sion*; occidentales *Pegu*: ad Boream *Lu* regnum (sive *Junnan* Sinicam provinciam) attingit, cum quibus omnibus commercia hic populus exercet, at maxime cum *Tungkinensibus* & *Camboyanis*. Hæc fere *Leria* noster. Nunc ad Sinicum auctorem veniamus: *Laos* regnum, inquit, Sinici Imperii fuit, & ad Provinciam *Junnan* pertinuit, quamvis post dynastæ rebellionem sui juris manserit. *Chaoxuipuen* dicebatur. gens thrasonica est indole, arrogans & superba. corpus totum, & ipsa palpebrarum loca acu pingunt adhibitis punctiunculis, altas inhabitant domos; reliqua, quæ habet, nihilo à supra recensitis differunt.

Poli altitudo.

Regni meditullium habet altitudinem poli Borealem graduum undeviginti, ad duos & viginti fere ascendit, minima altitudo est graduum septemdecim. tota regio in magnam diffunditur planiciem, quam ingens fluvius per *Junnan* dilabens mediam secat. *Lungmuen* fluvio nomen est, maximo aquarum impetu proruit. quapropter ut navibus iter faciant, eas subinde ex aquis cogun-

coguntur educere, ac per terram, ob loca difficiliora magisque vorticosa, deductas iterum aquis committere.

Montes. Numerant Sinæ præterea montes aliquot, qui *Laos* regnum quodammodo ambiunt. primus *Kiuleu* dicitur, ad cujus radices fuit olim ejusdem nominis civitas, cujus adhuc extant rudera.

Quen mons alter, in quo multa rara notant Sinæ: cavernam nimirum magnam & aspectu jucundam, *Cinghiu* dictam; pontem pretiosum ut vocant, hoc enim *Pao* sonat; & superbissimum idolorum fanum, *Peyun* nominatum. sunt & montes *Gai* ac *Siang* qui & *Gançu* dicitur. fluviorum maximus *Lungmuen* à Sinis dictus, cujus gentilitium nomen ignotum; alter *Laisu*; & demum *Lang* lacus.

REGNUM GANNAN.



QUod Sinæ *Gannan* vocant, *Tungking* Regnum, & *Kiàochi* seu *Cochinchinam* complectitur: antiquiori nomine dicta hæc *Nankiào*: sub Cina familia *Siang* dynastiæ erant. *Hiaoùus Hanæ* familiæ Imperator bellicosissimus omnes has regiones occupavit, deductisque coloniis Sinica politia ac legibus instituit, primusque *Kiàochi* nomen indidit, à decussatis pedum digitis, primo scilicet seu digito majore, quem hallucem vocant, incumbente proximo minori, quod ut plurimum toti huic genti adnoscitur. *Tanga* familia *Kiàocheu* vocitavit. numquam tamen Sinæ visi sunt hasce terras magni facere, idque ob barbaros, ut ajunt, gentis mores; at revera id magis in causa est, quod sui semper juris esse maluerint, propriumque habere regem, & quia fere Sinas viribus ac corporis superant robore, facile sese asseruerunt in libertatem. sub exortum *Taiminga* familiæ ab *Hunguvo* subjugata fuit hæc gens, ante annos plus minus ducentos & nonaginta; at Regio *Chin* regulo cuidam in feudum fuit concessa, quem non ita multo post tres illius præfecti interfecerunt ex *Ly* familia, regnumque occuparunt. Hosce illius regni motus cum inaudisset *Junglous* Imperator duos ex præfectis rebellibus è medio sustulit, tertio fuga elapso, & sic iterum provincia facta. at vix arma posuerat, cum adest *Ly* fugitivus, ejectisque Sinicis præfectis eam denuo invadit, prudenti prius consilio legatione ad Imperatorem missa. rerum tum potiebatur *Siventeus*, quietis amans, ac voluptatis mancipium potius, quam imperii dominus: hic tot rebellionum gentis pertæsus, nec dignam eam sua cupiditate ratus, *Ly* in feudum concedit, regulumque creat hac conditione ut legatum singulis trienniis cum amplis mittat muneribus, atque ita hæ terræ à Sinico imperio avulsæ sunt, circa annum post Christum natum MCCCCXXVIII. at ne ita quidem regio hæc quietem nacta est: quippe intestinis agitata dissidiis in tres partes divisa est, quarum una *Laos*, altera *Tungking*, tertia *Cochinchina* regnum constituit, cum tamen non nisi partes sint provinciarum *Quangsi* & *Junnan*, quas omnes Sinæ *Leào*, barbaros vocant, atque ita Sinicus describit auctor: barbari hi sunt incolæ, justitiæ ac urbanitatis ignari, sparsos ab humeris demittunt capillos, abscindunt barbam, gaudent lotionibus corporis, scite in aquis urinantur, humiles habitant casas, præfectorum ac magistratuum gradus nesciunt, hospites cum folio Betel & Areca (quod toti fere Asiæ Australiori commune) excipiunt. hæc ille, solito exterorum contemptu comitante.

Sunt autem hæ regiones omnino præclaræ, rerumque omnium, ad vitam humanam facientium, egregie feraces. Religionem cum Sinis habent eandem, uti & characteres ac scribendi modum; licet alia plane sit illorum lingua ac pronuntiatio, idem tamen apud omnes significant, non secus ac pictura aliqua, quam variæ nationes vario quidem appellant nomine, idem tamen ex illis aspectu, nempe quod exprimitur, intelligunt. Bysso, Sericis, & gossipio abundant. oleum illud, seu liquor ille suavissimus (quem Lusitani Rosamaliam vocant) hîc stillat ex arboribus. Ligni aquilæ, coloris illius purpurei (Laccam dicunt Hispani) vim magnam producit. hunc Sinæ ad sericos tingendos pannos adhibent. plura de his, qui volet videat luculentum commentarium, nuper Gallice editum, R. P. Alexandri de Rhodes nostri, qui compluribus ibi annis in vinea Domini egregiam navavit operam.

Ait Sinicus auctor simias hic esse multas, & quandam illarum speciem *Singsing* dictam, quas exposito in silvis vino, ut capiant, potum offerunt, inebriatasque facile prehen-

prehendunt, & illarum ſanguine purpuram præclariſſimam confici volunt. rarum etiam aliud apud eos eſt animal *Feſe* nomine, humana pene figura præditum, longioribus brachiis, corpore nigro ac villoſo, velociſſime incedit, ac homines vorat, at prius viſo homine effuſiſſime ridet riſum humanum exprimens, vocemque priuſquam aggrediatur.

Montes notandi.

Keuleu mons eſt, ſub quo civitas ejuſdem nominis eſt. *Quen* mons, *Lung* mons, *Gai* & *Siang*, nihil habent admodum notatu dignum.

Flumina.

Laiſu flumen è præcipuis. nihil præterea à Sinis adnotatum reperio, cumque has regiones coram ipſe non luſtrarim, nihil quod addam habeo.

His abſolutis ad ſingularum provinciarum deſcriptionem propero, in his vel quæ ipſemet vidi (ſeptem enim ex illis obii provincias) vel quæ ex Coſmographis Sinis ſumma fide deſumpſi, affero. habent autem illi libros accuratiſſimos quaſi in unum corpus redactos, quibus urbium, civitatum, fluviorum, montium aliorumque huc facientium nomina ac ſitum deſcripſere. nihil quidem de longitudine vel latitudine, at diſtantias accurate notant. verum quia haſce ipſemet pluribus in locis obſervavi, ex iis facile reliquis debitum locum, licet non ſine labore, aſſignare potui, adjutus præſertim mappis ac libris illis Sinicis, quos theſauri loco inde fere tantum reportavi.



PRIMA

PRIMA PROVINCIA,
PEKING,
SIVE
PECHELI.

Provinciæ nomen.



Rimus locus *Peking* debetur Provinciæ, quia dignitate prima est: nomen habet ab urbe regia *Peking*, quod Borealem regiam sonat: ad distinctionem Australis regiæ, dictæ *Nanking*: quamvis proprium provinciæ nomen sit *Pecheli*. Fuit autem in hac provincia à multo jam tempore Imperatorum Sinensium sedes, eorum præcipue, qui post natum Christum Deum regnarunt; hic *Leäova* familia, hic *Kina*, hic *Ivena*, hic demum modo Tartari (qui *Taicingæ* familiæ fecère initium) sedem fixerunt imperii.

Dignitas.

Termini.

Ingentes hæc provincia terminos habet, ab Oriente Sinum maris *Coream* inter, ac Sinas interceptum, *Çanghai* vulgo vocant: ad Barrapeliotem, regionem *Leäotung* respicit, à Septentrione magnum illum habet murum contra Tartarorum incursiones exstructum, & veteris Tartariæ partem, quæ inter desertam illam solitudinem, seu arenosum campum *Xamo* interjacet; ab Occidente vero provinciam *Xansi* aspicit, à qua per continuos montes, *Heng* dictos, separatur: ad Notolybicum inter hanc & *Honan* provinciam *Croceus* fluvius, per *Xansi* subingressus, limes est; ab Austro demum, ac Notapeliote cum *Xantung* provincia conjungitur, inter utramque transiens medius *Guei* fluvius utriusque limites statuit, provincia tota fere trianguli rectanguli figuram refert.

Antiqua nomina.

Olim hæc provincia variis in partibus varia habuit nomina, subinde *Jeu* & *Ki* dicta: octo maximas habet urbes, quarum quælibet multis civitatibus dominatur, adeo ut quælibet ferè urbs facile integram provinciam videatur posse constituere, adnumeratis quippe octo urbibus, complectitur hæc provincia civitates quinque & triginta supra centum, omnes muris fossisque cinctas, quas tantum recensebo in hac mea Geographia, cum loca mœnibus non munita non adnotent in suis voluminibus, aut mappis ipsi Sinenses Geographi, maximus enim ubique eorum est numerus, mappæ tamen nostræ ex iis ostendent loca quædam illustriora, omnium enim illorum nomina nec Mapparum capiunt angustiæ, nec temporis brevitas mihi hæc enarrare permittit.

Numerus Civitatum.

Qualitas.

Ad cœli solique temperiem quod attinet, majus in hac provincia frigus est, quam illius poscat poli altitudo, vix enim illa excedit gradum secundum supra quadragesimum, & tamen per integros quatuor sæpe menses flumina omnia adeo duro concrescunt gelu, ut currus equosque ac gravissima etiam onera glacies ferat innoxia, ac securissime transeant, ex iis ingentia etiam glaciei frusta exscinduntur. quæ in futuram æstatem ad delicias servant, non tamen ad potum frigidum reddendum, quem semper calidissimum adhibent, amantque sorbitiunculis compluribus calices identidem exhaurire: his mensibus omnes naves ita in ipsa glacie defixæ sunt, ut progredi nequeant, ubicumque illas frigus occupat (quod certo certius circa medium Novembris ingruere solet) per quatuor illos menses immotæ ibi præstare coguntur: neque enim resolvitur glacies ante Martii initium: hæc plerumque glaciei concretio uno fit die, cum non nisi pluribus, & quidem ab inferiori superficie prius, fiat liquefactio: omnino illud mirum, tantum non videri aut sentiri illud frigus, ut Europæos ad hypocausta subeunda videatur posse cogere, aut in Europa ad glaciem producendam sufficere, unde ad subterraneas illic exhalationes, pro harum rerum causis indagandis omnino recurrendum est, ad quod etiam facit totius hujus terræ nitrosa constitutio, unde, licet raræ adsint pluviæ, matutino tempore tota apparet humida, exorto sole siccescit, abitque in tenuissimum pulverem, qui à vento in altum sublatus velut densissimas efficit nebulas,

nebulas, omnia penetrat, fœdatque, res molesta plane atque horrida.

Hominum numerus. Liber Sinicus, qui totius Imperii populi censum continet, numerat in hac Provincia familias 418, 989. homines 3452,254 exceptis magistratibus, militibus, aliisque, de quibus excipiendis ante diximus.

Tributa. Tributum, quod ex oryza, milio, vel tritico pendet, est 601, 153 saccorum. non laboratæ byssi libræ (quarum singulæ viginti unciarum sunt) 224, ex serico confecto 45135. Gossipii libræ 13748. Straminis seu fœni fasces, ad equos regios alendos, 8737, 284. Salis pondera, quorum quodlibet centum viginti quatuor libras continet, 180, 870. ut omittam reliquum vectigal, quod ex pecunia & teloniis prodit; neque hæc magna videbuntur, si quis aliarum provinciarum tributa expenderit: namque hæc sterile & arenosum, licet planissimum, præ reliquis habet solum; quin & gens ipsa ad artes & studia præ aliis ineptior, rudiorque, ad bella vero promptior; uti sunt fere omnes Boreales Sinæ, si cum Australibus conferantur, hi ingenio ac humanitate, illi viribus pollent, licet moribus minus sint cultis.

Gentis indoles.

Singularia omnia, quæ in hac Provincia sunt, in singularum urbium descriptione reperies. unum addo, modum nimirum itineris faciendi, qui hisce locis non infrequens, nec incommodus est: plaustrum adhibent cum una rota, ita constructum, ut uni illius medium occupandi, & quasi equo insidendi sit locus, aliis duobus ab utroque latere adsidentibus, auriga plaustrum retro ligneis vectibus urget ac promovet, non secure minus, quam velociter. Hinc forte natæ fabulæ, à ventis ibi agitari currus, Sinasque illos velis per terram dirigere, ut naves in mari, quamquam ad hoc ibi aptissima planicies est, & alibi factum id vidimus.

Plaustrum itinerarium.

Catayum ubi. In universali hujus extremæ Asiæ descriptione promiseram acturum me de *Catayo*, ne amplius Europæi nostri *Catayum* quærentes ab eo longissime aberrent, minime intellectis iis, quæ apud M. Paulum Venetum de eo sunt. *Catayum* igitur nihil omnino aliud est, quam sex Provinciæ hujus extremæ Asiæ Boreales, quæ magno fluvio *Kiang* à novem Australibus separantur, quas novem *Mangin* Regnum vocat M. Paulus, sicuti illas sex *Catayum*: nec mirum, namque ita vocantur etiamnum à Tartaris, ac Mauris, qui singulis tribus annis ad Sinarum Imperatorem tributa ferre consueverunt: cum autem & fluvii *Kiang* nomen, & provinciarum, tum earum quæ ad Boream, tum quæ ad Austrum sunt, numerus cum illis, quæ in M. Pauli Veneti *Catayi*, ac *Mangin* descriptione sunt, conveniat, plane in hac extrema Asia *Catayum* esse, nullus amplius dubito. Addoq; quod tempore, quo R. P. Matthæus Ricci è Societate nostra, primum *Peking* appulit, ibi Turcam invenerit, qui ad Sinarum Imperatorem Leonem dono attulerat: hic diligenter ac data opera interrogatus, quo pacto vocaretur Sinarum regnum, respondit *Catay* dici ac esse, Regiam vero urbem *Cambalu*.

Idem haud ita multo post, luculento testimonio, suoque experimento comprobavit Benedictus de Goes è Societate nostra, qui cum variarum linguarum Asiaticarum, ac imprimis Persicæ linguæ admodum esset peritus, missus est à R. P. Nicolao Pimenta Indiæ Visitatore, ut certiora de *Catayo* inquireret, quo illuc deinde per nostros fidei ac Euangelii lucem introduceret: is totam interiorem fere Asiam emensus, tandem cum Maurorum turmis, quas *Caravanas* vocant, in *Catayum*, ita à Mauris dictum, pervenit, ad ipsos nimirum Sinas, apud quos jam tum diu fuerant homines Societatis nostræ: hic, cum Sociorum aliquam nactus esset notitiam, ac *Cambalu* seu *Peking* versus iter adornaret, in morbum incidit, migravitque ex hac vita in ipsa Sina, ubi cum *Catayum* quæreret, cœlum laborum suorum, uti speramus, præmium invenit: hujus hodopæricon fusius, & curiosum omnino si quis desideret, reperiet in expeditione Christiana R. P. Nicolai Trigautii ample descriptum.

Feles in deliciis. Feles in hac Provincia sunt omnino albæ, longioribus pilis protensisque auriculis, qui canum Melitensium habentur loco, matronarumque sunt deliciæ: at mures minime capiunt, forte quia delicate nimis à dominis suis enutritæ, haud tamen desunt etiam aliæ murium egregiæ venatrices, licet minus laute habitæ, eoque forte meliores.

Antiquitatum studiosi Sinæ. Sub *Siven Te*, Imperatore Quinto *Taiminga* familiæ, anno post Christum natum quadringentesimo supra millesimum, combustum est palatium Regium; ex illius conflagratione aurum, argentum, cuprumque simul fusa, speciem conflavere metalli ex trium horum mistura, qualis apud nos, reique antiquariæ studiosos æstimatur æris Corinthiaci, ex qua confecta plura vasa summi sunt valoris ac pretii, præsertim pro suffitu facien-

faciendo, ac odoramentis, adhibenturque subinde pro *Cha* coctione. nec horum tantum vasorum, sed & omnis omnino antiquitatis, puta instrumentorum antiquorum, characterum, scriptionumque vetustiorum, lapidum, quibus ad terendum atramentum utuntur, non minus quam Japones, amantissimi, studiosissimique sunt Sinæ, eaque & unionibus & gemmis ipsis ingentis pretii præferre solent, *Cutung* vocant, communi nomine totam illam antiquariam supellectilem indigitantes.

Urbs prima sive Regia
XVNTIEN.

Xuntien altitudo.

PRima Urbs *Xuntien* dicitur, quasi cœlo obsequentem dicas: aliud ei nomen *Peking* à regia Boreali Imperatorum sede: ejus latitudo à me sæpius observata non excedit gradum quadragesimum, quippe est 39 grad. 59'. Longitudo illius apud me nulla, nam hujus ego urbis meridianum, primum pono (nec enim apud Europæos quicquam reperio certi, & pudendum sane, in re tanta Cosmographos non convenire.) Ex Eclypsibus autem Lansbergiana hypothesi à me calculatis & observatis, tum in hac urbe, tum in aliis aliquibus Sinarum, à *Goesa* Zelandiæ distare comperi horis omnino 7', 56'. quæ dant gradus Æquatoris 119,0'. unde cum *Goesa* supponatur à Fortunatis Insulis distare gradus 27, fiet hujus urbis Meridianus 146 grad. vel 149 : 20' si ponatur *Goesa* distare gradibus 30:20' juxta variam primi Meridiani assumptionem.

Primus meridianus.

Illius civitates.

Jura dat Civitatibus viginti sex, quibus præest, tamquam caput & Metropolis (quod semel hic dictum de aliis omnibus deinceps intelligi volo, singulas nimirum Urbes complures sub se habere civitates, quibuscum quasi exilem quandam Provinciam constituant) nomina hæc sunt 1 *Xuntien*, 2 *Xúny*, 3 *Changp'ing*, 4 *Leanghiang*, 5 *Mieyun*, 6 *Hoaijo*, 7 *Kugan*, 8 *Jungcing*, 9 *Tungan*, 10 *Hiangho*, 11 *Tung* ⊙, 12 *Sanho*, 13 *Vucing*, 14 *Paoti*, 15 *Cho* ⊙, 16 *Fangxan*, 17 *Pa* ⊙, 18 *Vengan*, 19 *Taching*, 20 *Paoting*, 21 *Ki* ⊙, 22 *Jotien*, 23 *Fungjung*, 24 *Çúnhoa*, 25 *Pingko*, 26 *Que*. Ex his aliquæ majores sunt ac nobiliores, quas hoc signo notavi ⊙. *Cheu* Sinæ vocant, reliquas vero *Hien*.

Nomina varia.

Hujus autem Urbis territorium varia nomina sub variis habuit Imperatoribus: est enim hoc apud Sinas usitatum, ut mutata eâ, quæ imperat, familia, urbium etiam saltem quarundam nomina mutentur. Sub *Yvo* primæ apud Sinas regnatricis familiæ auctore, cum totum imperium in novem divisit provincias, suberat hic tractus Provinciæ *Ki*, & constellationibus *Vi* & *Ki*, ur idem statuit Imperator. Sub *Cheva* familia hæc regio *Jeu* vocabatur: *Cina* familia *Xangko*: *Hana* vero *Quangyang*: à *Cyn* dicta *Fanyang*: sub *Sunga Jenxan*, sub cujus exitum ac finem M. Paulus Venetus hanc extremam Asiam ingressus est cum Tartaris, quibus expulsis *Peking* & *Xuntien* à *Taiminga* familia nomina obtinuit, hodieque servat.

Cambalu quid.

Illud hic notatu dignum, à Tartaris ac Mauris dictam hanc urbem *Cambalu*, quod urbem domini significat, atque hinc illa M. Pauli *Cambalu*: omnia enim, quæ l. 4, cap. 3 scribit, conveniunt huic Urbi: erat enim Regia Urbs Tartarorum, quo tempore Paulus Venetus Sinas adiit, quam Tartari jam tum anno scilicet millesimo ducentesimo decimo occuparant, diu ante ipsius M. Pauli Veneti ad Sinas ingressum, qui, ut ex scriptis ejus patet, contigit primum anno millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, quando nimirum Tartari Australes Sinæ partes, sive *Mangin*, expugnabant, de quibus paulo post plura.

Regia Xuntien quando structa.

Hanc urbem maxime ornavit Imperator *Taiçungus*, qui regnavit circa annum Domini millesimum quadringentesimum quartum, nam primus *Taimingæ* familiæ in ea sedem fixit, *Nanking* urbe relicta, ut expulsis ab avo suo Tartaris è vicinia, si quid tentarent, facilius resisteret: mœnia quadrati forma quadraginta Sinensium stadiorum ambitu exstruxit, viginti cubitorum latitudine, ab omni armorum genere instructissimis turribus debito ordine dispositis, profunda insuper fossa circum undique excavata; duodecim urbs portas continet: ad eas omni ex parte regni Sinarum pars maxima confluit: magistratus ac præfecti omnes, quique in litteratorum album referri cupiunt, omnes hic adesse ex tota Sina debent: ab hac enim urbe tamquam ab imperii capite totum pendet regimen, ad hanc totius imperii divitiæ confluunt, & merces undequaque advehuntur: unde incredibilis ibi rerum omnium copia, nec minor hominum frequentia, nihil ad usum, nihil ad voluptatem requiras. multa millia regiarum navium, ut innumeras privatorum hominum

Vrbis frequentia ac divitiæ.

num prætercam, in eo ſolum occupantur, ut ad Regiam omnis generis reculas perducant: namque Sinarum labor ac induſtria adlaborat,atque efficit,ut per totam fere Sinam navigabiles fluvii, aut canales ſint, per quos in regiam uſque patet iter tum ex Auſtralibus tum ex Borealibus provinciis; ſtupendum ſane opus partim natura, partim arte factum, perviumque ad multa centena milliaria ita directum, ut naves omnes tandem in *Tiencin* nobiliſſimum emporium conveniant, & inde *Peking* verſus aſcendant, hinc fit, ut hæc urbs, licet ſterili alioquin ſit loco, tamen rerum omnium cornu copia dicatur & ſit, veriſſimumque illud ſit vulgi diverbium, in *Peking* nihil naſci, nihil tamen deeſſe: ſed hujus urbis deſcriptionem ex R. P. Nicolai Trigautii Chriſtiana expeditione apud Sinas, hîc addere placuit.

Lib. 4, cap. 3.

Injuriam, inquit ille,illius majeſtati facerem, & lectori nimium deſiderium ingererem, niſi de ea pauca præfarer. Sita eſt hæc regia urbs in extremo regno ad Boream,nec abeſt à nobilibus illis contra Tartaros muris niſi centum miliaribus (Italica intellige;) magnitudine & vicorum compoſitione, ædificiorum mole,munitionibuſque à *Nanking* ſuperatur, ſed viciſſim eam ſuperat incolarum multitudine, militum & magiſtratuum numero: ad Auſtrum duobus muris cingitur altis ac fortibus,quorum ea eſt latitudo, ut facile currentes equos duodecim capere poſſit,nec alter ab altero impediatur; conſtant illi ex opere lateritio, niſi quod in pede ſaxis ingentibus tota murorum moles inſiſtit; mediis in mœnibus pro latere confectam terram injecerunt,& altitudine quidem non parum ſuperant eos,quibus Europeæ urbes aſſurgunt; ad Boream uno, non amplius muro ambitus continetur: in his mœnibus nocturnis horis à militum turmis non minus vigilatur, quam ſi omnia bello arderent; diurnis ad portas Eunuchi excubant, aut excubare ſe dicunt, nam revera vectigalibus exigendis incumbunt, quod aliis in urbibus fieri nequaquam ſolet. Regium palatium intra interiorem Auſtralis regionis murum conſurgit, pene pro urbis portis, & inde ad Borealem uſque murum excurrit, unde videri poteſt univerſam urbem occupare, nam reliqua civitas ex utroque palatii latere diffunditur; anguſtius eſt aliquanto palatio *Nanking*, ſed anguſtias amœnitate ac ſplendore compenſat, *Nanking* quippe ex abſentia regum inſtar cadaveris anima deſtituti indies corrumpitur, *Peking* vero ex eorum præſentia magis,magiſque exornatur.

Peking urbis forma.

Pulvis moleſtus.

Urbis vici *Peking* perpauci lateribus aut ſilice ſtrati ſunt, unde dubitari poteſt, quo maxime tempore moleſtior ſit inceſſus: nam hyeme lutum, æſtate pulveres utrumque moleſtiſſimum incedentes æque fatigant; & quoniam in ea Provincia pluit infrequenter, tota in pulverem terra diſſolvitur, quem ſi ventus, licet non maximus,excutiat, nullus domi locus eſt, quo non ille penetret omnia fœdaturus. huic incommodo remedium quærentes morem invexerunt alibi, ut arbitror,inſolentem: nullus eſt enim è quolibet ordine, qui pedibus,aut equo incedat ſine velo è pileo ad pectus uſque pendente, & faciem contegente, quod ita comparatum eſt, uti raritate ſua oculis pateat, non tamen pulveri. Id quoque velum aliud habet in ea urbe commodum, quod non,niſi quando volueris,noſcaris;unde ab innumeris ſalutationibus liber, quo quiſque voluerit apparatu moleſtiam minuit, ac ſumptibus parcit: cum enim apud Sinas intra urbes equitare minus magnificum habeatur, & ſella geſtatoria vehi ſatis ſit ſumptuoſum,licet ſine nota minuere apparatum. Vix alibi familiarius eſt, luto ac pulvere neceſſitatem inducente, equo vel etiam aliis jumentis inſidere, quæ paſſim in triviis portiſque urbis & palatii pontibus,ac fornicibus frequentioribus ſeſſores præſtolantur, & paucis obolis diem totum ſeſſorem ſuum vehunt; & quoniam incredibilis eſt urbis frequentia, muliones plerumque jumenta frœno circumducunt,& viam aperiunt; ii quoque peritiſſimi ſunt viarum,nec ferè eſt quiſquam è primoribus, cujus ædes ipſi minime norint, & proſtat etiam commentarius, in quem urbis, regionum, vicorum, platearum nomina omnia referuntur fideliſſime;nec equos ſolum,ſed ſellas geſtatorias ac bajulos reperis, qui magiſtratuum ſalutatores, ac reliquos viros fere primarios geſtare geſtiunt,quamquam pretii plus ſatis exigunt,quam *Nanking* aut alibi conſuevit. Hæc *Trigautius*,qui eadem pœne de *Cambalu* ac *Catayo* nobiſcum ſentit.

Palatia.

Cæterum multa ea in urbe,eaque magnifica, pro ſingulis magiſtratibus in regia degentibus, ſunt palatia, quæ licet magnitudine, ſoliditateque ac ſplendore marmoreas illas ædificiorum moles non æquent, ampliora tamen plerumque ſunt quoad planitiei intercapedinem, & ad uſus humanos com-

commodiora sæpe, & magis nitida nostris. Palatium Imperatoris, quod ad Borealem urbis partem est, omnem superat apparatum nostratem, seu vastitatem ejus spectes, sive eximia ornamenta: duodecim in ambitu continet Sinica stadia; quatuor habet portas ad quatuor mundi partes obversas: maximo ex iis usui Australis est. murus triplex altus ac fortis illud cingit; intra duos primos eosque extimos sunt custodes corporis, Eunuchi, eosque majoribus præfectis ingredi ad negotia inibi tractanda licet; intra ultimum, qui spatium longe majus cæteris pro cubiculis, hortis ac sylvis, lacubusque continet, habitat Rex: hic nemo admittitur præter Eunuchos ac mulieres, quibus Rex ad omne ministerium utitur: varii sunt isthic ministeriorum gradus ac dignitates. Regina legitima una est, aliæ concubinæ: aliæ ab his regis ministerium curant, aliæ à cubiculis, custodes vestium aliæ, aliæ aulæ præfectæ, &c. quinque ibi adesse fœminarum millia inaudii; unde licet non nisi unum vocitem palatium, plura tamen virtute complectitur, omnia accurata debitaque symmetria ac proportione disposita: prima ac præcipua statio Imperatoris est, Imperatricis primæ, parvulorumque principum; altera Imperatricis senioris parentis Imperatoris; singuli infantes absolutis primis pueritiæ annis, singula occupant palatia; Reginæ reliquæ, seu quatuor concubinæ præcipuæ, totidem, ad totidem mundi partes sita: aliud pro senibus quasi gerontotrophium aut prytaneum est, denique alia multa ad usus alios; sunt quoque domus insigniores pro Eunuchis ac concubinis reliquis, illarumque ancillis; aliæ pro artificibus, ac Idolorum sacrificulis, aliisque id genus hominibus; quippe intra palatium degunt aluntur que ad quindecim, eoque amplius mortalium millia. In interiori penetrali multi visuntur marmorei ac lapidei fornices, podia, ambulacra, columnæ ac statuæ non exiguo elaboratæ artificio; tegulæ omnes luteo, hoc est regio colore splendent, adeo ut aureæ procul aspectantibus videantur, solis præsertim luce ad angulos æquales incidente. quidquid è ligno est, vel auro splendet, vel pretioso illo glutine *Cie* dicto illitum ad instar speculi micat; plures quidem contignationes vix habent more nostro, altissimæ tamen sunt domus, supra crassiores & teretes columnas extructæ, omni ex parte similes æqualesque, qua ex re felicitatem pendere existimant. mirum unde tot tantæque

Palatium Imperatoris.

Fabricæ modus.

columnæ reperiantur: quævis enim vix à duobus circumdari brachiis potest, cum illarum altitudo quindecim & viginti subinde cubitos excedat; ad perpendiculum omnes summa accuratione erectæ sunt, pavimentum crassioribus instratum asseribus, tribus fere cubitis terra altius exsurgit, ita firmum solidumque, ut solum ipsum videatur: palatium permeat fluvius arte introductus magnarum etiam navium patiens, per interiores palatii partes in varios distributus canales ad commoda domestica, ac amœnitatem. multos hic illic lambit artifice manu exstructos montes, qui veris ipsis invidiam quodammodo ob artis præstantiam facere possint, qua in re Sinæ mire sunt curiosi, ut ne dicam superstitiosi: hos ex ruderibus pulcherrime efformant, ad intuentium voluptatem ac admirationem: arbores florésque in iis conserunt raro ordine ac elegantia; multi ex his visuntur in divitum hortis, omnia ex uno colliges, quem descripsit R. P. *Trigautius*. In similibus hortis Sinæ, amœnissimis prætermissis aliis, quæ spectari, nec fortasse legi sine voluptate possent, vidi arte factum è variis marmoribus impolitis montem: is in speluncas affabre excavatus cubicula, aulas, gradus, piscinas, arbores ac alia plura continebat, in quibus ars cum natura certabat; hoc ideo faciunt, ut æstivos æstus, si quando studiis insudant, vel convivia instruunt, speluncarum frigiditate fallant; augebat lepôrem figura in labyrinthum tendens, nam tametsi non latissimam aream occuparet, duas tamen tresve horas omnia circuire volentes detinebat, & inde alia porta patebat egressus. hæc *Trigautius*.

Lib. 4, cap. 6.

Montes fictitii.

In eodem palatio forum est, quod triginta hominum millia facile capiat, vigiliis singulis quinque militum millia portas custodiunt palatii, cum quinque elephantibus ex *Junnan* provincia adductis; si de lacubus, vivariis, hortis, silvis cæterisque palatii ornamentis & adjunctis hic dicendum esset, libro opus foret, quo singula recenserem. illud unum addo, nihil pulchri, nihil fere boni reperiri in toto Sinico Imperio, nihil ab exteris afferri nationibus, quod non continuo palatium subeat, exeat autem numquam. In hac urbe Societas JESU duo templa vero Deo dicata obtinet, antiquum alterum, alterum novum à Tartaris jam recenter concessum; extra urbis mœnia ad occasum etiam aliud est magnificum, ab Imperatore *Vanlieo*, pro sepulchro R. P. *Matthæi Riccii* donatum: concessumque est egregiis viri

Templa Societatis JESU.

viri Apostolici meritis, maximisque eo in regno exantlatis laboribus, plurimis etiam ab eo libris lingua Sinica, de rebus fidei nostræ, aliisque Europæis ac mathematicis, ibidem impressis, quos ipsi Sinenses etiamnum hodie maximi faciunt, suscipiuntque, adeo ut vix puer ibi sit, qui illius nomen, gratamque apud hanc gentem memoriam nesciat. nemus est amplum & peramœnum cum adjuncto palatio, quod fusius descriptum, delineatumque accurate & in æs incisum, videsis apud R. P. *Nicolaum Trigautium*, ad finem Expeditionis Christianæ apud Sinas. illic apponere nolui, ne actum agerem. Idolorum fana ac turres complures habet sane eximias hæc urbs, tum extra, tum intra mœnia, quinque ex iis, reliquis nobilitate ac ædificiorum splendore præstant.

Fructus. Producit urbis hujus territorium optima poma, pyra, pruna, frumenti ac milii non parum, leguminum omnia fere genera, carbonem etiam pro lignis adhibent ex *Kie* monte effossum. nuces adhæc habet & castaneas, nec non ficus & uvas, ex quibus tamen vinum non conficiunt.

Montes nobiliores. Ad urbis Boream partem est mons *Tienxeu*, in quo Imperatorum sunt sepulchra non sumptuosa minus, quam superstitiosa, quatuor ab urbe leucas distat, ad hunc quia accedere non potui, sepulchra isthic non describo, quod faciam in urbe *Nanking*, illa enim vidi ab amico præfecto introductus. Ad Barrolybicum urbis *Jociven* mons est, in quo magnificum *Ivenæ* familiæ visitur palatium, quo æstatis tempore ad vitandos calores Imperator Tartarus se conferre solebat, prope civitatem *Chang ping* est mons *Pefeu*, ex quo duo torrentes ad pagum *Feu* concurrunt. haud ita procul *Pa* civitate est *Nan* mons, amœna duodecim stadiorum arundinea sylva conspicuus, in qua pulchrum est palatium recreandis ibidem animis destinatum. Ibidem *Puon* mons altissimus ac præruptus, varios attollens vertices, in unius summitate ingens est lapis, qui minimo contactu movetur ac titubat. Ad *Jotien* incipit *Yen* mons omnium maximus, & ultra mille stadia excurrit. Prope *Jungjung* est *Chinquon* mons, quadraginta stadia occupat, ad partem Australem qnendam habet verticem, qui à lapidum discolori varietate flos dicitur. ad *Çunhoa* est *Mingyue* mons ita dictus à subterraneo specu, quo quasi perforatus videtur, ductu ita directo, ut ex adverso foramen ad instar splendentis Lunæ appareat. prope *Pingco* sunt montes *Kie* & *Siuvu*, ubi carbo seu bituminosa terra educitur, quam loco lignorum pro igne struendo adhibent.

Flumina. *Yo* fluvius in monte *Jociven* habet originem ex lacu *Si* ad montis occasum, cujus lacus magnitudo decem conficit stadia, inde influit in ipsum palatium Imperatoris, ac arte deductis mæandris totum palatium, hortos ac nemora rigat, variosque lacus efficit.

Lúkeú fluvius, qui etiam *Sangcan* dicitur, ad Urbis Regiæ Notolybicum transit, ubi magnifico subjugatur ponte, in quo plurimi numerantur arcus lapidei.

Est ad montis *Tienxeu* Notolybicum lacus ex novem fonribus ortus, qui numerus felix habitus apud Sinas Regiorum sepulchrorum superstitionem auxit, inde lacus *Kieulung* dicitur, sive novem draconum.

Prope civitatem *Cho* est fossa longissima arte facta, *Tocang* dicitur, cujus aqua circum adjacentem amœnissimam regionem mire fœcundat.

Secunda Urbs
PAOTING.

Ingens hæc urbs territorium etiam habet peramœnum, rerumque omnium copia abundans: civitates numerat viginti. *Civitates.* 1 *Paoting*, 2 *Muonching*, 3 *Ganso*, 4 *Tinghing*, 5 *Sinching*, 6 *Thang*, 7 *Poye*, 8 *Kingtu*, 9 *Jungching*, 10 *Huon*, 11 *Ly*, 12 *Hiung*, 13 *Khio*, 14 *Xinçe*, 15 *Tunglo*, 16 *Gano*, 17 *Caoyang*, 18 *Singan*, 19 *Yeo*, 20 *Laixui*: quæ omnes variis stellis ab *Yvo* attributæ pro varia, quam occupant, provinciæ parte: pars sub *Vi*, & *Ki*, pars sub *Mao*, & *Pi* esse censetur: tota hæc provincia sub eodem *Yvo* ad *Kieheu* pertinuit, vel ex eo sat nobilis, quod magnum illum belli ducem Regis *Yen Loijum* genuerit, de quo multa in epitome. *Antiqua nomina.* Regum tempore *Chao* vocitata est, ab *Hana* familia *Sintu*, à *Sunga* vero *Paocheu*, hodiernum nomen imposuit *Taiminga* familia. antiquissima mœniorum rudera ad hujus urbis Notapeliotem visuntur, ab Imperatore *Chuenhioo* structa ante Deum natum annis bis mille quingentis: fana heroibus dicata habet septem, unumque *Javo* antiquissimo Imperatori. Laudatur potus hujus urbis ex oryza confectus, quem pro vino adhibent. castaneæ ibi laudatissimæ ac maximæ sunt.

Montes nobiliores. Prope *Huon* est *Yki* mons, in quo Imperatoris

ratoris Javi mater vixisse scribitur. ad *Hiung* mons *Tahiung*, è quo inter saxorum angustias limpidissimus fons emanat. *Ye* adjacet mons *Lungcie*, in quo draconis apparet vestigium. ibi difficilis per montes via est præstructo munimento, per hanc ad *Thaitung* usque urbem patet iter. & haud procul *Tunglo* vallis est altissimis montium verticibus clausa, ad quam per arctissimam eamque unicam semitam iter aperitur, belli tempore propter securitatem expetita & à pluribus frequentata.

Flumina. *Kiutho* fluvius *Tunglo* civitatem alluit, oritur in Provincia *Xansi* ad partem Australem montium *Cinhi*, inde *Heuping* civitatem pertransiens hanc subit Provinciam, ac totam fere præterfluit versus ortum, ad *Tiencin* munimentum mari se immergit.

Ad Australem urbis partem *Lienhoa* lacus est exiguus, at amœnissimus, floribus ejusdem nominis inclytus, quibus civibus suis atque accolis delitias præbet, crebrisque conviviis celebratur. flores hosce describo alibi opportuniori loco. lacus fossæ urbis vicinus est.

In amnis ex *Ye* montibus ortum ducit: inde profluens à Borea in occasum urbem circumdat, suisque gyris insulam *Pehoa* efformat.

Tertia Urbs

HOKIEN.

HOkien urbi nomen (quod inter flumina sonat) res ipsa dedit: quippe hujus urbis territorium à variis fluminibus ad Insulæ modum cingitur. *Antiqua nomina.* cum olim sub *Cheva* familia *Tungyam*, sub *Hana* vero *Poihai* vocaretur, *Tanga* familia *Ingcheu*, & *Sunga Inghai* vocari voluit. sub *Yvo* ad Provinciam *Kiche* pertinuit. Regum tempore variam nactum est sortem modo sub *Ci* Rege, modo sub *Chao*, modo sub *Jen* fuit. terra hic pinguis est & argillosa. usque ad mare orientale protenditur, ubi latissimi sunt campi, in quibus sal ex aqua marina concrescit. Montes paucos eosque parvos includit. piscosæ sunt aquæ, & optimorum Cancrorum feraces. quatuor heroibus dicata sunt templa nobiliora. *Civitates.* duodeviginti habet civitates, 1 *Hokien*, 2 *Hien*, 2 *Heuching*, 4 *Soning*, 5 *Ginkieu*, 6 *Kiaoho*, 7 *Cing*, 8 *Hingci*, 9 *Cinghai*, 10 *Ningcin*, 11 *King* ⊙, 12 *Ukiao*, 13 *Tungquang*, 14 *Kuching*, 15 *Çang* ⊙, 16 *Nanpi*, 17 *Jenxan*, 18 *Kingyun*.

Unus hic tantummodo mons notatu dignus ad civitatem *Cing*, cujus vertex in longam latamque diffusus planitiem laudatur à pinguissima adeoque maxime fertili gleba, in quo & pagum obtinet. mons ipse *Si* dicitur. *Mons notabilis.*

Ad *Hien* civitatem profundissimus lacus est *Vo* dictus, cujus aqua injecto lapide tota ut sanguis rubescit: si folia vicinarum arborum incidant, quam mox hirundines evolant, adeo ut folia ipsa in aves mutari videantur, uti narrant de anatibus Hibernicis, fides tamen sit penes Sinas. *Mirabilis naturæ lacus.*

Quarta Urbs

CHINTING.

CHinting urbs magna ac frequens ingens regit territorium, in quo duæ supra triginta civitates, ad Boream *Heng* montibus, ad Austrum *Hutho* fluvio clauditur. *Civitates.* civitates sunt 1 *Chinting*, 2 *Cingking*, 3 *Hoëlo*, 4 *Lingxeu*, 5 *Khoching*, 6 *Loching*, 7 *Vukie*, 8 *Pingxan*, 9 *Heuping*, 10 *Ting* ⊙, 11 *Sinlo*, 12 *Kioyang*, 13 *Hintang*, 14 *Ki* ⊙, 15 *Nancung*, 16 *Sinho*, 17 *Çaokiang*, 18 *Vuye*, 19 *Cyn*, 20 *Ganping*, 21 *Jaoyang*, 22 *Vukiang*, 23 *Chao* ⊙, 24 *Pehiang*, 25 *Lungping*, 26 *Caoye*, 27 *Linching*, 28 *Çan Hoang*, 29 *Ningcin*, 30 *Xin* ⊙, 31 *Hengxui*, 32 *Yuenxi*. In *Yvi* divisione fuit hæc regio Provinciæ *Kicheu*, sub dominio constellationum *Mao* & *Pi*. *Antiqua nomina.* *Cheva* familia *Pincheu*, *Hana* vero *Hengxan* dixit, *Tanga* familiæ *Hengcheu*, hodiernum nomen à *Taiminga* habet stirpe. quod hic rarum visitur, est, qua orientem solem spectat urbs, ingens ac magnificum templum idolis dicatum, cujus partem posteriorem magna occupat aula in novem divisa cœnacula. *Celebre Idolum.* ad quinq; contignationes assurgit, easque triginta & centum cubitis altas. in adyto interiori statua augusta & ingens magnoque elaborata artificio (*Quonin* Idolum vocant) muliebri virginis figura ad tres supra septuaginta ascendit cubitos. fano ipsi nomen *Lunghing*. habet & alia heroibus sacra loca, præcipua inter ea quinque sunt, ex quibus unum auctori *Hanæ* familiæ adscriptum.

Haud ita procul à *Cingking* civitate visendus est mons altissimus *Çangnien*, qui vertice nubes ipsas superat, in eo fons medicus, ac saluberrimus, ædificatumque à regina *Xayanga* superbissimum idolorum *Montes nobiles.*

monasterium, in quo quamplurimi sacrificuli degunt, in perpetuam rei memoriam, quod hoc fonte lota ab inveterato morbo libera evaserit.

Prope *Kioyang* mons est, è quo fons item aquæ saluberrimæ scaturiginem habet. in eo raræ & à Sinis plurimum expetitæ reperiuntur herbæ, aliaque medicæ artis subsidia.

Ki civitas montibus *Çuvi* & *Tiáopuon* vicina est, quorum hic à clade, qua *Hansinius Chinyuum* superavit, inclytus.

Vma mons est ad *Çanhoang*, ita à quinque equis è solido lapide sculptis dictus, quibus *Sunga* familia magnificentissimum fanum, seu stabulum potius, quo conteguntur, superimposuit.

Flumina. Ad *Ningcin* magnus locus & palus *Talo* est.

Non procul *Heuping* lacus exiguus è duobus fonticulis efformatus, quorum unus, cum vicinissimi sint, frigidissimus, alter calidissimus.

Quinta Urbs
XVNTE.

Ejus situs. XVnte urbis territorium exile quidem, at amœnos ridentesque (ut ita dicam) campos offert. novem quidem tantum civitates numerat, sed celebres omnes atque frequentes. territorium ejus fortissimum est, atque ab hostium incursibus ipso ambitu montium defenditur. Lacubus & aquis abundat, inde mira ejus fertilitas; præcipua piscium & Cancrorum copia. *Civitates.* civitates sub ea sunt 1 *Xunte*, 2 *Xaho*, 3 *Nanho*, 4 *Pinghiang*, 5 *Quangcung*, 6 *Kiulo*, 7 *Thangxan*, 8 *Nuikieu*, 9 *Gin*.

Nomina antiqua. *Yvus* Imperator eam sub Provincia *Kicheu*, & constellatione *Mao* statuit. *Cheúa* Imperatoria familia *Hingque* dixit. Regum tempore modo *Cyn*: modo *Chao* fuit: sub *Hana Siangque*, *Sunga Sinte*, *Taiminga Xunte*. Hic optima, & subtilissima arena reperitur ad gemmas poliendas; ego subinde pro vitris opticis elaborandis adhibui optimo eventu; nostrate smiride ac tripoli melior est, abradit enim nec offendit; per totam *Sinam* divenditur. fiunt etiam hic vasa fictilia, sed quæ non accedant ad Porcellana Provinciæ *Kiamsi*; lapides Lydios ad dignoscendum aurum, aliosque ob colores ac duritiem æstimatos, hinc petunt Sinæ. Intra mœnia pons est lapideus. Duo habet nobiliora fana, heroibus dicata: primum *Jao* Imperatori, vetustissimo in monte *Jao*; alterum ad *Nuikieu*.

Montes celebres. *Xaho* civitas montem habet percelebrem ac cavernosam, *Tang* dictum, id est Balneum: quippe aquam emittit calidam scabei abstersivam.

Pungcio mons est ad *Nuikieu*, è quo Medici rara medicamenta hauriunt. ibidem *Cu* mons, hoc est orphanus, quod verticem unum dumtaxat erigat, à cæteris omnibus quam longissime separatum.

Flumina. *Chochang* fluvius ad *Pinghiang*: ejus ortus in Provincia *Xansi* est, haud procul à civitate *Lu*, in monte *Kieu*, inde pertransita *Pinghiang* ad *Hingci* civitatem, *Guei* fluvio miscetur.

Talo lacus magnus, de quo in *Chinting* urbe mentionem injeci, vocatur etiam *Quangho*; piscibus, Cancris, fructuque aquatico, *Linkio* dicta, celebris: *Fructus Linkio.* hic fructus tribuli fere habet figuram, ad instar triangularis pyramidis undequaque prominens. cortice viridi crassiorique est, ad apices rubescente, dum siccatur nigrescit, interior substantia albissima est, sapore castaneæ nucis, magnitudine tres quatuorve castaneas æquat: in stagnantibus aquis per totam Sinam seritur, planta foliis est exilibus longissimo tractu per aquæ summam superficiem proserpentibus, fructus multiplices sub aquis latitant. ad *Kiúlo* civitatem usque pertingit lacus.

Sexta Urbs
QVANGPING.

Civitates. MEtropolis hæc aliarum novem: 1 *Quangping*, 2 *Kio cheu*, 3 *Fihiang*, 4 *Kiçe*, 5 *Hantan*, 6 *Quangping*, 7 *Chinggan*, 8 *Guei*, 9 *Cingho*. Hujus tractum olim *Yvus* Imperator sub eisdem stellis ac Provincia, qua superiorem posuit. Regum tempore *Cyn* regni fuit, mox *Chao*, sub Cina familia *Hantan*. hodiernum nomen jam inde ab *Hana* familia retinet. inter reliqua fana quoddam ex illis est, quæ dicata hominibus, quos nunquam interire, sed esse immortales fabulantur Sinæ. *Homines immortales.* Talem ibi apparuisse *Heroëm* volunt, puerumque, nescio quem, inopem ita instituisse, ut egregius deinceps Philosophus, ex eoque ob scientiam magnus imperii præfectus evaserit. nil hic admodum singulare de fluminibus, aut montibus occurrit.

Septi-

Montes celebres.

Flumina.

Fructus Linkio.

Civitates.

Homines immortales.

Septima Urbs
TAMING.

MAxime Australis hujus Provinciæ urbs *Taming* est, cujus territorium ad Boream *Guei* fluvius, ad Austrum *Croceus* claudit. qua patet, fluminibus lacubusque ubique irriguum est. Lacus in eo 80 stadiorum ambitu delicatulis piscibus abundans, mira soli fertilitas & amœnitas. divisum ab *Yúo* in duas olim Provincias, pars Borea ad *Kicheu*, Australior ad *Yen* pertinebat, illa sub asterismo *Xe*, hæc sub *Pie*. Hic *Xanga* antiquissima familia quondam Imperii sedem tenuit. *Cheva* familia *Yangping*, *Tanga Tienhiung* indigitarunt. hodiernum nomen à *Sunga* habet familia. sunt sub eo civitates undecim: 1 *Taming*, 2 *Taming*, 3 *Nanlo*, 4 *Guei*, 5 *Cingfung*, 6 *Nuihoang*, 7 *Siún*, 8 *Hoa*, 9 *Kai* o, 10 *Changyuen*, 11 *Tungming*. Quatuor in eo nobiliora fana, plurima sepulchra insignia, unum antiquissimum est *Cavi* Imperatoris à quater mille annis conditum, veneranda antiquitatis memoria celebre.

Civitates.

Ad *C'ingfung Cie'u* mons est *Cavi* sepulchro nobilis.

Montes.

Ad *Siun* civitatem Mons *Feuki'eú*, qua ad occidentem vergit, lacum aspicit ex subversione absorptioneque cujusdam *Siun* urbis ibi natum. ibidem est *Çukin* mons omnium altissimus, maximeque præruptus.

Ad *Nuihoang* est lacus *Luçu* 80 stadiorum: prope ipsam urbem est stagnum *Caoki*, majusque alterum *Changfung* vel *Moma* dictum, utrumque paludosum. *Guei* fluvius *Nuihoang* & *Siun* civitates præterlabitur, ibidemque *Ki*, & *Chang* fluvii in unum coëunt servato *Guei* nomine. ad *Tiencin* influit in mare.

Flumina.

Octava Urbs
IUNGPING.

IUngping urbs rectà in ortum ab urbe regia *Peking* protenditur, tota regio montibus collibusque extuberat. quia tamen adjacet sinui maris *Çang* dicto, nihil eorum quæ ad vitam sustentandam necessaria sunt, magnopere in ea desideratur. magna piscium copia est, nobilissimæque radicis tota Sina celebratissimæ *Ginseng*, Japonibus *Nisi*. nomen Sinicum illi à figura, divaricatis quippe cruribus hominis formam refert (*Gin* porro hominem significat) Mandragoram nostratem credas, nisi quod ea multo minor sit. quin illius tamen species sit aliqua, nullus dubito, quippe quæ & formam & vim habeat. folia ejus mihi hactenus videre non contigit: siccata radix flavescit, fibras seu capillos, quibus alimentum sugat, vix aut ne vix quidem habet. nigricantibus venulis tamquam subtili atramento ductis circumspersa est. cum manditur dulcedine ingrata est nonnulla admista amaritie, sed tenui: auget plurimum vitales spiritus, tametsi vix unciæ duodecima pars dosis sit. sumptum illius pondus paullo amplius debilium vires restaurat, suavem corporis calorem excitat: Balneo Mariæ, ut vocant, cocta adhibetur, atque fragrantem ad instar aromatum exhalat odorem. fortioris calidiorisque naturæ qui sunt, ejus sumptione vitæ periculum adire solent; nimium auctis exundantibusque spiritibus, debilibus, fatigatis, vel morbo diuturniori, aliave de causa exhaustis ad miraculum prodest: moribundis ita vitales quandoque vires reddit, ut sæpe illis adhuc tempus sit sumendis aliis medicamentis sanitatique recuperandæ. mira alia de hac radice Sinenses prædicant. triplo argenti pondere appenso emitur libra. ad eundem hujus urbis tractum stannum effoditur, concinnaturque papyrus. sub *Yvo* fuit hæc regio Provinciæ *Kicheu*. Cinæ familiæ dicta *Leaosi*, *Guei* regibus urbs ipsa *Lulung*, *Tangæ* familiæ *Pingchieu*. sex ei subsunt civitates: 1 *Jungping*, 2 *Ciengan*, 3 *Vúning*, 4 *Changly*, 5 *Lo* o, 6 *Loting*. Duo in ea fana celebria. parvo has civitates terrarum spatio claudit. opportuno ad Imperii Sinici custodiam loco sita est, mari, montibus, fluminibusque circumdata. celeberrimum ejus munimentum in *Cu* montis Insula, de quo mox plura.

Ginseng radix.

Stannum.

Civitates.

Jang mons ad urbis Notapeliotem multos emittit torrentes, ejus juga alta atque horrida aspectu. *Lungciven* mons prope *Ciengan* est, in eo fons est, quem accedunt ut à Dracone pluviam petant, impetrentq; siccitatis nimiæ tempore. altissimus mons *Tu* amœnis atque annosis sylvis obsitus.

Montes.

Ad Notolybicum *Siven* urbis fons est calidissimus, aliusque prope *Cheching* versus occasum, in quo facile ova posis excoquere. *In* lacus 30 stadiorum ad *Changli* scatet *Linkio* fructibus, piscibus, Cancris &c. oblon-

Flumina.

oblongior est, ad mare fere excurrens. Ad *Lo* civitatem fons est chrystallinus & peramœnus.

Tres Civitates extra Ordinem.

EÆ contra Tartarorum subitas excursiones atque impetus, si fortasse murum transire conarentur, optimis ac munitissimis à natura locis conditæ sunt. In eis militum habitant præfecti. 1 *Tenking*, 2 *Jungning*, 3 *Paogan*. prima vitibus atque uvis luxuriat, vinum tamen conficere aut nesciunt, aut quod verosimilius nolunt, potu ex oryza elicito contenti, qui sane præstantissimus est, adeo ut ne ab Europæis quidem ibi vinum, nisi ad Missæ celebrandum sacrificium, requiri soleat. *Paögan* civitas magnum habet ex sexto lapide pontem, qui fluvio *Lukeu* seu *Sankan* transitum præbet. civitas ipsa Boreali fluvii ripæ imposita est. Hic ad Notapeliotem rudera antiquissimæ civitatis videntur, quæ *Hoangtii* rudera dicta: nam ab *Hoangtio* ibi exstructam civitatem memorant, quantum per antiqua obsoletæ vetustatis memoriæ vestigia consequi licet. *Fan* mons ad Boream *Tenking* est, in quo primum forte ab orbe condito commissum est bellum, siquidem ibi *Xinnungus* ab *Hoangtio* occisus est, postquam imperasset annis centum supra quadraginta. fuit hæc pugna juxta Chronologiæ Sinicæ rationes ante natum Deum annis bis mille sexcentis, nonaginta septem.

Primum orbis bellum.

De hujus Provinciæ munimentis.

QVatuordecim numerantur hujus Provinciæ ad celeberrimi illius muri tutelam condita munimenta: inter quæ unum, quod urbis gerit titulum ac nomen, *Siven* dictum, magnitudine populique frequentia nobile. Hoc cæteris fere imperat. multa huic militum millia præsidio sunt. Ex hoc provideri solet reliquis. Chrystallus lucidissima, marmor ac Porphyrites effoditur è vicinis montibus. Flavis scatet muribus iisque majusculis, quorum pelles expetuntur à Sinis. nomina munimentorum sunt, 1 *Siven*, 2 *Vanciven* sinistrum, 3 *Vanciven* dextrum, 4 *Hoaigan*, 5 *C'ai ping*, 6 *Lung muen*, 7 *Chang gan*, 8 *Che ching*, 9 *Júncheu*, quæ novem urbi *Siven* subsunt, 10 *Vuning*, 11 *Tu*, 12 *Jungping*, at omnium maxima sunt, 13 *Xangai*, & 14 *Tiencin*.

Xanghai munimentum ingens jacet in *Cu* Insula, ubi Sinus Maris in Boream protenditur, in quem ex Tartaria *Linhoang* fluvius illabitur. Ibi altissimi montes atque ipsum mare facillimam efficiunt muri defensionem. post ingressum Tartarorum per *Leäotung* ingenti præsidio tum navium, tum militum fuit instructum, & tanquam frænum objectum Tartaris.

Tiencin munimentum in ultimo Sinu Maris *Çang*, ac angulo jacet, ubi totius Provinciæ flumina concurrunt, altissimaque ac fortissima mœnia longissimo tractu prætergressa mari se miscent. Emporium, cui vix aliud par. tanta loci amplitudo est, tantæ opes, tantus ædificiorum splendor ac frequentia. Ex mari, mediterraneisque Sinarum locis huc omnes confluere debent naves. unde tanta hic earum est copia, ut omnem exsuperet fidem. biduum per eas mihi iter facere contigit, quæ stationem firmarant ad utramque ripam. quidquid *Pekinum* tendit, hac transmittitur, atque optima quæque ibi vendi solent, eo quod mercimonia ibi liberiora sint, nullumque eis impositum vectigal.

Emporium nobilissimum.

Ad *Juncheu* est mons *Lungmuen* dictus, hoc est Draconis porta, quia inter duos montes fluvius ex Tartaria ingreditur murum magnum.


Emporium nobilissimum.

V N.



XANSI,
IMPERII SINARVM
PRÒVINCIA
SECVNDA.
Cum privilegio Sacræ Cæsareæ Maj.
& Ordinum Belgicæ Fœderatæ.
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
PEKING
sive
PECHELI
PROVINCIÆ
PARS.
PROVINCIÆ
XENSI
PARS.
HONAN
PARS.
Taitung
TAIYVEN
Fuencheu
Pingyang
Lugan
Hoaiking
Changte
Chinting
Notarum Explicatio.
Exc. Ioannes Blaeu.
Stadia Sinensia, quorum 250 uni gradui respondent
Milliaria Germanica, quorum 15 unum Constituunt gradum

12



SECVNDA PROVINCIA, XANSI.



Uperata provincia *Peking*, versus occidentem solem occurrit *Xansi* provincia. Ea cum *Peking* nec magnitudine, nec nobilitate, nec populi quidem frequentia comparanda est, at rerum omnium fertilitate, imo & antiquitate superior est: nam à primis Sinæ incolis frequentari cæpta est, ut gentis referunt historiæ. Provincia est, si reliquas spectes haud ita magna, sed amœna & salubris, multis in locis montosa, non tamen inculta, sylvæ campique in montibus plurimi, ager ubique ferax, cujus nulla pars inculta jacet, frumenti abundantia & pecorum magna vis, oryzæ quidem parum producit, sed illius defectum supplet milii copia, eo in provinciis, quæ magis ad septentrionem vergunt, utuntur vulgo tenuiores, nec à nostro figura aut colore multum abludit, nisi quod minutius nonnihil sit, saporisque haud ingrati. plerique hic moribus candidi sunt ac simpliciores, urbani tamen ac officiosi. præcipue à formæ elegantia ac pulchritudine mulieres commendantur. *Xansi* nomen habet, quasi ad montium dicas occasum, à loco scilicet, quo sita: nam à provincia Peking per montes *Heng* separatur. Termini hujus provinciæ sunt ad Boream murus magnus, qui nunquam interruptus per totam provinciam ab ortu in occasum pergit, ultraque illum est regnum *Tanyu* & deserta solitudo *Xamo* à Sinis dicta. inde à Croceo ingenti rapidoque fluvio à Borea in Austrum profluente, magnasque undas volvente coërcetur. Is hanc inter & *Xensi* provinciam medius est, idemque ad ultimos provinciæ fines in ortum recta progressus limites statuit inter *Honan* provinciam. Tota hæc provincia parallelogrammum quodammodo efficit altera parte longius, cujus unum latus murus ille magnus, duo alia *Croceus* fluvius & quartum montes *Heng* constituunt.

Qualitas. *Termini.*

Numerus civitatum.

Numerat *Xensi* provincia urbes quinque tantum, quibus parent civitates duæ supra nonaginta, ut munimenta præteream, quæ suo referentur loco. In libro census Sinici continere dicitur hæc provincia familias 589, 959: viros 5084, 015, hoc est supra quinque milliones. tributum tritici vel milii est saccorum 2274022. byssi libras solvit 50. sericos pannos jam confectos omnis generis 4770. Straminis aut fœni fasces pro equis Regiis alendis 3544850. salis pondera 420, 000, quorum quodlibet est 124 librarum, atque hæc omnia numerantur præter teloniorum reditus.

Hominum. *Tributum.*

Vinum ibi ex uvis.

Uvas fert ac vitium propaginem: ex præ reliquis in hac tota extrema Asia repertis suavissimæ sunt, adeo ut si vinum ex uvis appeterent Sinæ, optimum hic & læto proventu possint conficere. at uvas tantummodo exsiccant, passasque per totam Sinam passim mercatores divendunt, uti & nuces. Patres Societatis nostræ, qui in hac provincia rem divinam promovent, ad Missæ sacrificium vinum ex uvis eliciunt, ex quo cæteris in proximis degentibus provinciis, utcumque providetur de annona, cum antea maximis sumptibus, periculis, ac laboribus petendum esset *Amacao*.

Ignis Sinensium rarus.

Res in hac provincia dictu mira est. ignei ibi putei sunt, non secus atque aquei apud nos. passim illi hic visuntur, magnoqne compendio & sumptuum parsimonia ad cibos coquendos adhibentur. putei os ita clauditur, ut foramina aliqua parva ad cacabum, quæ eum capere possint, relinquantur, atque ita nullo pœne labore cibos ibi coquere consueverunt incolæ. Audivi quandoque hunc ignem crassum esse, nec admodum lucentem, aut diaphanum, calidus quidem est, sed ligna injecta minime comburit. quin & in cannarum majorum tubis collectus facile circumfertur, ut cum lubet ad coquendum eo uti quis possit, aperto in canna foramine, quo erumpens ignis res leviores facile elixat, donec exspiraverit, miro naturæ arcano, si res ita se habeat, neque enim ipse id coram vidi, adeoque fides sit penes hosce Sinicos auctores, quos in iis, quæ comperi, raro inveni fallaces. In tota etiam hac provincia carbo ille effoditur, qualis fere apud Belgas Leodiensis est, eo ad alendum ignem ac hypocausta calefacienda utuntur passim Boreales Sinæ: prius

contusos perfringunt(lapides enim sæpe ingentes ac nigerrimos effodiunt) tum,uti & in Belgio moris est, aqua perfusos miscent massasque conficiunt: difficulter quidem ignem concipiunt,at conceptum semel diutissime vegetum urentemque fortissime,retinent.fornaces in hypocaustis Sinicis etiam plerumque uti in Germania ex lateritio sunt opere, sed ad modum lectuli exstructæ, adeo ut in cœnaculis non fornacem, sed lectulum videre te credas;& illis etiam ad incumbendum noctu sat commode hybernis temporibus servit.

Hypocausta Sinica.

Complura habet in hac Provincia templa Societas nostra,sed duo tantum,ad quæ est domus nostrorum ac stabilis sedes. ubique frequens hic est Christianorum numerus. loca, ubi nostrorum sedes, seu residentiæ, ut vocant, sunt, JESV nomine superposito insignita sunt.

Prima Urbs seu Metropolis

TAIYVEN.

Taiyven Metropolis originis antiquitate,ædificiorum splendore ac dignitate inter nobilissimas semper fuit habita, mœnia habet fortissima, adeoque ampla, ut trium leucarum spatium suo ambitu claudant. intus omnia plena sunt civibus. loco jacet admodum amœno ac salubri, cui lætum aspectum virides colles,ac nemorosi montes conciliant. ad occasum *Fuen* fluvius urbem præterlabitur, ac adjacentia loca longe lateque fœcundat: jam inde ab antiquis *Chevæ* familiæ temporibus regum fuit sedes: namque hic Imperatorum fratres regnarunt. tum *Tang* regnum dictum, post *Chao.* inde *Cina* familia extinctis regibus *Cinyang* dixit. *Tanga* familia hic Imperii sedem fixit, tumque *Peking* vocata est. *Utai* vero *Siking* & *Sunga* familia *Hotung* dixere, hodiernum nomen *Taiminga* indidit familia, in qua etiam regnavit *Taimingæ* familiæ auctoris filius.

Vrbis situs ac nobilitas.

Cum ergo tot in ea reges vixerint, minime mirum tam multa tamque splendida in ea reperiri ædificia, inter quæ præcipuum ac nobilissimum est palatium regium, magnitudine sua, ac structuræ varietate imprimis conspicuum, adhæc in vicinis montibus celeberrima sunt sepulchra, in quibus non sumptuosi minus, quam superstitiosi sunt Sinæ: ex marmore ea, aut secto lapide fabricantur:ingens sæpe occupant spatium, his adjecti ad splendorem pulcherrimo opere exstructi fornices, arcus triumphales nihilo sæpe Romanis inferiores, statuæ heroum virorumque illustrium, variorum animalium,leonum maxime & equorum. hæc omnia certo ordine continuaque serie,optimeque servata proportione, cujus studiosissimi sunt, disposita sunt; cupressus in quincuncem sæpe erectæ, quæ nulla umquam violandæ securi annosas efformant sylvas. quæ omnia coram sæpe oculis, dum sepulchra varia adirem, perlustrare mihi licuit.

Sepulchra magnifica.

Yvus Imperator hanc regionem *Kicheu* provinciæ accensuit sub constellatione *Seng* & *Cing* pro diverso ejus situ. Ingens est urbis territorium quod quinque & viginti includit civitates, quarum hæc sunt nomina. 1 *Taiyven*, 2 *Taiyven*, 3 *Juçu*, 4 *Taco*, 5 *Ki*, 6 *Siukeu*, 7 *Cingyuen*, 8 *Kiaoching*, 9 *Venxui*, 10 *Xeuyang*, 11 *Yu*, 12 *Cinglo*, 13 *Hokio*, 14 *Pingting* ○, 15 *Loping*, 16 *Che* ○, 17 *Tingsiang*, 18 *Tai* ○, 19 *Utai*, 20 *Kiechi*, 21 *Cosan* ○, 22 *Fan*, 23 *Hing*, 24 *Paote* ○, 25 *Hiang*. In hac regione reperitur etiam radix Ginseng,nec parva Muschi copia, quod describo alibi, ut funem contentionis de hac re apud Europæos abrumpam, lapidis lazuli, cujus colorem ultramarinum vulgo vocant, magnam profert copiam, vasa figlina hic efformant non spernenda. In Croceo ibi flumine præter cæteros certum genus piscium nascitur, *Xehoa* vocant, à lapideis scilicet in cute maculis, qui piscis nusquam reperitur, nisi ad *Paöte* civitatem, magnoque apud epulones in pretio est.

Civitates.

Multa eaque splendida heroibus habet dicata fana. præcipua septem sunt, inter quæ unum est *Çubia* dictum,in monte *Insiven* Hansinio fortissimo duci exstructum, aliud intra urbem *Siango* Regi prudentissimo ex familia *Chao*, de cujus statua ex pretioso lapide sculpta scribunt, quod postquam ab artifice perfecta esset, seipsam sponte erexerit, & ad locum præparatum, in quo stare debebat, processerit, dæmone malo forte miseros ludente Sinas.

Fana.

Quamvis in hujus urbis territorio montes non pauci sint, paucos tamen reperio memoria dignos, præter *Kiecheu* montem ad urbis Barrapeliotem: *Kiecheu* dicitur, quod ligans navem significat: nam memorant *Yvum* Imperatorem ad hunc montem navim suam alligasse,quando *Fuen* fluvium dirigebat: ad *Kiaöching* civitatem mons est *Hukive*, ex quo vis ingens optimi ferri effoditur,

Montes nobiliores.

ditur, ac ibidem arte fusoria quam plurima ex eo fiunt instrumenta. Est & *Cio* mons prope *P'ingting* civitatem à magnifico idolorum fano, ac cœnobio celebris, in quo multi sacrificuli communem degunt vitam dæmoni servientes. prope *Cosan* mons est *Siüe*, hoc est nivis, à qua nomen habet, quod ea fere semper albescat. dignus etiam qui recenseatur est *Xeleu* mons, licet horridis ac nudis verticibus constet, omnes altitudine fere supereminet, ad *Hing* civitatis territorium pertinet.

Flumina. *Cyn* amnis ad *Taiyven* civitatem, cujus unus ramus in Boream fluens is est, quem *Chipeus* rex effodi jussit, ut obsessam à se civitatem, cum capere eam non posset, aquis perderet, quod fusius in mea Sinensium historiarum epitome invenies descriptum.

Salicis usus. Ad urbis occasum torrens est *Lieu*, à salicibus, quibus utraque ripa abundat, dictus. Salices gens Sinica inter aspectu amœnas arbores numerat, sed non illas quarum rami recta in cœlum ascendunt, at eas potius, quæ ita emittunt ramos, ut ex alto inflexi quasi funes foliis ornati essent, ad terram usque pertingant, quos arte ita efformant ramo eminente rursum terra obruto, supereminente trunco, ramoque versus terram inflexo, qui cum facile radices agat, in arborem denuo excrescit, cujus rami omnes in contrarium versi pulchro amœnoque aspectu recreant intuentes, id Sinis & in aliis arbusculis familiare est, quod nos in arborum sepibus, aut pergulis subinde usurpamus.

Secunda Urbs
P I N G Y A N G.

Qualitas. Est quidem *Pingyang* urbs hujus Provinciæ numero ac loco secunda, sed quæ nec territorii magnitudine, nec præstantia aut civitatum numero Metropoli cedat, regio tota partim plana, partim montosa, ager fertilis cujus nulla pars inculta jacet præter eam, quam montes aliqui horridiores occupant, salubri fruitur cœlo, civitatibus ac oppidis referta sunt omnia. quin & ipsa urbs antiqua nobilitate ipsam metropolim superat, & inter præcipuas extremæ hujus Asiæ omnino censeri debet. fuit hic numquam satis à suis laudati Imperatoris *Javi* regia, qui ante vulgarem Christi Dei epocham imperavit annis bis mille trecentis quinquaginta & septem. jacet urbs ad orientalem ripam fluminis *Fuen*, quod à metropoli descendit, perque illud merces ascendunt, præest civitatibus quatuor supra triginta, earum 1 *Pingyang*, 2 *Sianglin*, 3 *Hungtung*, 4 *Fuxan*, 5 *Chaoching*, 6 *T'aiping*, 7 *Yoiang*, 8 *Jeching*, 9 *Kioyao*, 10 *Fuensi*, 11 *P'u*, 12 *Pu* ⊙, 13 *Lincin*, 14 *Yungho*, 15 *Yxi*, 16 *Van Civen*, 17 *Hocin*, 18 *Kiai* ⊙, 19 *Ganye*, 20 *Hia*, 21 *Venhi*, 22 *Pinglo*, 23 *Juiching*, 24 *Kiang*, 25 *Ciexan*, 26 *Kiang*, 27 *Yuenkio*, 28 *Ho* ⊙, 29 *Kie* ⊙, 30 *Hiangning*, 31 *Cie* ⊙, 32 *Taning*, 33 *Xeleu*, 34 *Yungho*. *Civitates.*

Regionem urbi circumjacentem varia nobilitant, fœcundantque flumina, *Croceus* illius occidentale & Australe latus alluit: *Fuen* & *Hoei* fluvii illius territorium dividunt, quod *Yvus* Imperator *Kicheu* Provinciæ adscripsit, ac dominio constellationum *Çu* & *Seng* attribuit: olim ad reges *Cyn*, & postmodum *Han*, mox *Chao* pertinuit. *Cina* & *Hana* Imperiales familiæ *Hotung* terris adnumerabant. *Tanga* familia hanc urbem *Cincheu* dixit, & *Utai Tinchang*, *Ivena* Tartarorum familia *Cinning* nomen dedit, cui *Taiminga* familia antiquum à *Javo* Imperatore inditum nomen restituit, quo etiamnum hodie vocatur *Pinyang*. *Hia* civitas singularem hic meretur locum ac laudem, quod patria sit *Yvi* Imperatoris, in qua & regiam imperialem constituit, à qua primæ à se apud Sinas fundatæ Imperialis familiæ nomen imposuit, ac *Hiäam* dici voluit. *Kiang* & *P'u* civitates majores à duobus templis vero Deo dicatis, ac à frequentissimis Christi cultoribus nobiles sunt, ubi duo è Societate Jesu Sacerdotes Christianam rem procurant, pauci scilicet operarii pro tanta messe. *Antiqua nomina.* *Societatis Jesu Templa.*

Fana nobiliora duodecim in hujus urbis territorio visuntur, ex his unum quadratis sectisque constat lapidibus, lapideisque columnis plurimis in monte *Çuikin*. est & aliud extructum sumptu vere regio prope *Taiping*, cuidam fidelissimo duci ad reliquorum exemplum à *Sunga* Imperiali conditum familia.

Montes nobiliores. *Golung* mons ingens prope *Sianglin*, inde Boream versus *Fuensi*, & *Fuenxan* civitates transit, in austrum vero excurrens ad *Kioyao* & *Yeching* usque civitates pertingit, ubi cum *Ulao* montibus conjunctus ad *Xensi* usque Provinciam, & ultra etiam in occasum continuo tractu pergit.

Pars monrium prope *Kiöyao* vocatur mons *Kiäo*, in eo *Hoangtii* antiquissimi Imperato-

peratoris corona, ac reliqua imperialia insignia sepulta sunt.

Xeuyang mons ad *P'u* civitatem est, ex eo memorabilis, quod duo illi Philosophi regio orti sanguine, ac regna contemnentes, se occultarint, ob Imperatoris Chevi nequitiam, cui servire dedignabātur; ut alibi noto.

Ibidem *Lie* mons, apud quem *Xunus* optimæ vitæ, ac nominatissimus Imperator apud hanc gentem, antequam eligeretur in Imperatorem agricola fuit. hic mons adhæc usque tempora spinas nullas, nullas malas aut noxias stirpes producit, ex viri meritis id factum fingunt.

Flumina. *Hoei* fluvius hujus urbis territorio particularis est, prope *Teching* originem habet, & recta versus occasum fluens in *Croceum* ignobiles immittit aquas. prope *Van civen* ex montibus aqua profluit, quæ hyeme calidissima est, æstate subfrigida.

Ad radices montis *Xeuyang* lacus est non contemnendæ magnitudinis, in quo *Xunum* Imperatorem piscari solitum scribunt.

Jeu lacus, hoc est salsus, prope civitatem *Kiang* majorem incipit, inde usque ad Ganye civitatis territorium extenditur, ejus circuitus centum & quadraginta stadia occupat. lacus totus salsus est ut aqua marina, ex eoque sal conficitur.

Tertia Urbs

TAITVNG.

VRbs hæc tertia nec antiquitate, nec magnitudine cum aliis est conferenda, sed fortitudine ac viribus, *Antiquitas.* tum ob loci commoditatem ac situm, tum ob mœniorum validam structuram insignis est, inter montes ipsa & totum illius jacet territorium, ad occasum præterea, ubi minus aspera est regio, & Tartarorum excursionibus cum majori subjacet periculo, non pauca numerat munimenta, in quibus ut & in ipsa urbe magnus militum est numerus, ac forte præsidium. primum hæc regio Sinis subjecta est à regibus *Chao* sub finem *Chevæ* familiæ, & tunc *Petie* vocabatur *Cina* familia Imperialis *Junchung* dixit, *Tanga* Juncheu, ab eo tempore continuo *Civitates.* *Taitung* nomen obtinuit. regit urbs civitates undecim, 1 *Taitung*, 2 *Hoaigin*, 3 *Hoenyuen*, 4 *Ing* ○, 5 *Xanin*, 6 *So* ○, 7 *Maye*, 8 *Guei* ○, 9 *Quangling*, 10 *Quangchang*, 11 *Lingkieu*. In montibus optimus reperitur lapis lazulus. animalium pelles pretiosiores cum reliquis communicat urbibus. Porphyritis, ac marmoris magna ibi vis, & variegati coloris jaspidem suppeditat. Fana nobiliora quinque habet, & unum cauponi illi dicatum, qui demortui apud se hospitis magnam auri summam fidelissime ejus filio patrem quærenti restituit: licet nec filius, nec alius quispiam de auro illo quidquam sciret. raram hanc apud Sinas virtutem tanti æstimarunt, ut inde & civitati Hoaigin (quod amplectens pietatem sonat) nomen sit factum, & viro illi templum erexerint in gratæ memoriæ argumentum, vocaturque templum ipsum *Ch'anggin*, hoc est continue pium.

Montes. Ad *Hoenyven* est montis *Heng* pars, ubi raros flores, ac præclara ex herbis medicamenta Botanici Sinæ undique adventantes carpunt ac colligunt, nulli tamen ulli arbori, nescio qua superstitione ducti, audent securim impingere.

So civitas montem habet *Jueny*, cui nomen dedit ibi sepulta *Guei* regis charissima psaltria.

Ad *Quangcha'ng* est *Hiang* mons ingenti ac annosa pinorum sylva spectandus, in cujus medio idolorum fanum ac sacrificulorum cœnobium.

Tape mons ad *Lingkieu*, ex quo terram ita rubram hauriunt, ut minium, quo ad sigilla rubra Sinica imprimenda utuntur, subinde suppleat.

Flumina. Nihil de fluminibus occurrit particulare præter ea, quæ sunt in mappis, nisi quod ad urbis occasum lacus sit parvus à flumine ortus, qui *Kiunçu* lacus dicitur, hoc est probi viri, namque ibi habitabat ille, qui aurum restituit.

Prope *So* civitatem in monte *Tenking* lacus est immensæ profunditatis, qui suo ambitu stadium continet.

Quarta Urbs

LVGAN.

LUgan urbis regionem *Yvus* Imperator *Kicheu* provinciæ adscripsit, constellationibus *Sang* & *Cing*: *Cheva* fa- *Qualitas.* milia regem hic constituit, *Liheum* condens regnum: quod deinde *Han* reges occuparunt, mox *Chao*: regibus autem omnibus extinctis *Cinæ* familiæ primus Imperator Xantang hanc urbem vocavit. *Tanga* familia *Chaoy*: *Sunga Chaote*, hodiernum nomen

nomen habet à *Taiminga*, in eaque Imperator consanguineo regalem sedem constituit, magnifico ad id exstructo palatio, unde dives ac potens effecta est. jacet ad Borealem ripam *Chang* fluvii, amœno satis loco. territorium quidem haud ita magnum est, at illius exilitatem amœnitate compensat. haud multum aliis cedit, omniaque ad victum & amictum necessaria abunde suppeditat. parent huic urbi civitates octo tantum, quarum 1 *Lugan*, 2 *Chançu*, 3 *Tunlieú*, 4 *Siangheng*, 5 *Luching*, 6 *Huquan*, 7 *Liching*, 8 *Pingxun*. duo tantum majoris notæ fana habet, unum *Xinnungo* in monte *Peco*, hoc est, omnium frugum, ubi etiam puteus visitur apud quem scribunt *Xinnungum* primum Sinarum Imperatorem, nescio à quo oblata accepisse frumenti, milii ac leguminum semina, illiusque sementis faciendæ modum, ac colligendæ messis; dicerent hîc Poëtæ & Cererem ad Sinas forte fecisse iter. *Xinnungus* dein eandem artem subditos docuit, atque ad perpetuam gratamque rei memoriam hoc fanum non exiguis sumptibus est exædificatum.

Civitates.

Fakieu mons prope *Changçu* à turturum copia, qua scatet, dictus. sylvas alit quamplurimas, est in eo castellum ad regionis tutelam.

Montes nobiliores.

Lin mons est prope *Tunlieu*, in quo artis jaculatoriæ peritissimus ille Heuyus septem sagittis totidem volantes aves, unam post aliam transfixit.

Ad *Luching* mons est *Funieu* sive abscondens vaccam, nam crudelem hic furibundamque fuisse vaccam scribunt, complurium morte infamem, à quodam demum viro ignoto intra montis cavernam abductam cum eo numquam amplius alias apparuisse.

De fluminibus nihil admodum occurrit memoratu dignum, nisi quod *Chang* fluvius prope *Lugan* originem habeat, in montibus *Sin* flumini vicinis.

Flumina.

Quinta Urbs
FVEN CHEV.

Per *Fuen* fluvium ascendentibus in ejus ripa, qua occidentem spectat, medio Metropolim inter & *Pingyang* urbes itinere, hæc nobis occurrit, loco ad commercia peropportuno sita. illi à flumine nomen est. Regio quidem hæc scatet montibus, non ideo tamen squallet inculta: quippe frugum fertiles agros, & virides sylvas & gratissima pecori habet pascua, laudatissimus hic ex oryza conficitur potus, vino nostrate nihilo inferior, maceratis in eo hædorum carnibus nescio qua arte medicatis. maxime æstimatur à Sinis, optimæ est substantiæ, magnarum virium, & saporis suavis ac jucundi, *Yangcieu* vulgo, quasi vinum hœdinum, dicunt. intra mœnia rex habitat *Taimingæ* familiæ nobili ac magnifico extructo palatio, extra portam, quæ orientem solem respicit, aliud quoque palatium visitur sumptuosum pariter & antiquum, ubi *Jang* rex æstatis tempore æstivos solitus est fallere calores, regnavit is, anno post Christum Deum natum decimo supra sexcentesimum. templa heroibus dicata celebriora sunt quatuor. præest civitatibus octo, quæ omnes ab ortu in occasum inter *Fuen* fluvium & Croceum occurrunt, 1 *Fuencheu*, 2 *Hiàoy*, 3 *Pingjào*, 4 *Kiaihieu*, 5 *Ninghiang*, 6 *Lingxe*, 7 *Jungning* ☉, 8 *Liñ*.

Situs.

Potus rarus.

Civitates.

Sub *Yvo* Imperatore ad *Kicheu* provinciam pertinuit, sub asterismo *Seng*: fuit olim regum *Cyn*, inde *Guei*, ac *Chao*: *Cina* & *Hana* familia eodem nomine *Taiyven* vocitavere, *Tanga Haocheu*, *Taiminga* hodiernam appellationem dedit.

Vanhu mons ad urbis occasum est omnium altissimus, nomen illi à decem hominum millibus, quæ, cum subinde ingens terrarum orta esset eluvies, illius subiisse verticem, ibique aquarum evasisse periculum feruntur.

Montes insigniores.

Ad *Hiàoy* mons est *Caotang*, in quo thermæ ac calidi fontes plurimi, & ignis illius, de quo supra egi, putei crebri visuntur.

In fluminibus nihil est singulare præter lapsum aquæ ingentem, seu catadupam in montibus prope *Pingjào*, cujus fragor ad plura exauditur stadia, adeo ut non multum antiquis illis Niloticis debeat.

Flumina.

Fontes calidi ebullientesque quam plurimi ad *Hiàoy* Puteolos Italiæ quodammodo repræsentant, quod si Sinæ harum rerum aut studiosi magis, aut curiosi forent, facile eosdem ex hisce effectus nancisci possent, sunt enim qui saporem varium, ac colorem ex iis habeant.

Civitas major Sin.

Absolutis urbibus supersunt civitates majores aliquæ quas Sinæ *Cheu* vocant, quæ licet quibusdam ex aliis civita-

vitatibus præſint, non habent tamen urbis nomen neque dignitatem. Prima ex iis eſt *Sin* civitas, quæ in exiguo eoque montibus pleno terræ ſpatio duas alias complectitur, ſecundam nimirum *Siniven*,& tertiam *Vuhiang*. altiſſima eſt hæc hujus provinciæ regio, craſſioremque ac frigidiorem, quam vulgo aliæ, patitur aërem; montes adeo alti ibi ſunt quidam, ut eos pertranſeuntes notabilem ibi aëris mutationem facile percipiant, ita ut ſubinde vix ad reſpirationem denſus ſatis eſſe, aut attrahi commode poſſe videatur. In his *Chochang* fluminis ſcaturigo eſt. fana ſunt nobiliora tria, ex iis unum nobiliſſimum, multumque olim ab ipſis regibus frequentatum ad Auſtralem civitatis partem *Venchung* dictum, in quo ingens adſervatur bibliotheca ac muſæum regium, in quo multi ex vetuſtioribus regibus litteris ac ſtudiis dedere operam.

Qualitas.

Secunda civitas major Leâo.

LEâo civitas major duas alias ſub ſe continet, *Juxe* nimirum, & *Hoxun*: hujus regio haud multum priori abſimilis, ad ortum continuis *Heng* montibus clauditur; nobilitat eam radix *Ginſeng*, muſchuſque, quibus abundat. Duo magnifica habet fana, quorum unum *Sienchin* à familia Imperiali *Cheva* exſtructum duci cuidam, qui eo in loco inſignem reportavit victoriam, quamquam ex pugna ita læſus, ut ſtatim poſt obierit, ibidem magnificum illius ſepulchrum eſt.

Tertia civitas Çe.

ÇE civitatis regionem ab hoſtium incurſione tutiſſimam eſſe ſcribunt Sinæ: nam à montibus *Croceo*, & *Sin* fluvio undique clauditur, adeo ut aditum arctiſſimæ montium fauces admittant. regit hæc quinque alias: 1 *Çe*, 2 *Caoping*, 3 *Jangching*, 4 *Linchuen*, 5 *Sinxui*, quæ omnes in planitie vallium ſitæ, præter *Caoping*, quæ in monte eſt *Hanuang*, ibidem altiori loco ædificata amœniſſimo gaudet deſpectu ſubjacentium vallium. nihil hîc admodum memoratu dignum, præter amnem *Tan*, hoc eſt rubrum, ejus enim aqua ſanguinem colore refert, ſcribunt Sinæ olim fuiſſe limpidam, ſed à Pei fideliſſimi *Chao* Regum præfecti ſanguine rubrum colorem accepiſſe, atque hactenus conſervaſſe, quod ad amnis ripam violentas ſibi intulerit manus.

Aqua rubra.

Munimenta.

NUmerat hæc Provincia majora munimenta, mœnibus cincta, omnino quatuordecim, ad muri imprimis magni & itinerum cuſtodiam: aliqua ex iis magnitudine ac frequentia ſuperant ipſas civitates, horum nomina hæc ſunt: 1 *Gueiyven*, 2 *Jeuguei*, 3 *Çoguei*, 4 *Maye*, 5 *Vanglin*, 6 *Jangho*, 7 *Caoxan*, 8 *Tienching*, 9 *Chinlu*, 10 *Cingyven*, 11 *Pinglu*, 12 *Chungtun*, 13 *Gentung*, 14 *Tungxing*.



TERTIA

TERTIA PROVINCIA,
XENSI.



Vre merito nobilissima hæc *Xensi* Provincia cum cæteris omnibus extremæ hujus Asiæ præcipuis de magnitudine ac antiquitate certet: quippe quæ ab antiquis temporibus Sinensium fere omnium fuerit Imperatorum sedes, ab ipsis Sinarum initiis ad exitum usque *Hanæ* familiæ, hoc est ad annos post Christum natum sexaginta & quatuor supra ducentos: prima hæc quoque, quantum constat ex vetustissimis Annalibus, à primis Sinæ incolis fuit habitata, ac eos quidem ab occasu magis versus ortum processisse non ita multo post communem illam orbis terrarum eluvionem, multis iisque admodum firmis rationibus persuasum mihi est. Cæterum est hæc Provincia ex Borealioribus ea, quæ maxime vergit ad occidentem, ad regna enim Prete Joan, *Cascar* & *Tebet* pertingit, quæ omnia Sinæ *Sifan* communi appellant nomine. *Tanyu* etiam Tartarorum regni à Borea in occasum limites prætergreditur, à quibus muro illo magno, ac aliquot ad ejus viciniam extructis munimentis sejungitur: murus non totam omnino hanc pertransit Provinciam, sed tantum pervenit ad Crocei usque fluvii ripas, reliqua quæ supra fluvium sunt, muro carent, atque sitientis inter arenæ campos, ac Crocei latissimam profunditatem intercepta tuta sunt satis: olim frequentius quam modo regio hæc fuit culta. Idem Croceus medius inter hanc & *Xansi* Provinciam fluens limes est ad ortum, adeo ut tria quodammodo hujus Provinciæ latera ingens ille fluvius Croceus efformet; quartum, quod ad Australem partem superest, continui ac densissimi montes claudunt, per quos ab *Honan*, *Suchuen*, & *Huquang* separatur.

Antiquitas.

Limites.

Multitudo hominum ac rerum copia.

Dicitur hæc Provincia habere familias 83,1051. Viros 393,4176, pro tributo ordinario solvit tritici miliive saccos 192,9057, byssi libras 360, serici confecti omnis generis 9218, gossipii 17172, panni gossipini 12, 8770, pro equis regiis fœni fasces 151,4749, demptis teloniorum, aliarumque rerum singularium plurimis vectigalibus ac reditibus: complectitur suo sinu nobiles urbes octo, civitates centum & septem, præter militares alias ac munimenta, quorum præcipua sunt undeviginti, de quibus infra agemus.

Qualitas.

Aër hujus regionis mitis ac clemens est, fertilis terra ob torrentium ac fluviorum exundationes, cultorumque frequentiam, omnium rerum, quæ ad usus humanos faciunt, felix ibi proventus: venæ auri complures, tantaque ejus copia, ut licet terræ scrutari viscera, aut fodinas aperire patriis legibus sit vetitum, infinita tamen hominum multitudo ex hujus collectione ac questu, dum fluviorum rivulorumque aureas arenas, quas à venis deducunt, multiplici lotione colligunt, facile vitam transigant; populus hic ut plurimum humanus est, hospitum amans, mores suaviores præ se fert, neque adeo ad studia ut reliqui Borealiores Sinæ, ineptus est.

Pluviæ defectus ac locustæ molestæ.

Illud hæc provincia habet incommodi, quod magis quam reliquæ Boreales pluviæ penuriam sentiat, tantamque sæpe patiatur locustarum populationem, ut, tametsi à Magistratibus cogantur omnes hominum ordines in campum egredi ad locustarum quasi bellum ac internecionem, ita tamen illæ quandoque depascantur omnia, ut nihil pæne viride in agris relinquant: tantæ sæpe sunt earum nubes, ut, veluti eclypsim minarentur, orbem solarem obtegant, omniaque ad quæ oculus humanus pertingere potest, molestissimis hisce insectis obsita sunt. Sinæ tamen à locustarum cibo non abhorrent, elixasque non pauci in deliciis ac precio habent: hæc regio perparum licet producat oryzæ, tritici tamen ac milii feracissima est: quin & ob nimiam tritici luxuriem, dum ad aliquam excrevit altitudinem sæpe coguntur oves suas in agros immittere, ut segetes hyberno etiam tempore in herbis depascant, quæ mox vere renascens plus virium habere creditur, quod experiuntur etiam subinde Europæi.

Rheubarbarum Sinense.

Hæc Provincia multa etiam, eaque præclara suppeditat medicamenta, rheubarbarum imprimis, quod non sylvestre est, ut

putant

putant quidam, sed diligenti culturæ arte indiget. Sinæ vulgo *Taihoang* vocant. radix est sat solida, tuberibus hinc inde prominentibus, foliorum forma haud ita procul abest à caulibus nostratibus, quos tamen magnitudine superant, radices uno pertusas foramine in umbra suspendunt ac siccant: nam in sole suspensæ vim amittunt. ex hac & *Suchuen* altera Provincia, est magna ex parte rheubarbarum omne, quod ad nos in Europam defertur, nimirum per mare Indicum, vel *Cascar*, Astracaniam & Russiam, vel per *Tebet*, *Mogor*, & Persidem: nemo enim est magnopere rerum peritus (quod equidem sciam) qui in illis regionibus nasci rheubarbarum velit, sed inde nos habere asserunt, quia ab illis affertur emiturque nationibus, & ex Sina allatum esse ignoratur. Turcæ autem & Samarcani quotannis fere fictitiis Regum suorum adornatis legationibus Sinam (quam Catayum nominant) ingrediuntur, ut sub hujus legationis specie liberius commercia sua cum Sinis exerceant, cautum tamen est à Sinis ne ulli prætterquam soli legato, adscitis paucioribus nonnullis ostentationis splendorisque causa comitibus, ad interiora regni, maximeque *Pekinensem* Imperatoris aulam penetrare sit permissum. reliqui extra murum subsistere coguntur ad *Cancheu* & *Socheu* civitates, ubi hujus Provinciæ prorex alter sedem habet, qui hujuscemodi ibi negotiis, ac ipsis Tartaris, ne qua irruptio derepente accidat, acriter solet invigilare. sed de his alias suo loco agam opportunius.

Iaspis apud Sinas in pretio.

Inter cætera pretiosiora cimelia jaspidem afferunt, lapidem ibi magno in pretio, atque æstimatione, hunc Sinæ *Yu* vocant; comparatur à mercatoribus ex regno *Tarken*, eum magno hic distrahunt quæstu, atque lucro. Gagatem aut Jaspidem Europæum refert, nisi quod pellucidior sit, & intermixto subinde tenuiori colore cæruleo albescat, facile adducor ut credam unum hunc esse ex iis, quos Sacræ litteræ recensent, atque inter duodecim lapides illos pretiosos, qui vesti Aäronis attexendi erant, enumerat, si modo magnitudo lapidis quadrata tanta reperiri possit, ut unum illius latus dimidium palmum æquet, qui tum inæstimabilis evadit pretii, atque à solo Imperatore comparari solet; ex lapidis hujus sectis elaboratisque frustulis, summi præfecti, primique ordinis Magistratus cingula sua ac zonas conficiunt, cæteri vel ex auro, argento aut ebore aliave simili materia pro cujusque, quo fungitur, officio ac dignitate.

A Sinis hi mercatores ingentem vim rheubarbari, Muschi rerumque similium coëmptam efferunt, quæ omnia Sinenses Mercatores ad *Cancheu* illius fori seu commercii civitatem quam maturrime convehunt, cum primum inaudiunt Caravanas seu turmas illas institorum advenisse.

Muschus proprie quid sit.

At ne diutius, quid Muschus sit, quispiam hærere possit, dicam ipse plus vice simplici testis oculatus. tuber seu exuperantia quædam ad umbilicum animalis est, parvum marsupium referens, subtili pellicula ac subtilissimis pilis vestita constans. animal ipsum Sinæ *Xe* vocant, inde *Xehiang*, hoc est animalis *Xe* odor, seu fragrantia quod muschum significat, quadrupes est, exili cervulo non absimile, pilo paulo magis nigrescente, cornuum omnino expers est, caro occisi etiam pro cibo adhibetur à Sinis: in hac Provincia, prætereaque in *Suchuen*, *Yunnan*, locisque illic ad occasum vicinioribus ingens Muschi reperitur copia, ut suo dicam loco. Tubera illa seu marsupia si sincera sunt, minimeque adulterata, præstantissima sunt, adeoque vehementis odoris, ut organum ipsum, sicut & zybethus pura, omnisque lux aut sonus æquo vehementior aures, aut oculos, odoratum offendant: at versipelles Mercatores ex sanguine, pellibus, aliisque animalis exuviis muscho additis, marsupia, quæ pellis animalis subministrat, infarciunt, ac tanquam vera ac genuina venditant. Conficitur etiam in hac *Xensi* Provincia tum lana ovina, tum caprinis pilis pannus vestisque delicatior, quæ Mediolanensium pannis, Sayettas vocant, aut nihil debet omnino, aut multis passibus superat: tapetes illic quoque pingunt haud contemnendos, aliaque similia, ac præcipue pileolos illos acutos nostro omnino modo efformant, sed sine alis ac margine, quibus apud Sinas milites communiter utuntur ac viri, hæc fere omnia toti extremæ Asiæ *Xensi* Provincia suppeditat; ex pilis autem caprinis tantum adhibent interiores, & hybernam lanuginem (hybernam vocant Sinæ, quia hyeme illa animalibus subnascitur, natura ipsa frigus arcente) qua plane nihil mollius aut subtilius.

Lex Christiana olim in Sinis.

Quod imprimis celebrem hanc Provinciam facit, est antiquissimus ille lapis partim Syriacis, partim Sinicis litteris exaratus de lege divina per Apostolorum successores ad Sinas allata: in eo Episcoporum ac Sacerdotum illius temporis nomina, ac Imperatorum

ratorum Sinenſium in eos favores ac indulta leguntur. brevis etiam, ſed exactiſſima & plane admiranda legis Chriſtianæ explicatio eloquentiſſimo ſtylo Sinico compoſita continetur, de his multa favente Deo dabit ſecunda Decas epitomes hiſtoriarum Sinenſium: repertus eſt hic lapis Anno M DC XXV, cum in civitate *Sanyven* eruta terra foſſa quædam fundamentis muri cujuſdam collocandis præpararetur: de invento monumento mox certior factus loci gubernator, cum venerandæ antiquitatis, cujus amantiſſimi ſunt Sinæ, veſtigia propius fuiſſet intuitus, continuo ſcripto quodam in monumenti laudem edito, in altero ejuſdem magnitudinis lapide totam inventi ſaxi perigraphen incidi curavit iiſdem characterum notarumque ductibus, qua par erat fide ſervatis. cujus prototypi exemplum Patres noſtri una cum interpretatione Romam tranſtulerunt, ubi hodieque in bibliotheca domus Profeſſæ Societatis JESV adſervatur cum interpretatione, quæ Romæ impreſſa fuit anno M DC XXXI. Eſt autem lapidis figura in modum parallelogrammi extenſa quinque palmis lata, uno craſſa, longa fere decem, in fronte crux eſt, qualis fere Equitum Melitenſium: hujus accuratiorem notitiam ſi quis deſideret, inveniet rem totam eleganti deſcriptione fuſius explicatam, deductamque in prodromo linguæ Copticæ R. P. Athanaſii Kircheri. & in relatione de Sinis R. P. Alvari Semedo.

à Societate Ieſu reſtaurata.

Oblitteratam hanc legis Dei notitiam, longiſſimique temporis intervallo deletam ex hominum memoria, poſtliminio revocarunt, reſtauraruntque denuo Patres Societatis noſtræ, pluribus Deo vivo ac vero templis erectis, magnoque Chriſtianorum numero cultis, ac pietate ſumma celebratis: duo ibi è patribus noſtris vineam illam Domini novellam ſtrenue excolunt, eorum unus in ipſa Metropoli ſedem fixit, alter per Provinciam ad Dei promovendum cultum, atque animarum bonum huc illucque, ubi major exigit neceſſitas, ſubinde proficiſcitur, ut omnibus ubique ſalutis panem petentibus frangat ac communicet.

Urbs prima ſeu metropolis
S I G A N.

Sigan urbis magnitudo ac nobilitas.

SIgan metropolis, ſi quæ alia, amœna ac pulcherrima regione ſita, magnitudine, antiquitate, mœniorum firmitate ac robore, proſpectus elegantiâ, emporiique frequentia paucis cedit; mœnia habet trium Germanicorum milliarium ambitu, fortiſſima, adeoque magnifica, ut aurea habere mœnia dicatur à ſuis, in his turres aliis longe eminentiores, egregioque elaboratæ opere, debitiſque intervallis diſpoſitæ cernuntur: quatuor tantummodo in mœnibus habet portas ad cuſtodiam ſecuritatemque majorem. antiquitatem illius vel inde colligе, quod in ea tres Imperiales familiæ regnarint, *Cheua* nimirum, *Cina* & *Hana*. Eam ob rem tota urbs ſplendidiſſimis ædificiis referta eſt tum intra tum extra muros, pulchritudinem ejus mire auget proſpectus ad urbem amœniſſimus, quamvis enim ad auſtralem *Guei* fluminis ripam ſita ſit, ita tamen acclivis eſt, ut ædificia paulatim montem ſubeuntia una cum mœnibus quaſi amphitheatrum quoddam jucundiſſimo aſpectu repræſentent, cui ſubjectus fluvius non parum elegantiæ ac commodi affert. Libro opus foret, ſi quidquid iſthic rari, enumerare velim, ne quid tamen magnopere ſcitu dignum prætercam, hæc paucis habeto:

Pontes.

Tres habet urbs pontes ſupra *Guei* fluvium, unus ad Ortum eſt, in medio alter, tertius ad Occaſum, omnes pluribus, iiſque altiſſimis arcubus conſtant, ex ſectis quadratiſque lapidibus, accedunt podia, ferreæ trabes, leonum ſtatuæ, ſimiliaque ornamenta ad ſolitudinem operis ac ornamentum: quartum his tribus non abſimilem *Lantien* habet civitas, reliquos minoris nominis ac notæ adſcribere, vix viſum operæ pretium. Eſt & turris *Yen* dicta Novizonia, totidemque altiſſimis contignationibus adſurgens, quæ hujus loci reliquas altitudine ac ſplendore ſuperat, lapidea tota eſt, ac intus marmore obducta, ſed alibi haſce moles deſcribendi locus erit opportunior: ad Occaſum urbis ſeptum aqueum eſt, ſeu Vivarium, *Viyang* dicitur, undique muro clauſum, ſuoque ambitu triginta complectens ſtadia, partem *Lungxeu* montis intercipit, & ad fluvium uſque *Guei* pertingit, ex quo deducti canales Lacus, ſtagna, ludicriſque naumachiis exhibendis fluida theatra conſtituunt, intra muros ſeptem numerantur ſuperba palatia, & ſeptemdecim aulæ ſeu theatra tholo cooperta ad variam animi voluptatem remiſſionemque per totum ſepti ſpatium ſtructa, inter quæ ſeptem reliqua & magnitudine & ornatu antecellunt. ibidem admodum ſumptuoſa antiquorum regum ſepulchra videre eſt, inter quæ ſunt *Cavi, Veni, Vui* vetu-

Vivarium magnificum.

ſtiſſimorum Imperatorum veneranda antiquæ memoriæ monumenta; fana habet plurima, undecim ex iis magnitudine ac ſplendore eminent, ſed & inter tot profana ſuus ſacris locus jam eſt, Deoque à Patribus Societatis IESV in ipſa urbe dicatum templum non ultimo loco numerandum, quod à Sinis Tartariſque modo etiam Chriſtianis noſtrorum opera redditis valde frequentatur, cum enim degat in hac urbe Regulus cum non contemnenda Tartarorum manu, non pauci jam nunc ex his ad Chriſti caſtra acceſſerunt, Chriſtianiſque ſacris ſunt initiati, faxit Deus, ut, quo auctore cœpit hoc opus, eodem capiat incrementum.

Antiqua nomina.

In *Yvi* diviſione ad Provinciam *Yung* hæc regio pertinuit ſub conſtellationibus *Cing* & *Quei*, *Chevæ* Imperialis familiæ patria fuit, ac Imperii ſedes, *China* familia *Quangchung* dixit, Regum tempore *Cyn* rex hic imperitavit, poſtmodum *Guei*, mox *Suius*, extinctis regibus *Yunghing* nomen dedit *Sunga* familia, *Juena Ganſi*, & *Taiminga* tranſpoſitis tantummodo ſyllabis *Sigan*, quod Occidentis quies ſignificat.

Civitates.

Urbis territorium amœnis plerumque ſcatet montibus, ingens ſpatium loci occupat, omniaque neceſſaria abunde ſuppeditat, numerantur in eo civitates ſex ſupra triginta: 1 *Sigan*, 2 *Hienyang*, 3 *Hingping*, 4 *Linchang*, 5 *Kingyang*, 6 *Caoling*, 7 *Hu*, 8 *Lantien*, 9 *Livo*, 10 *Xang* ⊙, 11 *Chingan*, 12 *Tung* ⊙, 13 *Chaoye*, 14 *Hoyang*, 15 *Ching Ching*, 16 *Pexui*, 17 *Hanching*, 18 *Hoa* ⊙, 19 *Hoayn*, 20 *Gueinan*, 21 *Puching*, 22 *Conan*, 23 *Xanyang*, 24 *Xangnan*, 25 *Yao* ⊙, 26 *Sanyven*, 27 *Tungquon*, 28 *Fuping*, 29 *Kien* ⊙, 30 *Fungciuen*, 31 *Uucung*, 32 *Jungxeu*, 33 *Fuen* ⊙, 34 *Xunhoa*, 35 *Xanxui*, 36 *Changuu*.

Rara.

Hic cervi, lepores, damæ ſimileſque feræ quamplurimæ capiuntur. Eſt & veſpertilionum genus, magnitudine gallinis noſtratibus par, horum caro à Sinis Gallinarum ferculis præfertur; genus etiam eſt herbæ, quæ comeſta triſtitiam cito pellit, riſum ac lætitiam parit, creſcit ea potiſſimum in monte *Nieuxeu*, Sinæ *Quei* vocant; illic terra etiam effoditur candidiſsima, à mulieribus loco ceruſſæ expetitur & adhibetur: pulchritudinem quippe earum auget, dum aqua diluta omnes nigricantes corporis maculas ac nævos abigit ac delet. *Quei Ki*, hoc eſt, nobilis fœminæ, nomen habet.

Meretur *Sanyven* civitas laudem à muſcho, panniſque è caprarum pilis textis, quorum copia nobilis eſt, emporiumque dives ac frequens.

Montes inſigniores.

Linchang civitas montem *Limon* habet, in quo fons chryſtallo ſimilis, mirabiliſque naturæ eſt: quamvis enim aquam quatuor cubitis vix habeat altiorem, ſuperior tamen illius pars frigidiſsima eſt, at in fundo adeo calet, ut nemo pedes ad fontem continere poſsit.

Mirabilis naturæ fons.

Jo mons ad *Lantien* viſitur, ex quo minerale eruitur coloris cærulei, quod veluti glaſtum ad tingendas veſtes expetitur, ibidem *Ciepuon* mons eſt magnus aſcenſuque arduus ac perdifficilis, in quo munimentum eſt ad itineris tutelam. Ad *Uucung* mons eſt *Taipe*, qui inter fortunatiſsimos à ſuperſtitioſis montilogis ſeu ὀρoσκόποις iſtis undecimo cenſetur loco: ajunt in eo pulſata tympana, fulgura ac fulmina, ingentes excitare tempeſtates, unde ſevere cautum nec ulli omnino licitum ibi tympanis pulſandis admovere manum.

Ad *Xunhoa* eſt mons *Canciven*, hoc eſt dulcis fontis, nam fons aquæ dulciſsimæ in eo ſcaturit, ſupra quem aula ac domus ſplendida ad voluptatem relaxationemque animi eſt exædificata.

Flumina.

Guei fluvius nobilis ad Boream, urbem irrigat, ac paſcua fœcundat, originem habet ad *Gueiyven* civitatem in ea Provinciæ parte, quæ ad Occidentem vergit: inde verſus ortum progreſſus, nonnihilque in Auſtrum deflectens, demum, in turbidum *Croceum* influens, illum pellucidis ſuis undis nequicquam clariorem reddere tentat; non ignobilis quoque fluvius *King* ad Boream ipſius urbis *Guei* fluvium ſubit.

Tie amnis in *Nan* montis altiſsimo ac nudo vertice emicat, indeque ingenti ſtrepitu, ac impetu aquarum præceps delabitur.

Ad auſtrum metropolis lacus eſt utcumque magnus, *Fan* dicitur, à concurſu fluviorum oritur. eſt & alius lacus ad ortum *Tungquon* civitatis. ad urbis Notapeliotem lacus eſt arte factus, deductis ex *Guei* fluvio canalibus, quem ad honeſtam animi relaxationem formavit ornavitque *Hiaouus* Imperator, adjectis inſigni Palatio, ſylvis, cultiſsimiſque floribus, quo in loco animi gratia ſæpe ſuis convivia, ſæpe etiam comœdias aliaque ſpectacula exhibere conſueverat. Idem Imperator ad urbis Notolybicum alium quoque effodi curavit lacum, *Quenming* vocitatum, in eo milites ſuos ſubinde ludicra pugna tamquam in *Naumachia* pugiles

Ludicræ Naumachiæ Hiaouui.

giles instituebat, quo paulatim præliis navalibus adsuescerent, cum enim bellum in Australiores Provincias meditaretur, ubi omnia navibus atque aquis abundant, suos ad certamina futura ludicris hisce exercitationibus informabat, ut ibi non secus atque apud Romanos militiæ ponerent tyrocinium: ad Austrum lacum ingentem alium, ac juxta amœnissimum viridarium constituit, *Silen* vocant, quo post ludicra hæc spectacula diverteret ad quietem, in eodem lacu ingentem statuit lapideum piscem, eumq; ad instar scopuli sub aquis erexit, firmavitque, ut eum susque deque præternavigantes nautæ, scopulos ac brevia vitare discerent. scribunt hunc piscem, quotiescumque imminet pluvia, ingentem boatum emittere, forte ex sono echus cujusdam vicinæ repercusso. tradunt præterea, visum sibi in somnis videre quandoque hunc Imperatorem, piscem illum hamo captum à se suppetias petere, opemque implorare, die postera verè in ipso lacu hamo captum piscem reperisse, ideoque eum somnii memorem solvisse piscem, liberumque abire jussisse: cum autem postmodum piscationi operam daret, in reti suo duos ab eo repertos uniones, *Mingyue* Sinæ vocant, hoc est lapides claræ Lunæ, qui ita dicti sint, quod juxta Lunæ ætates luminis incrementa susciperent, paterenturque decrementa, uti vulgo de Selenite asserunt. similes porro adhuc apud Sinas extitisse, atque etiamnum in aulæ palatio exsistere sunt qui contendant, pretii autem eos ac valoris inæstimabilis volunt, hosce lapides ubi accepit Imperator, hoc enimvero, inquit, illius, quem hamo exemi, ac libertate donavi, grati piscis munus est.

Fabulæ Sinarum.

Secunda Urbs

F V N G C I A N G.

Jacet *Fungciang* urbs ad Borealem ripam *Ping* fluvii: nomen illi à Phœnice ave, sive illa, quam Sinæ maximæ felicitatis signum putant, & nonnisi rarissime videri ajunt, *Fung* vulgo vocant, *Ciang* vero felicitatem significat, è quibus duobus compositum hoc nomen. Avem hanc mira colorum varietate insignem pingunt ac prædicant, semperque solam ac rarissime optimo totius Imperii omine apparere, ego haud difficulter phœnicem esse crediderim, aut certe ex aquilarum genere versicolorem atque ignotam speciem esse aliquam, cujus figura tapetes suos vestesque pretiosiores exornare subinde solent Sinæ. Est hæc urbs magna satis & conspicua, ædificia habet haud spernenda, inter ea quinque præcipua sunt. Regio tota culta est, aër mitis satis ac clemens, ager fertilis ob torrentes atque interludentes rivulos amnium, quinque etenim flumina hoc territorium secant, totumque altissimi montes ceu munitissimo vallo cingunt, octo civitates sunt urbi subjectæ: 1 *Fungciang*, 2 *Kixan*, 3 *Paoki*, 4 *Fufung*, 5 *Mui*, 6 *Linyeu*, 7 *Lung* o, 8 *Pingyang*.

Phœnix Sinica.

Civitates.

Yvus hujus territorium, ut metropolitanæ distribuit, *Cheva* familia attribuit Provinciæ *Ki*, quam *Chevæ* familiæ auctores adhuc reguli possidebant: mox eandem Provinciam *Cin* regulus in feudum habuit, & inde ad totius Imperii, ipsiusque *Chevæ* familiæ extinctionem sibi *Cin* reguli stravere viam, à quibus Sinicum nomen apud exteras nationes ortum demonstro in mea epitome. *Hana* familia hanc regionem *Hingking* dixit, hodiernum nomen habet à *Tanga* stirpe. Psittacos aliasque vocales aves hæc cum cæteris fere terris communicat; genus etiam ibi nigerrimi serpentis est, ex quo contra morbos complures fit alexipharmacum; ad *Pingyang* civitatem piscis reperitur, quem Sinæ lapidem vocant, hic exsiccatus ac in pulverem redactus, sericisq; pannis adspersus, eos à tineis omnino intactos incolumesque servat.

Antiqua nomina.

Nan mons magnitudine imprimis spectandus incipit ad *Ki* civitatem inde *Lantien*, & *Hu* civitatum territorium transit.

Montes nobiliores.

Paoki montem habet *Chinçang*, cujus vertex ad galli gallinacei figuram videtur accedere, cum tempestas aut tonitrua imminent, tantum murmur ac boatum edere feruntur illius anfractus, ut ad triginta eoque amplius stadia exaudiri possit.

Mons *Xecu* ibidem sive decem lapideorum tympanorum, quæ Rex *Sivenus* in eo collocavit, ut venatores feris visis illis signa darent, aliosque monerent.

Est & *Taipe* mons altitudine sua reliquos supereminens, summa etiam æstate nivibus albescentes ostendit vertices, apparet prope civitatem *Mui*.

Adjacet huic non ita remote *Quan* mons, in qua egregium munimentum ad regionis tutelam. in eo falcones, vulturesq; quibus ad venationem utuntur, capiunt audacissimos ac generosissimos prædones.

Flumina hic præcipua sunt *Yung*, *Guei*, *Ping*.

Flumina.

Est

Est & lacus satis magnus ad ortum urbis, *Tung* dicitur, aliusque major ad *Lung* civitatem *Hivenpu* dictus.

Tertia Urbs
HANCHVNG.

Urbis hujus mœnia orientalis *Han* fluvius lambit, *Hanchung* nomen res ipsa dedit, hujus namque territorium fere totum inter *Han* orientalem, & *Han* occidentalem, fluvios jacet. montibus ubique altissimis ac frequentissimis exsurgit, qui valles complures, easque peramœnas claudunt, unde, quibus ad vitam opus, abunde petantur omnia. mellis imprimis ac ceræ, ingensque ibi Muschi ac Cinnabaris copia: non raro in ipsis viis occurrunt cervorum, damarumque greges, at infestos illis ursos olit non paucos, quorum pedes anteriores magno apud Sinas in pretio ac deliciis sunt. Præest urbs civitatibus sedecim, quæ ingens terræ spatium, sed ut plurimum montibus horrens occupant. Earum 1 *Hanchung*, 2 *Paoching*, 3 *Ch'ingcu*, 4 *Yang*, 5 *Sihiang*, 6 *Fung*, 7 *Mien*, 8 *Ningkiang* ⊙, 9 *Lioyang*, 10 *Hinggan* ⊙, 11 *Pingli*, 12 *Xeciven*, 13 *Sinyang*, 14 *Hanyn*, 15 *Peho*, 16 *Çuyang*.

Rerum ibi copia.

Civitates.

In *Yvi* partitione locum obtinuit hæc regio eundem cum superiore, at stellis *Ye* & *Chin* subesse eam voluit astrologus Imperator: olim ad *Cin* regulos pertinuit, atque hinc ad occupandum imperium totamque *Chevam* familiam extinguendam gradum fecere, in eodem loco Lieupangus *Hanæ* familiæ auctor contra *Cinam* familiam arma movens, relicto ducis titulo regis nomen assumpsit, urbique *Hanchung* primus nomen indidit, *Tanga* & *Sunga* familia illud in *Hingyven* mutarunt, sed *Taiminga* restituit. Urbs est ampla ac populo frequens, loco à natura munitissimo sita, montibus ac sylvis velut vallo fortissimo circumdata, maximi semper ad bella Sinica habita est momenti, in ea quinque nominatissima Heroum visuntur fana, inter quæ unum est *Changleango* dicatum, ad stupendi operis, quod mox expliciturus sum, perennem gratamque memoriam, par illi aut secundum non esse facile dixerim in orbe, qua patet, universo. Hanc urbem inter & metropolim iter erat devium admodum & inflexum, vix ulla recta semita, ob montium altitudines asperitatesque, ac profundas vallium voragines & ambages: eam ob rem cogebantur vulgo versus ortum multum deflectere, atque Honan Provinciæ fines attingere, moxque redire versus Boream ac repetere iter, unde ad duo stadiorum, eoque amplius conficienda erant millia, cum, si per montes facerent iter, octingenta vix stadia fuissent superanda. Sub exitum ergo *Cinæ* familiæ cum *Lieupangus* contra *Hiangyuum* de Imperio pugnaret, à *Changleango Lieupangi* fidissimo prudentissimoque duce hæ montium asperitates, voragines ac præcipitia omnia æquata sunt, ut hostes fugientes anteverteret: incredibili itaque celeritate, ingentique opere montes hi omnes in plana deducti, quo in opere multa centena hominum millia, totumque exercitum suum desudare jussit, singulis turmis certa montis attributa parte, quam perviam, planamque redderent, exsurgentibus utrimque quasi ad perpendiculum parietibus è monte factis, adeoque altis, ut in cœlum attolli fere videantur, vixque via ipsa lumen ab alto allapsum admittat, alicubi ligneis trabibus, assribusque stratis de monte ad montem pontes struxit, intra ipsas montium rupiumque commissuras exterebratis, exsculptisque foraminibus, quibus trabes impositæ sustententur, præcipue ubi torrentes ex montibus delapsi, quasi viam sternunt, quorum semitas sæpe secutus est: alibi ubi valles latiores sunt, columnæ adhibitæ, atque hujuscemodi pontibus tertia fere hujus itineris pars constat: tanta autem subinde per intervalla sunt altitudine, ut fundum voraginis absque horrore vix ausis inspicere. viæ latitudo quatuor equitum capax est, quæ etiamnum sarta tectaque servatur & reficitur pro iter facientium commodo, eaque de causa certis intervallis dispositi sunt pagi, tabernæque pro diversoriis: tota hæc via ubique tellure injecta coöperta est, ne vero viatoribus per præcipitia forte ex pontibus dilabendi aliquod immineat periculum, addita sunt utrimque podia, fulcraque lignea aut ferrea: ejus longitudo est ab hac urbe usque ad Metropolitanæ partem, quæ spectat ad occasum, ubi triginta circiter stadiis ab urbe distat ejus finis: eum pontem Sinæ *C'ientao* sive fulcrorum viam vocant.

Antiqua nomina.

Changleangi fanum.

Pons per montes admirabilis.

Tapa mons prope *Sihiang* incipit, inde in Provinciam usque *Suchuen* excurrit ad *Pa* civitatem.

Montes nobiliores.

Ad *Lioyang* est mons *Yoniu*, hoc est pretiosæ mulieris; nam mulieris pulcherrimæ statua in eo non arte sculpta, sed à natura ipsa efficta, videtur. *Cuking*

Çuking mons altiſſimus, atque horrendum præceps prope *Siyang*.

Eſt & *Çupe* mons ad *Fung* civitatem, in quo ad duas & ſeptuaginta numerantur cavernæ. ibidem eſt *Nanki* mons, in quo ingens lacus. Inde haud ita procul eſt *Vutu* mons, è quo minerale illud effoditur, quod *Hiunghoang* Sinæ dicunt: Illud contra venena omnia, malignas febres, canicularium-que dierum noxios æſtus tamquam præſens remedium ac præſervativum æſtimant, ſumuntque vino maceratum; coloris eſt rubicantis ac flavi, punctis nigellis intermixtis; lapillum cretaceum, aut terram duriorem refert, coloreque ſubinde non ita multum differt à minio, niſi quod ad flavedinem magis nonnihil accedat, & ad pingendum minime ſit aptum: fruſtulum hujus medicamenti adhuc penes me habeo, ſed video apud Europæos Medicos minime eſſe notum, neque ullam apud auctores noſtros illius mentionem invenio.

Hiung-hoang, minerale.

Flumina.

Han fluvius tum orientalis, tum occidentalis principem hic locum obtinet; ille ex *Mincheu* civitatis montibus originem ducit, hic ſupra *Fum* civitatem ſcaturit, & utrique magna aquarum mole, perque ingens terrarum ſpatium fluunt, navium ubique patientes; reliqua, quæ minoris notæ ac nominis ſunt, dabit mappa.

Quarta Urbs

P I N G L E A N G.

Montibus aſpectu jucundis, non horridis, fœcundiſque aquis amœnum territorium habet *Pingleang* urbs, omnium fere rerum ubertate abundans. in eo decem ſunt civitates, 1 *Pingleang*, 2 *Çungſin*, 3 *Hoating*, 4 *Chinyven*, 5 *Kuyven*⊙, 6 *King*⊙, 7 *Lingt'ai*, 8 *Choangleang*, 9 *Lungte*, 13 *Cingning*⊙.

Civitates.

In hac urbe tria ſunt heroibus dicata fana, reliquis ſplendore ac magnitudine præſtantia: palatiumque inſigne regium *Taiminga* familiæ; nam in hac urbe unus ex regulis iis habitare ſolitus. *Yvus* Imperator hanc regionem *Yung* provinciæ adſcripſit, voluitque ſubeſſe ſtellis *Cing*, & *Quei*: ſub *Hana* familia *Ganti*, ſub *Sunga* vero *Kingyven* dicta eſt, hoc eſt *King* fluvii origo, & reapſe ad ipſam urbem emicat illius fons: ab aliis ſemper *Pingleang* dicta fuit urbs, ob aëris temperiem molliorem.

Antiqua nomina.

Montes inſigniores.

Ad *Chingyven* mons *Jo* eſt, in quo lapilli reperiuntur pellucidi, quique adamantes referunt; & prope *Hoating* vallis eſt triginta ſtadiorum longitudine, adeo profunda atque anguſta, ut nonniſi tenue & obſcurum lumen admittat, eſt tamen per illam via regia ſtrata lapide quadrato.

King fluvius fluit ad urbis occaſum, inde in ortum deflexus partem occidentalem *King* civitatis pertranſit, in Auſtrum inde ſerpens, ad ortum metropolitanæ urbis, in fluvium *Guei* ſe exonerat.

Flumina.

Quinta Urbs

C V N G C H A' N G.

Ad *Guei* amnis Auſtralem ripam ſita eſt, recta fere ad partem ſuperioris urbis occidentalem, fuitque olim ab *Yvo*, eodem, quo ſuperior, loco poſita: populo frequens eſt emporium, & opportunus ad Sinici Imperii cuſtodiam locus; quippe aſperitate montium, itinerumque difficultate hoſtium artes facile eludit, hinc ſemper magni æſtimata eſt à Sinicis Imperatoribus: quod nobiliorem reddit, eſt antiquiſſimum ab hominum memoria ſepulchrum, *Fohii* nimirum, primi apud Sinas Imperatoris, nam illum ibidem apud *C'in* civitatem natum produnt. magna hic etiam eſt Muſchi copia. Numerantur ſub ea civitates ſeptendecim, 1 *Cungcha'ng*, 2 *Ganting*, 3 *Hoeining*, 4 *Tunggüei*, 5 *Chang*, 6 *Ningyven*, 7 *Fokiang*, 8 *Siho*, 9 *Ching*, 10 *Cin*⊙, 11 *Cingan*, 12 *C'ingxui*, 13 *Li*, 14 *Kiai*⊙, 15 *Ven*, 16 *Hoei*⊙, 17 *Leangtang*.

Situs.

Civitates.

Effoditur hic paſſim minerale illud *Hiunghoang*, de quo ſupra; ſunt & lapilli quidam cærulei coloris vergentis in nigredinem, albis venulis diſtincti: hi apud magnates magno in pretio ſunt, in calcem namque redactos ſolutoſque in tenuiſſimum pollinem, ac medicamenti loco ſumptos, ad vitam producendam plurimum prodeſſe vulgo credunt: tria fana habet nobiliora; eorum unum *Fohii* matri dicatum, reliqua magnitudine ac ſplendore ſuperat.

Bellorum tempore ſub finem *Cheva* familiæ, ad *Kiangiung* populum hæc pertinuit regio: *Hana* familia, extincto dynaſta *Lungſi* à *Cina* familia iſthic conſtituto, *Thienxui* vocavit: *Tanga* familia *Guei Cheu*, *Sunga Cungcheu*, *Taiminga Cungchang* dixit.

Prope *Hoeicin* ingens ac præaltus mons eſt

Montes inſigniores.

est *Sive*, à perpetuis nivibus dictus: ad *Fokiang* mons est *Xecu*, sic dictus à tympano lapideo: de quo observasse se scribunt Sinæ, quod, quoties sonum edit, toties futuri belli sit signum. Ad *Ching* civitatem *Loyo* mons est, in quo ingens Leonis statua, ex cujus ore fons effluit. ibidem est *Cheuchi* mons ad usque *Siho* civitatis finitima pertingens, in altissimo vertice magnam habet planiciem viginti plus minus stadiorum.

Ad *Cin* civitatem in *Pochung* monte herbam nasci scribunt *Hoaco*, quæ comesta steriles reddit, sunt & alii plures, in quibus nihil admodum memoratu dignum.

Flumina.

Prope *Ching* civitatem lacus est parvus arboribus ac floribus in circuitu consitus, cives suas delicias vocant, ac ad convivia inibi celebranda sæpe concurrunt.

Ad *Cin* civitatem lacus est *Tienxui*, sive cælestis aquæ, quia ejus aqua multis medetur morbis.

Haud procul inde ingens lacus *Tien* centum viginti stadiorum ad *Ven* civitatem.

Ad *Leangtang* insula est parva nomine *Pipa*, & ad *Siho* fons amœnissimus.

Sexta Urbs
LINYAO.

SI paululum occasum versus procedamus, *Linyao* urbs occurret, vel ex eo nobilis, quod murus ille magnus hic finem capiat, cujus terminos statuunt montes, qui ad ripas Crocei fluvii sunt, eandem ornat rex è *Taiminga* familia, qui ibi sedem fixit suam: commendatur & ab auri copia, quod ex arenis colligitur in vicinis montibus & torrentibus. Uros seu boves sylvestres montosus urbis tractus habet, & animalia tigribus simillima, vulgo *Pau* vocant, quorum pelles pro vestibus expetuntur à Sinis: oves hic multæ quales in Perside ac Tartaria, oblonga ac crassa cauda, cujus caro præ reliqua suavissima; nec desunt pyra varia, pomaque: fana nobiliora tria. In *Yvi* divisione superioris tractus locum etiam sortita est hæc regio, ibique *Sikiang* dynastia fuit, *Cina* familia his terris occupatis *Lungsi* nomen dedit. *Sunga* familia *Yencheu*, *Sui* vero Rex ab auri copia *Kinti* dixit, hoc est auream terram, hodiernum nomen *Tanga* dedit familia: jacet urbs in monte, cujus partem ipsis mœnibus includit, quæ *Paoting* dicitur, & quinque regit civitates, quarum 1 *Linyao*, 2 *Gueiyven*, 3 *Lan* ⊙, 4 *Kin*, 5 *Ho* ⊙.

Aurum & varia quæ profert.

Montes nobiliores.

Mons *Càolan* ad modum theatri civitatem *Lan* amplectitur, pulcherrimo undique patente prospectu: ibidem ingens mons *Pexe* est, in quo nobilissimus dux *Leanghoejus* à Tartaris obsessus, cum aquam ad reficiendum exercitum consequi non posset, sacra monti fecisse dicitur ad impetrandum potum exercitui, & quam mox ibi fontem emicuisse. Ad civitatem *Ho* mons est *Ciexe*, qui duos altissimos erigit vertices, quos inter, quasi per portam intromissus, Croceus fluvius volvitur. Supra *Lan* civitatem vallis est amœnissima, quam fluvius irrigans fœcundat, unde armentis frugibusque lætissima est, *Tu* vallis dicitur, quæ meam Athesinam haud male refert.

Flumina.

Croceus fluvius est ad occasum civitatis *Lan*: *Tào* fluvius prope ipsa urbis mœnia ingenti aquarum strepitu, tonitruque imitante boatu volvitur, scaturigo in *Sifan* sive *Preti Joan* terris est, vel in *Tibet*.

Septima Urbs
KINGYANG.

COmmendatur urbs *Kingyang* à mœniorum robore ac firmitate, profundis circum ambientibus fossis, egregium contra Tartarorum irruptiones munimentum præstat, plura etiam castella muro magno habet vicina; olim hæc regio ad Sinicum non pertinuit imperium, sed ad Tartariam *Tanyu*: at *Xius Cina* familiæ auctor eam occupavit ejectis Tartaris, atque intra muri magni fines conclusit, vocavitque Peti: *Tanga* familia dixit *Kincheu*; quod jam habet nomen jam inde à *Sunga* obtinuit familia: totum territorium aquis variis fluminibusque irriguum est, cui quasi pro vallo ac fossis montes sunt & magna flumina. Tria sunt quoque illustria fana, quorum unum idque augustum ac ingens in ipsa urbe est, in cujus una aula magnis columnis suffulta, septem supra triginta regum *Chevæ* familiæ depictæ visuntur imagines. Nascitur hic oryzæ species, quæ purgandis corporibus aptissima est, præcipueque urinam ciet, ac vesicam exonerat; est & herba quædam ad instar flavi capillitii, Sinæ *Kinsu*, hoc est auream byssum, seu bombycum aurea fila, vocant, amara gustu est, & tamen frigida potius quam calida qualitate ac vi prædita est: hæc omnem longe à corpore pellit scabiem, datur & genus fabæ quod præsentissimum contra omnia venena præstat reme-

Res ibi rariores.

remedium. Præeſt urbs civitatibus quinque, quarum 1 *Kingyang*, 2 *Hoxi*, 3 *Hoan*, 4 *Ning* ⊙, 5 *Chinning*.

Montes insigniores.

Ad Boream urbis *Taipe* mons eſt ab origine *He* amnis nobilis. prope *Hoan* civitatem mons eſt U*lum*, in quo munimentum ad regionis cuſtodiam; prope *Chinning* eſt mons *Lo*, in quo ad vivum viſuntur expreſſæ humanæ ſtatuæ ſeptem & viginti, à natura ibi eas extitiſſe, non ab arte fabulantur Sinæ.

Flumina.

Hoan flumen civitatem *Hoan*, cui etiam nomen dat, alluit. *Pefuen* fluvius eſt ad ortum urbis. reliqua dabit mappa: non tamen hic ſilentio prætereundi lacus *Pepao* ad urbis Boream partem: Lacus *Fung* ad *Hoxui* limpidiſſima unda clarus: *Xahu* lacus longior uſque ad *Hoxui* civitatis terminos excurrit, & ad *Ning* civitatem incipit. *Hoama* lacus ad Boream urbis quinque & quadraginta ſtadia occupat. ibidem adſunt duo lacus ſalſi, ex quibus plurimum ſalis conficitur, eam ob rem *Tenchi* hoc eſt ſalis ſtagna vocantur. Eſt & fons amœniſſimus ac chryſtallinus, ad *Chinning* civitatem *Xingxui* dictus.

Octava Urbs
I E N G A N.

HÆc regio ad Sinicum etiam olim non pertinuit Imperium, eam *Xius* Imperator primus occupavit, & muro magno incluſit. Urbs Jengan ad Borealem *Lieú* lacus ripam jacet, loco amœno rerumque omnium feraci, ad urbis amœnitatem plurimum facit mons ipſis mœnibus incluſus, variis tum publicis, tum privatis ædificiis imprimis ſpectandus. Regit urbs civitates undeviginti, 1 J*engan*, 2 *Ganſai*, 3 *Cancivun*, 4 *Ganting*, 5 *Paogan*, 6 *Ychuen*, 7 J*enchuen*, 8 J*enchang*, 9 *Cingkien*, 10 *Feu* ⊙, 11 *Cochuen*, 12 *Chungpu*, 13 *Ykiun*, 14 *Suite* ⊙, 15 *Miche*, 16 *Kia* ⊙, 17 U*pao*, 18 *Xinmo*, 19 *Fuco*.

Rerum copia.

Manat hic in montibus liquor ille bituminoſus, quem vulgo petroleum vocant, quemque ad lucernas & curandam iſthic ſcabiem adhibent, ſcatet præterea regio pretioſis animalium pellibus præcipue Zibellinis; vario abundat marmore, florem profert Meutan dictum, maxi-

Meutan flos.

meque æſtimatum à Sinis, quaſi florum regem diceres, roſa noſtrate major eſt, hujus tamen figuram imitatur, ſed folia magis expandit, odore quidem cedit, at pulchritudine ſuperat, ſpinis caret, coloris eſt magis albicantis quaſi ex purpureo & albo miſti, rubri etiam flavique reperiuntur, in virgulto naſcitur Sambuco noſtrati haud abſimili, per totam Sinam hic flos in divitum viridariis colitur, idque magna arte ac diligentia, in calidioribus quippe locis æſtate contra ſolis ardores tegi debet. Fana heroibus dicata tantum duo numerat.

Montes nobiliores.

Primus mons *Chingleang* dictus ad urbis Barrapeliotem eſt, in una illius caverna prodigioſus idolorum exercitus viſitur ad decem nimirum ſtatuarum millia, quæ omnes ex duro lapide ſculptæ, minores aliæ, aliæ majores, omnes Regis cujuſdam ſolitariam ibi vitam degentis juſſu efformatæ.

Ad ortum *Ychuen* mons eſt *Mengmuen*, qui inſulam efficit in Croceo fluvio.

Ad *Feu* civitatem *Jngtao* mons à ceraſi arboribus dictus.

Ad *Ykiun* civitatem mons *Yohoa* à palatio, quod in illo eſt, idem habet nomen. *Tochen* mons ad J*enchang* altus, aſcenſu difficilis atque horridus aſpectu, ita undique præruptus, ut pauci in eo propugnatores facile magnam hominum vim ſuſtinere ac repellere poſſint, intus pagi ac plani campi ſunt; prope urbem *Taohoa* caverna eſt ex qua Cinnabarim effodiunt.

Flumina.

Vuting amnis ad *Cingkien* eſt, inconſtans ibi vulgo dicitur, quod per vada arenoſa profluens modo altiſſimus, modo humillimus ſit, lacus *Lieu* ad auſtrum urbis eſt, ſic dictus ab arboribus ſalicum, quibus abundat.

Mirabilis naturæ aqua.

Ad *Paogan* eſt *Kiemo* fluvius, cujus aquæ adeo leves eſſe perhibentur, ut nec lignum nec navim ferant, ſed perinde fere, ac ſi in aëre tantum eſſent, continuo, ut imponuntur, fundum petere ſolent.

Loca militaria.

ABſolutis urbibus ac civitatibus ſuperſunt loca militaria, munimenta nimirum tum extra tum intra murum ſita, ad illius imperiique cuſtodiam, tum etiam per provinciam ſparſa, præcipueque ea, quæ in occidentali parte ſunt contra Regnum *Caſcar*, *Samahan* & *Tanyu*, quorum præcipua ſunt novem ſequentia, 1 *Sochu* ⊙, 2 *Xacheu* ⊙, 3 *Xancheu* ⊙, 4 J*ungchang* ⊙, 5 *Leangcheu* ⊙, 6 *Choanglang* ⊙, 7 *Sining*, 8 *Chiny* ⊙, 9 *Culang* ⊙. minora plura ſunt 1 *Ninghia*, 2 *Ninghiachung*, 3 *Taocheu* ⊙, 4 *Mincheu* ⊙, 5 *Hocheu* ⊙, 9 *Cinglu*,

7 *Yulin*,

7 *Yulin*, 8 *Chinsan*, 9 *Xetu*, 10 *Hantung*, 11 *Pinglu*, 12 *Mingxa*, 13 *Guei*, 14 *Sengquei.* In ipso autem muro magno ab ortu in occasum sunt sequentia, 1 *Semuen*, 2 *Kinthang*, 3 *Hoama*, 4 *Pecho*, 5 *Taxum*, 6 *Pukive*, aliaque nominis ac notæ minoris.

In *Cancheu* militari urbe Prorex sedem habet, diversus ab eo qui est in Metropoli *Sigan*; ibidem adsunt reliqui magistratus præcipui, quibus ex ipsa Regia tantum mandata deferri solent: munitissima est urbs contra omnes Tartarorum insultus; in ea selectissimi milites, in suas quique turmas distributi; circum urbem campus arenosus est lutei croceique coloris, rarissimæ ibi arbores aut herbæ, desertæ solitudinis *Xamo* pars est, illius forte quod *Lop* indigitant Europæi Cosmographi.

Socheu etiam fortissima urbs est, in qua & gubernator, magnæ omnino auctoritatis: hæc in duas partes dividitur, alteram Sinæ, quos Turcæ ac Astracani Catayos vocant; alteram Saraceni exterique inhabitant, qui ab occiduis locis istuc negotiorum causa profecti conveniunt. inde deserti vicini nomen *Caracatay*, quod terram Catayensium sonat, quia etiam Sinæ hic ubique frequentes habitant. hæc inibi occurrunt rariora: *Ninghia* ab *Holan* monte ad mœniorum modum cincta, qui mons ad trecenta stadia occupat, ibidem complures sylvestres vagantur equi. in *Yaocheu* multum muschi colligitur. *Mincheu* perdicibus ac lanigeris Gallinis abundat, in *Hocheu* magna cannabis copia est, adhæc muschi, myrobalanorum, lignique odoriferi quod Sandalum refert.

Caracatay ubi.

Montes nobiliores.

Hiaikeu mons est ad ripam Crocei prope *Ninghia*, per cujus vallem arctissimam Croceus prorumpit; in ejus vertice extat turris antiquissima, quæ licet magna ex parte vetustate corruerit, adhuc tamen centum & octoginta gradus continet, miro structa opere, cum in altissimum montem cementum ac lapides subvehenda fuerint; at quod magis mirere, prope *Chegan* ad ripam, *Fi* pons est de monte ad montem unico exstructus arcu, cujus longitudo quadraginta est Sinensium perticarum, hoc est quadringentorum cubitorum, altitudo vero seu perpendiculum, sub quo fluit Croceus, quinquaginta perticarum est. triennium in ejus fabricam impensum referunt, Sinæ pontem volantem haud incongruo dixere nomine.

Ad *Yalin* est *He* mons, à Tartaris pro gregium armentorumque pabulo frequentatus. multi in eo torrentes ac rivi, unde optimæ herbæ luxuries ac copia: alter, huic similis, *Kilieu* est ad *Leangcheu*, qui à Tartaris quoque frequentatur.

Flumina.

Ad Notolybicum *Socheu* ponunt Sinæ mare seu lacum *Cing*, hoc est mare nigrum, idque centum & quinquaginta stadiorum.

Lacus salsi.

Ad *Ninghia* duo lacus salsi sunt, major unus, alterque minor; in quibus natura ipsa obstetricante sal producitur nullo hominum accendente labore.


Mirabilis naturæ amnis.

Jo amnis ad *Cancheu* est, ex re *Jo* Sinæ vocant, hoc enim debilem significat: quippe aquis constat adeo levibus tenuibusque, ut ne paleas quidem sustinere possit; versus occasum fluit, sed quorsum usque pergat aut penetret, Sinæ non adnotant.

Lacus salsus.

Ad *Xancheú Húngyen* lacus est, hoc est rubri salis, sal enim rufus hic conficitur. reliqua dabunt mappæ.

QVARTA


XANTVNG,
SINARVM IMPERII
PROVINCIA
QVARTA.
Stadia Sinensia, quorum 250 uni gradui respondent
Milliaria Germanica quorum 15 unum Constituunt gradum
Cum privilegio Sacr. Cæsar. Maj:
& Ordinum Belgicæ Fœderatæ.
LEAOTVNG.
ÇANG SINVS.
COREA PEN INSVLA.
HONAN PARS.
Notarum Explicatio.
METROPOLIS.
Vrbs.
Civitas major.
Civitas minor.
Fortalitia.
Aurifodinæ.
Signum militare.
M. mons.
fl. F. fluvius.
L. Lacus.
Occidens
Oriens
Meridies.
Septentrio.
Cinan
Yencheu
Cingcheu
Tungchang
Taming
Laicheu
Leaoyang
Ningyuen
Tiencin
I. Xamuen
Xoho L.

13



QVARTA PROVINCIA, XANTUNG.



Varta ex Borealibus est Provincia *Xantung*, quam haud immerito ingentis magnitudinis insulam dixeris: ad Boream enim, ortum, atque Austrum alluitur mari, ab occasu ubique irrigatur fluminibus, adeoque circum undique navium patiens est: termini illius sunt, ad Boream *Peking* Provincia, & *Çang* maris Sinus, ad ortum clauditur mari, mediam *Ci* fluvius secat: ab Austro *Nanking* Provincia & mare est: à *Nanking* autem per fluvium Croceum separatur: reliqua includunt fluvius *Jun*, cujus alveus arte excavatus, & *Guei*, qui naturalis est. Ager totius Provinciæ fertilis est ob copiosa flumina, lacus & rivos, rerumque necessariarum feracissimus, non frumenti solum aut orizæ, sed & milii, farris atque hordei, fabarum, phaseolorum, frugum, ac fructuum, siccitas sola & locustarum plaga, cum raro pluat, sæpe nocet, diffusos tamen adeo uberesque campos complectitur, ut anno uno fertili eam facile messem dicatur colligere, quæ ad decem annos sufficiat, imo qua & aliis succurrere possit Provinciis.

Limites.

Copia frugum.

Altilium.

Gallinæ & ova vilissimo hic emuntur pretio, nec capones pinguiores multo pluris constant, quodque alibi non ita usitatum, faciliori minorique majores ac pinguiores emuntur, quam minores ac admodum pulli; vilius etiam hic veneunt, quam usquam alibi Phasiani, perdices, ac coturnices, uti & lepores, nusquam enim alibi, uti hic, venationi ita dediti sunt Sinæ; lupos etiam habet multum regioni hominibusque infestos; piscium in lacubus, fluminibus ac mari tanta vis, ut teruncio nostrate facile decem piscium isthic comparare possis libras. Rarum est, & omnino nimium quantum beneficæ in eam gentem naturæ argumentum, filum sericum ibidem in arboribus, ac campis sponte sua nasci, quod non à domesticis bombycibus, sed à vermibus contexitur erucis haud absimilibus, non in globum aut ovum ductum, sed in longissimum filum paulatim ex ore emissum, albi coloris, quæ arbusculis dumisque adhærentia, atque à vento huc illucque agitata colliguntur, atque ex illis, uti ex vera bysso, panni conficiuntur serici, qui licet rudiores nonnihil sint serico domestico, firmitate tamen ac robore superant.

Sericum in arboribus aut campis natum.

Producit etiam regio hæc optima varii generis pyra, castaneas, nucesque alias, prunorum vero vim tantam, ut siccata ea, sicuti & pyra recentia, cum reliquis communicet provinciis: ad hæc pomi ibi genus est, *suçu* vocant incolæ, quod licet in aliis reperiatur Provinciis, illic tamen abundat magis: illud exsiccatum admodum, quo siccantur ficus in Europa, servatur pro quacumque anni tempestate, perque totam Sinam à Mercatoribus divenditur; pomum est, quod magnitudine poma nostratia aliquantum superat, rotunda fere figura puniceum aut rubicundum, intra pulpam carnis ossicula habet seu acinos planos ac rotundos ad teruntii fere molem, omnia duro occlusa cortice veluti ex ligno essent, non sunt autem in meditullio pomi, sed intra pulpam ad superficiem cohærentia, non jacentia plana, sed verticaliter erecta, numero quidem incerta sunt, subinde decem, subinde quinque, pauciora plurave pro pomi magnitudine, subinde etiam exos est, caro tota rubescit, & cum maturum est pomum, ut sorbæ, mollescit estque suavissimi saporis, siccatam quasi crustam mellis seu saccari emittit, mali aurei corticem saccaro conditum credas. Sunt etiam quædam cortice viridi, quæ matura etiam non mollescunt, sed veluti poma nostratia cultello aut dentibus minuuntur, decorticanturque, cætera à puniceis illis non differunt; hic fructus nullibi, quod sciam extra Sinam reperitur, in mediocri nascitur arbore, vixque ulla cultura opus habet.

Fructuum ferax.

Suçu pomum.

Liber Sinicus, in quo singulorum locorum viritim adscriptus habetur numerus, in hac Provincia censet familias 77,055. Viros vero 6,759,675. Gens hæc præ reliquis Sinis hebetioris ingenii & rudior est: rari ad gradum litteratorum ascendunt, sunt tamen laborum patientes ac frigoris, viribus pollent, ac audacia præstant. Vidi hic non raro pueros frigida hyeme tantum non

Hominum numerus.

O nudos

nudos colludentes, imo & frigida sese intra ipsa flumina perfundentes, qua & lavari eos, dum nascuntur, perhibent, unde cum & patientia laborum, & animi adsit audacia, minime mirum eam patriam tot latronum esse parentem, qui quandoque viribus ac numero aucti justos conflavere exercitus, ipsi imperio inhiantes, Imperatorique metuendos, nec parvum sæpe præfectis negotium facescentes; tot ex iis hactenus famosa habuere capita, ut chartis lusoriis Sinicis omnia nomina dederint ad valoris ac graduum distinctionem, (chartæ enim hæ Sinicæ à nostris nec numero, nec re ipsa differunt, & quatuor etiam colorum admittunt varietates) sed loco regum equitis, peditisve aut dominæ latronum capita cum eorum nomine depicta continent, ut nimirum lusores, qui alioqui facile in latrones degenerant, etiam ludendo latronum exitum ac finem malum perhorrescant.

Genium gentis ac ingenium.

Hoc Tartarorum bello multum passa est hæc Provincia, propter nimiam gentis audaciam, ferocemque animum, populus namque modo hic, modo illic à Tartaris deficiens magnis cladibus afflictus est, quibus pars magna populi extincta, totaque fere regio devastata est.

Tributum.

Tota Provincia *Xantung* urbes numerat nobiliores sex: civitates duas supra nonaginta: tributum milii, oryzæ & tritici est saccorum 281,2119. Serici confecti volumina solvit 54,990. Gossipii libras 52,449. straminis ac fœni fasces 3,824,290, præter vectigalia teloniorum, quorum tria habet in fluvio *Jun*, per quod omnes naves *Peking* tendunt: etenim tametsi mercium pertranseuntium tributum, seu portorium non admodum magnum sit, sed leve potius ac exiguum, tanta tamen earum est varietas ac copia, ut ipsemet à præfectis audiverim ascendere illud ad decem milliones, seu centies centena aureorum millia, præter id, quod clanculum sibi inde præfecti surripere ac in rem suam convertere norunt.

Iun ingens canalis arte factus.

Auget maxime hujus Provinciæ divitias *Jun* fluvius, cujus arte effossus alveus est, per quem ex toto fere imperio naves omnesque merces in regiam Pekinensem tendunt. incipit ingens hæc fossa ad Boream *Socien* civitatis in ipsa ripa Crocei fluvii, ex quo undequaque advenientes naves in *Jun* fluvium deducuntur, inde ad *Cining* usque pertingit, mox ad *Linc'ing* civitatem, ubi in *Guei* fluvium aquas effundit: in eo canali, quia multis locis aqua pro majoribus navigiis transmittendis humilior est, supra viginti numeravi cataractas quadrato sectoque lapide, ac egregio firmoque opere structas, relicta porta navium capace, quam magnis crassioribusque asseribus claudunt, ac aquas detinent, mox illis rotæ beneficio ac machina facili negotio sublatis & aquæ & navibus transitum dant, donec ad secundam cataractam eodem fere ordine ac methodo, atque ita porro deinceps per reliquas transmittantur, in medio autem itinere, priusquam ad *Cining* veniatur ex lacu *Cang* per cataractam omnino magnam aquæ quantum volunt, immittunt, simulque lacum, ne nimium effluat, aut fundum aqua destituat, in tempore claudunt: perpendiculum enim aquæ in lacu vicina adjacente regione altius est, quare intra exiguum terrarum spatium octo ut minimum cataractæ sunt, *Tung Pa* vulgo dictæ, quia nimium aquæ ex lacu profluentis, prementisque impetum ac pondus comprimunt ac sustinent, cum autem naves ad lacum ipsum perveniunt, ne ipsum lacum enavigare cogantur, ad ripam ipsius lacus fossam seu canalem utrimque aggeribus egregie munitum duxere, quo faciliter naves omnes transeunt. Sane si hæc coram spectarent Aquileges, architectique Europæi, viderentque aut hujus aquæ ductus longitudinem, aut aggerum sæpe densitatem atque altitudinem, aut cataractarum ex mero secto lapide ornatum, ac firmitatem operis, haberent quo Sinicam mirarentur industriam, vixque ab alia natione tam naviter exanthlandos labores. Adsunt ad singulas cataractas viri, quibus publico ære parata solutione incumbit remulco alligatas naves protrahere, donec cataractas pertransierint; atque hæc satis sint de aquæ ductu *Jun*, seu canali illo arte facto, qua quidem ad Provinciam hanc *Xantung* pertinet, alibi de eo quæ ad reliquas spectant Provincias, tractaturi sumus; atque hic habent lectores, quo pacto naves ex Croceo *Peking* usque tendant, qua via in Croceum penetrent, postmodum videbimus.

Cataractæ Sinarum.

Prima Urbs seu Metropolis
C I N A N.

Vrbis nomen.

VRbs Metropolitana *Cinan*, ejusque regio ab *Yvo* Imperatore Provinciæ *Chincheu* attributa est, eique *Guei* sydera dominari voluit. jam inde ab antiquissimis temporibus à *Ci* fluvio hujus Provinciæ

vinciæ maximo nomen habuit, ac tum isthic regum *Cy* erat Regia, quibus extinctis ab *Hana* familia urbi *Cinan* nomen factum, quia vere ad *Ci* fluminis australem partem jacet, quod *Cinan* significat. mutavit deinde nomen & sub *Tanga* familia *Linchi* dicta est, sed *Taiminga Cinan* verum illius nomen restituit.

Situs ac commoditas. Ingens & frequens est urbs ædificiorum splendore ac magnitudine inclyta, paludoso jacet loco, intra & extra mœnia lacus habet, ac proinde tota naviculis pervia est, ita tamen ut pedes quoque totam perambulare possis, eam ob rem pontes lapideos numerat non paucos, inter quos *Pehoa* pons est pluribus fornicibus arcuatus, qui insulam cognominem in lacu *Taiming* jungit, atque inde procurrens ad alteram usque ripam pertingit, clauditurque ipsis urbis mœnibus. Est & alius pons *Fuyung* dictus, supra eundem lacum *Taming* quadrato saxo structus, superiori nihilo inferior.

Eadem in urbe rex ex *Taiminga* familia sedem habuit, sed hâc ibi à Tartaris extincta, nil præter palatia ac viridaria reliquit. Idolorum, Heroumque hic fana plurima, decem illustriora sunt, at longo intervallo omnia superat fanum *Tungo*, jam inde ab *Hoangtio* fabricatum, in quo scribunt reges omnino duos supra septuaginta quietos ac pacis amantes, rebusque religionis studentes vixisse; unde superbis magnificisque molibus, ac splendidissimis ædificiis nitet, amplis ibi *Bonzii* sacrificuli gaudent reditibus: pulcherrima quædam tum regum tum magnatum in montibus sepulchra visuntur, sed & Societas JESU in hac urbe vero Deo dicatum habet templum, patresque duos, qui isthic loci in vinea Domini, legisque Dei promulgatione egregie laborant.

Tungo fanum.

Regionis qualitas. Tanta est hujusce regionis ac territorii præstantia atque nobilitas, ut nulli fere alteri ex Borealibus Provinciis cedat, lætissimæ hic luxuriant segetes, frumenti ac milii ingens proventus est, nec desunt armenta ac greges: numerat sub se civitates triginta. 1 *Cinan*, 2 *Changkieu*, 3 *Ceup'ing*, 4 *Chagxan*, 5 *Sinching*, 6 *Ciho*, 7 *Citung*, 8 *Ciyang*, 9 *Chichuen*, 10 *Juching*, 11 *Linye*, 12 *Changc'ing*, 13 *Fiching*, 14 *Cingching*, 15 *Ling*, 16 *Taigan* ⊙, 17 *Sintai*, 18 *Laiúú*, 19 *Te* ⊙, 20 *Tep'ing*, 21 *Pingyuen*, 22 *Vuting* ⊙, 23 *Yangsin*, 24 *Haifung*, 25 *Loling*, 26 *Xangho*, 27 *Pin* ⊙, 28 *Licin*, 29 *Chenhoa*, 30 *P'ut'ai*.

Montes insigniores. *Hoang* mons ingens prope *Changkieu* incipit, inde usque ad *Cichuen* extenditur & ad *Ceuping* finitima transit. *Changpe* mons ad *Changxan* civitatem incipit, pertingitque usque ad *Ceup'ing*: in eo nominatissimum idolorum fanum est. *Tai* mons altissimus ac maximus est ad *Taigan*, illius altitudinem Sinæ faciunt quadraginta stadiorum, ex ejus vertice ad primum galli cantum Solem se videre posse perhibent: in hoc monte cavernæ multæ, altissimi vertices, ac plurima idolorum fana sunt cum innumeris sacrificulis, qui vitam ibi degunt eo fere modo, quo nostri Eremi incolæ.

Prope *Laiuú* est *Taxe* mons, ex quo ferrum effoditur.

Flumina. Ipsum mare *Pin*, *Licin*, *Haifum*, *Chenhoa* civitatum terras alluit. Intra ipsam urbem ad ejus Occidentalem partem *Taming* lacus est, ex quo canalis exiens ad *Choyng* lacum tendit, qui etiam intra mœnia est: ex utroque hoc Lacu per totam urbem egregio opere ducti canales eam ubique navigabilem reddunt, imo & ad lacum *Cioxan* patet exitus, qui extra urbem ad Borealem partem est.

Maximus lacus est ad *Changkieu*, *Peyun* dictus, piscium copia, fructu *Linkio*, ac *Lien* floribus abundat, quos alibi describo.

Ad urbis australem partem duo supra septuaginta numerantur fontes. ex iis unus *Kiuto* dictus, reliquos aquæ præstantia superat.

To fluvius ad *Changkieu* fluit, ejus origo ibidem in monte *Hosien* est.

Secunda Urbs
YENCHEV.

Situs. Hujus urbis territorium sub *Yvo* Imperatore in duas erat partes divisum, quarum una ad Provinciam *Yencheu*, altera ad *Siucheu* pertinebat, adeoque duplici suberat asterismo, *Quei* nimirum & *Leu*: totum modo inter duo nobilissima flumina *Ci* & Croceum clauditur. illud ad Boream, hoc ad Austrum sitam regionem rigat, quæ amœnis campis, sylvosis montibus, piscosis lacubus ac fluminibus læta est, totaque culta, aër mitis ac clemens, terra rerum omnium fertilis. Fuit hic olim regnum *Lu*, & urbs *Xanyang* dicta, mox *Çu* reges occuparunt. *Sunka* familia *Taining* dixit, at semper fere etiam hodiernum nomen *Yencheu* retinuit. præest civitatibus septem & viginti. 1 *Yencheu*, 2 *Kioheu*, *Civitates.*

3 *Niug-*

3 *Niuyang* , 4 *Ceu* , 5 *Teng* , 6 *Ye* , 7 *Kiuhiang* , 8 *Yutai* , 9 *Tan*, 10 *Chinguu* , 11 *Çao* ⊙, 12 *Çao*, 13 *Tingtao*, 14 *Cining* ⊙, 15 *Kiaciang* , 16 *Kiuye* , 17 *Kiunching* , 18 *Tungping* ⊙ , 19 *Venxang* , 20 *Tungo* , 21 *Pingyn* , 22 *Jangco* , 23 *Xeuchang* , 24 *Yo* ⊙ , 25 *Tanching*, 26 *Fi*, 27 *Suxui*.

Inter hasce civitates primus omnino locus debetur *Cinning*, quæ vel ipsam metropolim magnitudine,populi frequentia,mercium copia,adeoque emporii nobilitate aut superat,aut æquat: cum enim in medio *Jun* fossæ, seu aquæ ductus sita sit , omnes eam transire debent naves, ab eisque portorium exigitur, multæque à concurrentibus isthic mercatoribus merces distrahuntur.

Urbs haud ignobilis, quippe quæ è *Taiminga* familia regem habuerit, quod vero eam ex Sinarum æstimatione nobilitat maxime , est , quod *Cungfutius* celeberrimus philosophus sit natus in ejus territorio, *Ceu* scilicet civitate, ubi non pauca illi dedicata fana , gratæ posterorum memoriæ monumenta; quindecim tum illi tum aliis Heroibus dedicata sunt præcipua, in iis multa sepulchra , atque ipsius etiam *Chungfutii* celeberrimum.

Circa *Kinhiang* auriferam regionem esse scribunt, & antiquis ibi temporibus aurum colligi solitum,inde civitati nomen factum, *Kinhiang* enim auream sonat patriam vel terram; præcipue vero illud ex *Kiuye* monte hauriebatur.

Montes notabiliores. Prope *Kioheu* est mons *Fang* à sepulchris parentum *Cungfutii* celebris. *Hing* collis circa *Niugyang* à copia prunorum Armeniacorum dictus. *Chang ping* mons est prope *Ceu* civitatem , in quo quidam natum *Cungfutium* volunt , in civitate ejusdem cum monte nominis , ubi antiquæ urbis visuntur rudera. Prope *Ye* civitatem mons est *Kiun* amœnus satis,pagisque frequens. *Fung* mons ad *Tungping* , ita sylvis agrisque distinctus,ut pulcherrimam picturam referat, Sinæ serico Damasceno comparant.

Flumina. Prope *Taigan* est origo fluminis *Veu*,inde ad *Ningyang* & *Venxang* præterlabitur: *Su* amnis prope civitatem *Suxui*, cui etiam nomen dat, habet ortum : inde *Kioheu*, & *Cining* transit civitatum territoria.

Lacus sunt 1 *Nanuang* ad civitatem *Ven*. 2 *Toxan*. 3 *Faulii* ad *Tingtao* , 4 *Leangxan* ad *Tungping* , 5 *Lui* , hoc est tonitrui ad *Cao* civitatem. in medio enim illius lapis est, cujus corpus draconem, caput hominem refert. hunc spiritum tonitrui Sinæ vocant, scribuntque pulsato illius ventre vocem tonitru emitti : alii multi lacus sunt minoris nominis ac notæ. Est etiam prope *Ningyang* fons *Tao* , hoc est latronis, ex quo *Cungfutius* quondam bibere noluit, licet admodum sitiret, quia latronis aqua dicebatur, adeo vel ipsa nomina vitiorum oderat.

Tertia Urbs

TUNGCHANG.

Antiqua nomina. TUnchang urbis regio sub *Yvo* Imperatore spectabat ad *Tencheu* Provinciam , *Guei* & *Xe* constellationibus subjecta : regum tempore pars alia *Ci* , alia *Guei*, alia *Chao* adscripta fuit : *Hana* familia eam *Ciyn* dixit ; *Tanga* vero *Poping* ; *Sunga Pocheu* vocavit ipsam urbem , hodiernum nomen *Ivena* indidit familia,plano ac fertili solo gaudet, magnamque frugum omnis generis copiam producit,adeo ut nihil fere eorum quæ usus aut vita hominum postulat,magnopere deesse videatur. Serici vim ingentem etiam hic bombyces concinnant.urbs ipsa celebris est ac magnifica , ac duodeviginti regit civitates : 1 *Tunchang*, 2 *Tangye* , 3 *Poping* , 4 *Choangping* , 5 *Kieu* , 6 *Sin* , 7 *Cingping*, 8 *Keu*, 9 *Lincing* ⊙ , 10 *Quontao* , 11 *Caotang* ⊙ , 12 *Gen*, 13 *Hiacin*, 14 *Vuching*, 15 *Po* ⊙, 16 *Fan*, 17 *Quonching*, 18 *Choaching*.

Inter hasce omnes *Lincing* & populi frequentia,& rerum copia,ædificiorum splendore, ac emporii celebritate præstat, adeoque paucis in toto cedit imperio : jacet enim urbs loco , quo *Guei* fluvius & *Jun* aquæ ductus in unum confluunt , unde ex tota propemodum Sina naves ac merces excipit : adeoque telonium habet,in quo portorium mercium ac vectigal à tribus exigitur præfectis ; multa habet ædificia haud spernenda , fana non pauca ; at turris quæ extra mœnia est omnia tum splendore,tum operis magnitudine superat: figura octogona est , ab ipso solo in altum novem contignationibus exsurgit , adeoque novizonia est , perpendiculum illius à vertice ad fundamentum nongentorum est cubitorum , cui debita proportione respondet latitudo, totus paries exterior ex subtilissima porcellanæ argilla est suis figuris extantibus pictisque ornata : interior variegato vestitus est marmore,quæ adeo plana levigataque sunt, ut ad instar tersissimi speculi præsertim dum *Turris eximia.*

nigriora

nigriora sunt, vultum aspicientis reddant, per scalam helicem, seu cochleam, non in ipso turris medio, sed intra duplicatos parietes exstructam, ascenditur. ex qua ad quamlibet contignationem patet aditus, & inde ad pulcherrima ex sculpto marmore podia, deauratasque ferreas crates, quibus podia turrim totam ambientia undique armantur, ornanturque. ubique extra turrim ad ipsa podia, maximeque ad summitatem tintinnabula ac campanulæ ita suspensæ sunt, ut à vento agitatæ suavem edant concentum; ultima zona idolum continet, cui dicata turris est, ex cupro fusili ac deaurato: circum ipsam turrim vicina aliqua visuntur idolorum fana opere plane admirando, quæque molibus illis antiquis Romanorum facile invidiam facere possint. atque hæc una est ex illis turribus, quas superstitiose exstrui dixi à Sinis, omnem ab eo fortunam felicitatemque suam pendere ratis, brevibus hanc illic descripsi, quia ipsemet illam conscendi, atque omnia meis oculis diligenter perlustravi, quamvis & illa multo pulchriores sint apud Sinas, ex hac tamen velut ex ungue leonem cætera colliges, cum omnes ut plurimum sibi sint similes, eodemque architecturæ modo ac ordine structæ.

Montes insigniores. Vnus notatu dignus mons occurrit *Mingxe* dictus, quod sonorum lapidem significat, haud procul abest à *Caotang*: in hujus quippe montis vertice cippus erectus stat centum altus perticas, qui vel leviter digito percussus ad tympani modum sonum edere dicitur, à quo monti nomen.

Flumina. *Jun* fossa hujus urbis territorium medium secat, ad *Lincing Guei* fluvius illam excipit, reliqua quæ ad flumina pertinent, dabunt Mappæ. *Quonching* lacum habet *Ho*, in quo *Guei* Rex olim grues alebat magna cura; quas aves etiam nunc Sinæ domi libenter alunt, uti & cervos: cum enim animalia illa longissimæ vitæ sint, si domi ea habeant, sæpiusque aspiciant, inde sibi nescio quem ad diutius vivendum pollicentur affricandum influxum.

Quarta Urbs
CINGCHEV.

Urbis *Cingcheu* regionem *Yvus* Imperator cognomini Provinciæ adscripsit, statuitque sub stellis *Hiú* & *Guei*: *Ci* regum fuit, ab *Hana* familia *Pehai* dicta, sub *Sunga* familia *Chinhai*, hodierni nominis auctor *Taiminga* familia est: montibus non caret, sed eam mare & flumina fœcundant; vix alibi rerum necessariarum copia major, aut vilius pretium; piscium multitudo tanta, ut vel ex solis Squartiarum (*Segrin* vulgo vocant) pellibus magnum lucrum faciat: urbis nobilitas vel ex eo patet, quod regem è *Taiminga* nacta fuerit familia, præest civitatibus quatuordecim. 1 *Cingcheu*, 2 *Linchi*, 3 *Pohing*, 4 *Caoyven*, 5 *Logan*, 6 *Xeuquang*, 7 *Changlo*, 8 *Linkiu*, 9 *Gankiu*, 10 *Chuching*, 11 *Mungin*, 12 *Kiu*, 13 *Yxúi*, 14 *Gechao*.

Lapis Vaccinus. In his locis lapis è vaccarum stomacho educitur, Sinæ *Nieuhoang* vocant, hoc est vaccarum luteum, quia nimirum lutei plerumque coloris est; magnitudine variat, subinde ovum anserinum æquat; non tam solidus est ac lapis Bezoar, adeoque multo lævior, præ illo tamen à Sinensibus medicis commendatur, expetiturque, dicas ex creta molliori, sed lutea siccaq; constare; frigidissimæ qualitatis eum esse volunt Sinæ & ad catharros deprimendos apprime conducere, ajunt ejus pulverem in ebullientem aquam conjectum eam mox sistere ac quietam reddere, præterea si pauxillum frigidæ aquæ superimponas, exhalationem emittere, & quam celerrime aquam descensu suo penetrare: hunc ego lapidem existimo quem Bellonius in singularibus vocat lapidem fellis, lib. 3. c. 46. ubi agit de Turcarum lanionibus. hic lapis, ut ait idem auctor, ab Arabibus vocatur *Haraczi*.

Montes insigniores. Ad *Chuching* pertinet ingens mons *Lang sie*, unde in ortum ad mare usque excurrit: in eo quamplurimi pagi sunt, quibus initium dedit *Xius* Imperator: ad triginta enim hominum millia per montem ad eum colendum frequentandumque distribuit.

Prope *Yxui* mons est *Tapien*, cujus vertex diffusus in planiciem nonaginta stadiorum campum aperit.

Flumina. Alluit mare civitates *Logan*, *Xeuquan*, *Chuching*, *Gechao*, aut illarum saltem territoria. Scribunt Sinæ in vicinis Insulis herbam nasci, *Lung sin* vocant, quæ ab equis absumpta eis robur ac velocitatem tribuat. *Kopoi* amnis originem habet in monte *Y*, inde transit *Kiú* civitatem.

Quinta Urbs
TENGCHEV.

Situs.

QUamvis *Tengcheu* urbis territorium maxima ex parte continens ſit, ipſa tamen urbs in Inſula,nonnihil à continenti disjuncta, ſita eſt, ubi commodiſſimus portus, magnaque Sinarum claſſis & præſidia: nam ad *Çang* Sinus cuſtodiam opportuno jacet loco, regit urbs civitates octo, earum, 1 *Tengcheu*, 2 *Hoang*, 3 *Foxan*, 4 *Leuhia*, 5 *Chaoyuen*, 6 *Laiyang*, 7 *Ninghai* ⊙, 8 *Venteng*. In diviſione *Yvi* hæc regio Provinciæ *Cingcheu* adnumerata, ſub aſteriſmis, quibus prior: olim *Gaoy* populus hic habitabat, nondum Sinis ſubjectus,quod factum ſub *Hiaa* familia, Regum tempore fuit regni *Ci*, hodiernum nomen à *Tanga* familia eſt, tria ſunt nobiliora fana, & quod viſu rarum, arundines hic ſunt quadratæ præter naturæ ordinem, quæ in rotundum pleraque efformat. Oſtrea hic copioſa helluonum deliciæ. *Nieuhoan* lapis Vaccinus etiam hic reperitur.

Montes inſignio-res.

Tengheng mons ad Boream urbis ſitus, à clade quam Hanſinius *Ci* Regi intulit, celebris: *Chifeu* mons prope *Foxan* ad modum *Iſthmi* in mare tendit. *Cheuy* mons etiam ad Boream urbis, à quo mare ſubit rotundus lapis, qui à Sinis *Chu*, hoc eſt unio, vocatur.

Flumina.

Mare urbem *Tengcheu* ab ortu, occaſu & Borea attingit. Prope *Laiyang* lacus eſt *Hiyang*: naturæ prodigium eſt fons *Hanuen*, ex quo ſimul calida & frigida emanat,unde fonti nomen,eſt prope *Chaoyuen*.

Sexta Urbs
LAICHEV.

URbis hujus nomen ab antiquiſſimis *Lai* populis ortum eſt,quos *Ci* reges ſibi ſubdiderunt,dein exſtinctis regibus *Hana* familia *Tunglai* dixit, at ſimul hodiernum fere ſemper mordicus tenuit nomen. Urbis regio jacet in promontorio,cujus tres partes mare,unam montes claudunt. ſeptem ſub ea ſunt civitates, 1 *Laicheu*, 2 *P'ingtu*, 3 *Vi*, 4 *Changye*, 5 *Kiao* ⊙, 6 *Caomie*, 7 *Cie me*. quinque ſunt illuſtriora fana. adhæc circumcirca multa munimenta ad maris littora. *Yvus* hæc eodem loco ſtatuit, quo priora.

Montes inſignio-res.

Hoang mons eſt ad auſtrum urbis, cui virgo quædam *Hoang* dicta nomen dedit, virgini quippe ibi dicatum fanum eſt in illius virginitatis memoriam; in littore maris prope *Kiao* civitatem mons eſt *Tachu*, & prope *Cieme Lao* mons etiam verſus mare procurrit.

Flumina.

Mare ad Borealem partem urbem ingreditur,& civitatem *Changye*, *Vi*, *Kiao*, *Cieme* attingit: ut cætera omittam, duo fere tantum occurrunt flumina notatu digna. Primum eſt *Kiao* amnis prope *Pingtu*, dictus quaſi amnis glutinis,quod viſcoſam ac turbidam vehat aquam: ſecundus eſt amnis *Vi* prope *Caomie*, nam ille eſt, quem ſaccis arena repletis ſtitit *Hanſinius*, & ita hoſtibus magnam intulit ſtragem,ut fuſius narro in mea Epitome. Eſt & fons optimæ aquæ prope *P'ingtu*, qui *Seúyo* vocatur.

Inſulæ.

NUmerat etiam hæc Provincia Inſulas quaſdam,quas mappa notat. nobiliores ſunt ſequentes, 1 *Feúyeu* ad occaſum non magna quidem ſed culta tota. 2 *Tienheng* Inſula in mari prope *Caomie*. hæc illa eſt,ex qua quingenti Philoſophi ob *Xii* Imperatoris in litteras odium in mare ſe dedere præcipites, ut mea docet Epitome. *Xamuen* Inſula incolis frequens omnium maxima eſt in ſinu *Çang*, ubi commodiſſima navium ſtatio, ex qua in *Coream*, *Peking* & *Leáotung* facilis eſt trajectus, maximeque opportunus ad magnas expeditiones locus, eandem auro eſſe ditiſſimam ſcribunt, & fodinas habere inſignes, cuſtoditas tamen, ne quis ibi fodiat.

Munimenta.

UBicumque maris receſſus eſt,aut navium ſtatio, præcipue ad fauces fluviorum erecta fere ſunt munimenta, ſæpe adeo magna ut populi frequentia magnas ſæpe civitates æquent. eorum hæc ſunt nomina, 1 *Ningc'ing*, 2 *Cinghai*, 3 *Chingxan*, 4 *Gueihai*, 5 *Sanxan*, 6 *Kixan*, 7 *Civenxan*, 8 *Mauan*, 9 *Siaoye*, 10 *Haiçang*, 11 *Tunglai*, 12 *Chin*, 13 *Xechin*.

QVIN-


HONAN,
IMPERII SINARUM
PROVINCIA
QUINTA.
Stadia Sinensia, quorum 250 uni gradui respondent
50 100 150 200 230
Milliaria Germanica quorum 15 unum Constituunt gradum
5 10 14
Septentrio.
Meridies.
Occidens
Oriens
PECHELI, SIVE PEKING PARS.
XANTVNG PARS.
NANKING PROVINCIÆ PARS.
HVQVANG PROVINCIÆ PARS.
XENSI PROVINCIÆ
SVCHVEN PARS.
XANSI PARS
Notarum Explicatio.
METROPOLIS.
Vrbs.
Civitas major.
Civitas minor.
Fortalitia.
Aurifodinæ.
Argentifodinæ
Stanni fodinæ
M. mons
fl. F. fluvius
A. Amnis
L. Lacus
Honan
CAIFUNG
Hoaiking
Gueihoei
Changte
Nanyang
Juning
Cum privilegio Sac. Cæsar. Maj:
& Ordinum Belgicæ Fœderatæ



QVINTA PROVINCIA,

HONAN.



Nomen. Onan Provinciæ nomen dedit ipse loci situs, id enim ad Australem partem fluvii significat, quomodo ad *Crocei* ripam sita est, per quem ab occasu in ortum rectâ fluentem à *Xansi* & *Peking* Provinciis separatur, licet ad orientalem partem aliquas habeat civitates ac terras, quibus ad *Peking* spectat. *Termini.* illius limites sunt ab ortu & Notapeliote *Nancheli* sive *Nanking*: ad Boream & Barrapeliotem *Pecheli* sive *Peking* finitima, & quædam Provinciæ *Xantung*: ad Austrum ac Notolybicum *Huquam*: ad occidentem confinia *Suchuen*, reliqua *Xansi* terminat.

Sinæ Provinciam hanc in medio mundi sitam esse asserunt: cum enim præter suam Sinam vix alias esse terras crederent, atque *Nobilitas.* hanc Provinciam in meditullio esse Sinarum animadverterent, facile in animum induxerunt, hanc esse in orbis medio: ab antiquissimis olim temporibus sæpe fuit Imperatorum sedes, electa præ cæteris ob *Crocei* fluvii commoda ac incredibilem regionis amœnitatem, fœcunditatemque: est hæc Provincia diffusa in planiciem, partim montibus aspera, ac præcipue qua vergit magis *Fertilitas.* ad occidentem; ager tamen ubique fertilis est, nullaque pars inculta, præter eam quam montes quidam magis horridi versus occidentem occupant; sylvæ in montibus sunt plurimæ; frumenti, oryzæ, aliarumque frugum feracissimi campi sunt, adhæc pecorum armentorumque vis haud minor; aër mitis ac temperatus salubritatem plerisque locis conciliat; celeberrimis urbibus, civitatibus, oppidis, ac castellis tota regio referta est; fluminibusque ac rivulis ita irrigua, vix ut alia huic comparari possit, multa aliunde venientia flumina excipit, multorum apud se habet scaturiginem. Fructus Europæos propemodum omnes tanta profert copia, ut vilissimo emantur pretio, demum tanta rerum, non solum ad vitam necessariarum, sed ad voluptatem facientium etiam, abundantia luxuriat, ut minime mirum sit, illam à Sinis viridarium seu hortulum vocitari: orientalis enim illius pars adeo est amœna, tamque diligenter culta, ut multorum dierum iter conficias quasi per hortum aliquem ambules: unde mihi quandoque in mentem venit, quemadmodum Italiam Europæ hortulum vocant, ita Provinciam *Honan* hujus extremæ Asiæ quodammodo Italiam dici posse.

Liber Sinicus, qui capitum censum continet, notat in hac Provincia familias 589, 296. Viros vero 5106270. *Tributum.* tributum tritici vel oryzæ est saccorum 2414477. byssi non laboratæ libras solvit 23509. serica confecta varii generis 9959. pannos ex gossipio, quibus tamen non ita abundat 341. fasces fœni pro pabulo equorum regiorum 2288744.

Urbes ingentes numerat hæc Provincia octo. civitates vero centum, præter munimenta ac castella, de quibus singulis infra.

Prima Urbs seu Metropolis

C'AIFVNG.

Magna, dives & populo frequens, ædificiorumque splendore illustris erat *C'aifung* urbs, quæ anno MDCXLI aquis fere tota hausta fuit, postquam generose ac fortiter longam multorum mensium pertulisset obsidionem à rebellibus Sinici Imperatoris: iterum tamen jam utcumque decori pristino est restituta; abest urbs à *Croceo* fluvio ad duas fere leucas Austrum versus, humiliori loco sita est *Pien* fluvio vicina, qui eam ab ortu, Austro & occasu alluit, est autem is *Crocei* fluvii ramus; cum autem *Crocei* superficies aquæ, seu perpendiculum altius sit ipsa urbe, ingentibus ex quadrato saxo structis aggeribus ad trecenta & plura stadia aquas continent, earumque periculum ab urbe avertunt: ac tuta quidem omnino illa fuisset, nisi data opera aggeres à militibus fuissent effracti, qui rebelles urbem obsidio prementes aquis mergere cogitabant; sed urbem ipsam eluvio ac ruina involvit, unaque cum ipsa urbe & templum & sacerdotem è Societate nostra.

Urbis hujus territorium *Yvus* Imperator in duas distribuerat Provincias, pars una Provinciæ *Yen*, altera pars *Yu* accensebatur:

tur: atque ita binas illis etiam constellationes attribuit, nimirum *Kio* & *Cang*. Sub prima Imperiali familia *Hiaa Hiao* dicta est, ad quam ejusdem familiæ Imperator *Chungtingus* Regiam transtulit, ac licet Imperatores postmodum sedem mutarint, semper tamen urbs Regem habuit, & ex *Taiminga* familia maximus regulus, & quamplurimi è Regio sanguine inhabitarunt. Regum tempore *Guei* regni caput erat, & tunc urbs *Taleang* dicebatur, *Tanga* familia *Piencheu* vocavit, sub *Vtai* erat regni *Leang* regia, & *Leangcheu* nomen habuit, sub *Kina* familia *Nanking*, hoc est regia Australis, sub *Juena* Pienleang, hodiernum illi nomen dedit *Taiminga* familia. Territorio suo quatuor supra triginta includit civitates, 1 *C'aifung*, 2 *Chinlieu*, 3 *Ki*, 4 *Tunghiu*, 5 *Taikang*, 6 *Gueixi*, 7 *Gueichuen*, 8 *Jenlin*, 9 *Fukeu*, 10 *Chungmeu*, 11 *Jangúu*, 12 *Juenúu*, 13 *Fungkieú*, 14 *Jencin*, 15 *Laniang*, 16 *Chin* ⊙, 17 *Xangxui*, 18 *Sihoa*, 19 *Hiangching*, 20 *Xinkieu*, 21 *Hiú* ⊙, 22 *Linyú*, 23 *Siangching*, 24 *Jenching*, 25 *Changco*, 26 *Ju* ⊙, 27 *Sinching*, 28 *Mie*, 29 *Ching* ⊙, 30 *Jungyang*, 31 *Jungce*, 32 *Hoin*, 33 *Súxúi*, 34 *Ifung*. Inter has *Sinching* Hoangtii secundi apud Sinas Imperatoris natalibus illustris est.

Innumera superba ædificia, turres, sepulchra, ac palatia continet urbs, supraque decem superbissima heroibus dicata templa; ad *Chin* civitatem viridarium seu nemus est muro cinctum, in quo palatia, aulæ aliaque ad oculorum animique oblectationem spectantia, inibi cubiculum est arte factum, quod adscititio frigore calores omnes æstivos facile eludit.

Montes nobiliores. *Y* collis est intra mœnia peramœnus, hortis, nemoribus, ac ædificiis publicis privatisque celebris: *Xeu* mons prope *Siangching* laudatissimus à Sinis, cui pulchritudine, superstitiosa illa scilicet apud eos configuratione, ac situ nullum existimant toto orbe reperiri æqualem, primus omnino is est in libris *Fungxui*, qui de montium felicitate ac sorte tractant.

Kiçu mons *Sinching* vicinus est, in quo caverna exornata cernitur ab *Hoangtio*, quem Imperatorem in ea æstivo tempore habitare solitum ferunt.

Flumina. *Kinxui* fluvius, & *Pa*, & *Ju*, & *Croceus*, & *Xeleang* & *Pien* aliique non *Paaúi* amnes urbis hujus territorium irrigant. sunt & duo *Si* lacus parvi, unus quidem ad occasum civitatis *Hiu*, alter vero ad Jenling. sunt & alii duo lacus exigui, *Lieu* dicti à salicibus, quibus abundant, unus *Chin* civitati vicinus est, alter *Sinchin*.

Est & *Kinming* lacus seu *Naumachia* ad orbis occasum, quam *Sunga* Imperatoria familia exstruxit, ad navalium præliorum exercitationem: in ea *Taiçungus* milites egregie probare fuit solitus, lacus est plane amœnissimus, multis palatiis & idolorum fanis spectandus: ibi ubique erecta videntur marmora poëtarum carminibus inscripta in lacus laudem. Sunt & alii lacus minores, unus *Tungmuen* dictus ab aquæ pelluciditate, quodque nullus in ea nascatur muscus aut herba. *Chin* civitati vicinus est.

Putien lacum, omnium maximum in hac regione, *Chungmeu* civitatis tractus continet. est & fons præclarissimus in *Ju* civitatis montibus.

Secunda Urbs

QVEITE.

AD Boream *Croceo*, ad Austrum *Hoai* ingentibus fluminibus totus hujus urbis clauditur districtus, eaque est illius nobilitas & præstantia, vix ut ulli cedere debeat in hac Provincia: fertilitate glebæ, aërisque salubritate inclytus est. Sub *Yvo* Imperatore eandem cum Metropoli sortitus est divisionem, nobilitas vel inde patet, quod ea in urbe *Sung* Reges regalem habuerint sedem. Regum tempore hic tractus inter tres Reges *Ci*, *Çu* & *Quei* divisus fuit; sed *Cina* familia his omnibus deletis *Xangkieu* illum vocavit, *Hana Ciuyang*, *Sunga Ingtien*, hodiernum nomen *Utai* dedere reges: novem præest civitatibus, quæ omnes magna rerum copia abundant, populoque frequentes sunt, 1 *Queite*, 2 *Ningling*, 3 *Loye*, 4 *Hiaye*, 5 *Jungching*, 6 *Júching*, 7 *Ciu* ⊙, 8 *Hiaoching*, 9 *Xeching*.

Poma aurea hic sunt omnis generis, ac præcipue granata præstantissima, à quorum copia ac præstantia ultima civitas nomen habet *Xeching*, quasi dicas pomorum granatorum mœnia. Supra lacum *Nan* ad urbis Australem partem pons est quadrato structus lapide, alterque illi non absimilis extra mœnia civitatis *Jungching*; fana tria heroibus dicata reliquis nobiliora numerat.

Montes insigniores. Rarissimos ac parvos habet montes planissima hæc regio, de quibus nihil admodum rarum occurrit apud Sinicos Geographos

phos præter ſolum nomen. Circa *Loye* eſt mons *In*, & circa *Jungching Tang* & *Yu* montes.

Flumina. *Croceus*, *Pien* & *Ciu* amnis hoc territorium rigant, ad Auſtrum urbis eſt *Nan* lacus, quem in duas partes dividit pons in multos arcus porrectus, eſt & *Si* lacus ad occaſum *Ciu* civitatis: laudem etiam meretur *Chokin* lacus exilis, circa eum enim plurimi ſerici panni textores habitant, aquæ illius præſtantia allecti, qua ſericum, filumque bombycinum lota mirum acquirunt ſplendorem, inde lacui factum nomen, quod pannorum Damaſcenorum lotionem ſonat.

Tertia Urbs
CHANGTE.

IAcet *Changte* urbs in maxime Boreali hujus Provinciæ parte, à *Xanſi* & *Peking* Provinciis quaſi in anguſtum cogitur, unde non admodum latam occupat regionem, plana plerumque eſt, ſolique fœcunditate, ac pingui gleba ut plurimum utitur. montes habet raros eoſque exiles; circa *Çu* civitatem quidam eſt reliquis major, magnes dicitur à magnete, qui ibi effoditur. *Yvus* Imperator hunc tractum *Ki* Provinciæ adſcripſit, & *Xe* ac *Pi* conſtellationibus ſubeſſe voluit: Regum temporibus fuit Regni *Guei*, *Cina* familia *Hantan* dixit, poſtea *Siangcheu* vocata fuit urbs, hodiernum nomen ab *Utai* habuit. In hac regione abſinthii optimi varia reperiuntur genera; piſcis etiam eſt, quem Sinæ *Haiúl* piſcem vocant, hoc eſt piſcis puerulus, nam cum capitur vocem omnino pueri lamentantis emittit. Figura illius fere crocodilum refert, caudam oblongam, quatuorque habet pedes, ejus adeps ſemel accenſus nulla aqua vel arte amplius extingui poteſt: numerantur hic ſeptem fana, at quod ad occaſum urbis eſt *Yuo* dicatum, reliqua ſplendore ac magnitudine ſuperat; ſeptem regit urbs civitates, 1 *Changte*, 2 *Tangin*, 3 *Linchang*, 4 *Lin*, 5 *Çu* ○, 6 *Vugam*, 7 *Xe*.

Montes. inſignes. *Simeu* mons, ex quo *Tang* flumen originem habet circa *Tangin*: *Lin* civitas *Tyang* montem habet adeo præruptum ac arduum, ut ægre conſcendi poſſit, in illius tamen vertice planicies eſt, in qua belli tempore multi turbas vitant. Eſt & *Çu* mons circa *Çu* civitatem, in quo *Ci* Rex multum auri occultavit, operariis omnibus, qui id abſconderant, extinctis, ne res prodiret in lucem: attamen unius filius admodum puerulus notavit rem totam, cumque adoleviſſet, aurum abſtulit. ibidem magnes præſtantiſſimus effoditur.

Flumina. *Lo* fluvius & *Ganyang*, qui etiam *Von* dicitur, *Liu* civitatem tranſit, ibique terram ſubit, occuliturque ad aliquot ſtadia, moxque erumpit.

Quarta Urbs
GUEIHOEI.

EUndem omnino locum ſub *Yuo* Imperatore hæc urbs adepta eſt, quem ſuperior, jacet ad Auſtrum *Changte* in Auſtrali ripa fluminis *Guei*, quod in urbis hujus territorio ſcaturit: multum hoc reliquis fertilitate cedit, rerum tamen neceſſariarum penuriam non patitur ob fluminum commoda, licet alioqui arenoſum ſit ſolum ac parum ferax; nobilis eſt urbs à Rege ex *Taiminga* familia, qui in ea ſedem habuit; ſeptem heroibus dicata fana nobiliora numerat, & ſex civitatibus dat jura, 1 *Gueihoei*, 2 *Coching*, 3 *Sinhiang*, 4 *Hoekia*, 5 *Ki*, 6 *Hoei*.

Antiqua nomina. *Vuus* Imperator occiſo nequiſſimo Imperatore *Kieo*, qui hac in urbe aulam tenuit, mutato nomine vocavit *Pinan* ac *Cangxoum* in eadem regem conſtituit, regum tempore ad *Guei* reges pertinuit, ſub *Cina* familia *Hotung* terris adnumerata eſt, *Hana* familia *Honui* dixit, *Sunga Queicheu*, hodiernum nomen à *Taiminga* eſt familia. Ad Auſtrum urbis nobile ac magnificum cernitur ædificium, illo exſtructum loco in quo *Vuus* Imperator *Liuvangum* magnum Philoſophum obvium habuit, cujus conſiliis ac virtute adjutus Sinicum obtinuit Imperium.

Montes. *Ki* civitas vicinum habet montem *Ki* pulcherrimis ſylvis amœnum, eſt ibidem mons *Cingnien*, in cujus caverna quadam ſtagnat aqua, quaſi piloſa pars quæcumque corporis lavetur, continuo glabreſcit.

Guei fluvius ad urbis Boream fluit, & in occidua parte oritur.

Flumina. *Ki* amnis civitatem *Ki*, cui nomen dat, præterlabitur.

Quinta Urbs
HOAIKING.

HOaiking urbs exiguum quidem habet territorium, aër ibi tamen mitis ac salubris est, agerque fertilis: ad Boream à montibus, in Australi parte à *Croceo* clauditur, in eo sex sunt civitates, 1 *Hoaiking*, 2 *Ciyúen*, 3 *Sievúú*, 4 *Vuche*, 5 *Meng*, 6 *Ven*. In *Yvi* Imperatoris divisione hic tractus ad *Ki* Provinciam pertinuit, sub constellationibus *Xe* & *Pi*, *Xanga* Imperatoria familia *Kinui*, *Cheva Sanyven* dixere. Regum tempore tum *Guei*, tum *Quei*, tum *Ching* nomen habuit, *Cina* familia *Sanchuen* vocavit, *Hana Honui*, *T'anga Hoaicheu*, *Taiminga Hoaiking*, in qua ex eadem familia Rex habitare solebat, unde nobilis ac dives censebatur urbs. Fana illustriora habet tria. medicamenta rara profert, quæ reliquis provinciis suppeditat.

Nomen antiquum.

Ciyúen civitatis fossa variorum etiam animalium vivarium est: ibidem nobile ædificium, *Yehiang* dictum, in memoriam viri illius, qui cum uxor ducenda esset, ita cœlum orasse fertur: non peto divitias, nec voluptates, neque idcirco uxorem ducere volo, sed tantum probos opto filios; tresque ex ea suscepit, qui omnes doctissimi evasere Philosophi & Præfecti.

Montes.

Ad Boream urbis mons *Tai* est, hic olim ingenti boatu emisso disruptus est, & cavernam aperuit trecentarum perticarum, ex qua aqua emanat bituminosa, crassa ac pinguis, adeo ut loco olei in multis adhiberi possit, saporis est haud ingrati.

Vanguo mons palatium refert sylvis ac arboribus vestitum, hic *Ciyúen* vicinus est.

Flumina.

Ki amnis in *Vanguo* monte originem habet, inde sub terra occultatur, mox lacum *Taye* efformat, ex illoque promanans *Ci* amnis dicitur.

Sexta Urbs
HONAN.

COmmune huic urbi cum tota Provincia nomen, ad occasum Metropolis jacet in Boreali ripa fluminis *Co*: Hanc Sinæ centrum, seu umbilicum, ut vocant, mundi esse volunt, quia in meditullio Sinæ est, regio circumjacens montibus abundat, amœnitate tamen ac ubertate rerum multis nihil omnino cedit. urbs ipsa ingens est ac incolis frequens; Regem è *Taiminga* habuit familia; tredecim nobilissima fana numerat heroibus erecta, quorum unum supra fluvium *Co* est, ad orientalem urbis partem, sub quo fluvius tamquam sub pontis fornice præterfluit. *Sunga* Imperatoriæ familiæ auctorem Sinis dedit. *Yvus* Imperator hunc terræ tractum *Yú* Provinciæ adscripsit sub constellatione *Mao*, atque hic *Vús* Imperator, cum *Xanga* familiæ bellum inferre cogitaret, arma ac reliqua omnia adornavit. *Cina* familia *Sanchuen* dixit, quod tres aquas significat, nam revera Vrbs jacet inter tria flumina: hodiernum nomen ab *Hana* familia est, ad hanc è Borealibus partibus ejecta confugit, in eaque non diu duraturam Imperatoriam fixit sedem, Rex *Guei Cocheú*, *T'anga* familia *Tungtu*, *Sunga Siking*, *Kina Kinchang* dixit, at *Taiminga Honan* nomen restituit: habet sub se civitates quatuordecim, quarum 1 *Honan*, 2 *Jensu*, 3 *Cung*, 4 *Mengcin*, 5 *Yyang*, 6 *Tengfung*, 7 *Jungning*, 8 *Singan*, 9 *Mienchi*, 10 *Cao*, 11 *Xen* ○, 12 *Lingpao*, 13 *Xeuhiang*, 14 *Luxi*.

Ex hisce *Tengfung* non ita celeri pede ac calamo percurrenda, quippe quam item in ipso orbis centro ac meditullio constituunt Sinæ, in ea spectatur etiamnum ingens regula supra æneum planum ad perpendiculum erecta in certas divisa partes, uti & in ipsa plani superficie linea extensa in suas etiam partes distributa, quo instrumento *Cheucungus* magnus ille apud Sinas Astrologus & Mathematicus, summusque totius olim Imperii præfectus, umbram meridianam observabat, atque inde altitudinem poli, cæteraque quæ ex ea colligi possunt, venabatur. Vixit is ante Christum natum annis mille, centum & viginti: ibidem visitur turris, in qua solitus syderum notare cursus ac conversiones, dicta *Quonsing tai*, hoc est aspiciendorum syderum turris, hic idem *Cheucungus* acus pyxidisque magneticæ usum jam tum habuit familiarem, uti clarius demonstro in mea Sinensium Historiarum epitome.

Schioterica, poli altitudo, usus magnetis antiquissima apud Sinas.

Habet hic terrarum tractus quam plurima ac magnifica sepulchra, & circum ipsa urbis mœnia pulcherrima viridaria, vivariaque multa: prope *Xen* civitatem in magno quodam fano duodecim statuæ suis basibus innixæ conspiciuntur, jam inde à *Xio* Imperatore mirando ac plane raro fusæ artificio.

Montes.

Pe mang mons ingens ad Boream urbis, inde

inde *Jensu Cung* & *Mengcin* regiones transit, *Iquan* mons duplex ad urbis Notolybicum, per cujus meditullium quasi per portam transmissus *In* fluvius devolvitur. Circa *Hiang* civitatem *King* montes sunt, ex quibus cuprum effoditur, & scribunt ex eodem loco *Hoangtium* Imperatorem cuprum accepisse, ad instrumenta domestica ac militaria conficienda, quæ antiqua est fodinarum memoria.

Flumina. *T* amnis, cujus origo in montibus *Luxi* civitatis, *Lo* amnis nobilis, aliique plures ignobiliores sunt; at ad partem ortivam *Jensu* civitatis lacus est æstate frigidus, hyeme calidissimus. Est & *Ping* fons pulcherrimus ad Austrum urbis, cui lapideum adstruxere pegma, ut melius spectari à curiosis possit.

Septima Urbs
NANYANG.

OCcupat nobilissima *Nanyang* urbs *To* fluminis occidentale latus; si quæ alia Sinarum, ingentem terrarum tractum fertilitate rerumque omnium copia ac præstantia insignem: in eo tredecim sunt civitates, 1 *Nanyang*, 2 *Chinping*, 3 *Tang*, 4 *Pieyang*, 5 *Tungpe*, 6 *Nanchao*, 7 *Tengo*, 8 *Nuihiang*, 9 *Sinye*, 10 *Chechuen*, 11 *Yuo*, 12 *Vuyang*, 13 *Ye*. Tota undique regio montibus ac fluminibus clausa est, magni ad Sinici Imperii custodiam momenti est, tanta enim alimentorum abundat copia, ut facile ingentibus etiam exercitibus de rebus necessariis providere possit. *Yvus* Imperator eam *Jû* Provinciæ adscripsit, & *Chang* stellis ut subesset, statuit. jam inde ab antiquis temporibus erat *Hiaæ* familiæ, priusquam Imperium invaderet, proprium Regnum. Sub *Cheva* familia *Xinpe* vocata est, postmodum eam *Çu* reges occuparunt, deinde *Han*, hodiernum nomen à *Cina* habet familia, *Sunga* & *Tanga Voncheu* dixere. Est hæc urbs incolis admodum frequens, dives opum, producit recensita supra, & lapidem lazulum, genusque serpentis maculosa pelle, albis cutis maculis distincta: hunc in amphora vini seu phiala maceratum contra paralysim adhibent Sinenses medici. pulcherrima ædificia multa numerat, & Heroibus dicata fana novem. Vixit hic etiam Rex è *Taiminga* familia, qui urbem nobilitavit.

Schioterica, poli altitudo, usus magnetis, antiquissima apud Sinas.

Mirus serpens.

Montes. Ad urbis Boream partem mons est *Yu*, in quo sex supra triginta reperiuntur stagna, circa *Nuihiang* incipit mons *Taipe*, qui ad *Chechuen* usque pertingit, ibidem est *Tienchi* mons, in quo aqua lacus cujusdam mire morbis cardiacis medetur.

Flumina. *To* sive *Pe* fluvius, *Pie* amnis, *Chi* & *Hoai* fluvii hunc tractum fœcundum reddunt: sed quod admirationem haud immerito excitet, est *Tan* amnis, qui prope *Niuhiang* fluit, in quo rubri omnino reperiuntur pisces, qui tantummodo sub initium æstatis apparent ac capiuntur, reliquo anni tempore delitescunt. Scribunt fabulanturque Sinæ, horum piscium sanguine si uncti fuerint pedes, facile tum esse aquis inambulare, sed harum rerum & similium fides sit penes auctores, ego hanc regionem coram non lustravi, adeoque nil ita diserte de ea possum affirmare: addunt præterea quod si tum aqua turbetur, pisces illos omnes quam primum ad aquæ superficiem ascendere, reddereque ipsum fluvium totum rubicundum atque ignitum, inde illi *Tan* nomen, quod rubrum significat.

Prope *Teng* civitatem parva est insula *Pehoa* dicta, hoc est omnium florum, in qua palatium est animi relaxationi fabrefactum.

Prope *Niuhang* fons aquæ est Sinis admodum pretiosæ, quod vitam longiorem homini præstare credatur.

Octava Urbs
JVNING.

AD *Co* lacus ripam jacet hujus urbis regio, ab antecedenti procedendo versus ortum: illam montes ad Boream, ad Austrum *Hoei* fluvius claudit: pretiosam illam herbam à Sinis numquam satis laudatam indiesque usurpatam *Cha* producit, quam alibi describo accuratius. Sub *Yvo* cum superiori eandem nacta est Provinciam sub tribus potissimum constellationibus pro variis territorii partibus, *Kio* nimirum, *Kang* & *Ti*. Regum tempore ejus pars ad *Çai*, alia ad *Xin* Reges pertinebat. *Cina* familia *Sanchuen*, *Hana junam* dixit, eo quod ad Austrum jacet fluminis: *Tanga* familia *Cai cheu*, *Sunga* vocavit *Hoaikang*, hodiernum nomen *Taiminga* confirmavit ab *Juena* impositum, quam etiam Rex ex regio sanguine incoluit. Octo fana heroibus dicata numerat, ac quatuordecim regit civitates, 1 *Juning*, 2 *Xangçai*, 3 *Sip'ing*,

4 *Sin-*

4 *Sinçai*, 5 *Siúp'ing*, 6 *Chinyang*, 7 *Sinyang* ö, 8 *Loxan*, 9 *Kioxan*, 10 *Quango*, 11 *Quangxan*, 12 *Cuxi*, 13 *Sie*, 14 *Xangching*.

Montes. *Tienchung* mons eſt ad urbis Boream, quem & mundi centrum dicunt.

Prope *Sinyang* mons eſt altiſſimus juxta ac amœniſſimus; obſervatum eſt ſæpius, quoties nubes illius tegit verticem, quam mox certo pluviam imminere.

Hing mons prope *Quangxan*, cui arbores prunorum Armeniacorum nomen dederunt, quibus maxime abundat.

Flumina. *Ming* fluvius originem habet in montibus prope *Sinyang*.

Pelu fluvius ſive *Pie Quang* civitatem tranſit: *Ju* fluvius eſt à quo urbi nomen. ad occaſum urbis *Si* lacus eſt, aſpectu jucundus & amœnus, duobus ædificiis, ad civium convivia ac voluptatem ſuperexſtructis, celebris.

Civitas major Ju.

HÆc apud Sinas urbis titulum aut dignitatem necdum merita eſt, licet territorii præſtantia, ac fertilitate urbibus multis ſit æqualis. regit tamen quinq; etiam civitates, nimirum, 1 *Ju* ○, 2 *Luxan*, 3 *Kia*, 4 *Paofung*, 5 *Yyang*. jacet ipſa ad Borealem ripam *Ju* fluvii, à quo & nomen habet, cujus ſcaturigo non multum quoque inde abeſt, ſub *Yvo* Imperatore ad *Ju* Provinciam pertinuit ſub ſtellis *Chang*: Regum tempore fuit regis *Han*, mox ſpectavit ad *Honan*; *Tanga* familia *Linju* dixit, & *Taiminga* illam proprii juris reddidit, vocavitque *Ju*.

Montes. *Lu* mons civitati ejuſdem nominis adjacet, cui & nomen dat.

Flumina. Ad occaſum *Ju* civitatis lacus eſt ſtadiorum centum, & ad Notolybicum fons eſt aquæ calidiſſimæ, unde *Ven* dicitur.

Sien fluvius originem habet in *Ki* monte civitatis *Tengfung*.



SEXTA

Montes.

Flumina.

T A



Stadia Sinensia, quorum 250 uni gradui respondent
50 100 150 200 250 300 350
Milliaria Germanica quorum 15 unum Constituunt gradum
5 10 15 20
Cum privilegio Sacr. Cæsar. Maj: & Ordinum Belgicæ Fœderatæ.
Sifan Regnum sive Tibet.
In his montibus est regnum King Sinis non parens.
Quenlun Montes.
VSVÇANG REGNVM.
Notarum Explicatio.
METROPOLIS.
Vrbs.
Civitas major.
Civitas minor.
Fortalitia.
Signum militare.
M. Mons.
A. Amnis.
fl. F. fluvius.
L. Lacus
T. Torrens
Paoning
Xunking
Chingtu
Chungking
Queichen
Mahu
Yacheu
HVQVANG CONFINIA.
QVEICHEV CONFINIA.
IVNNAN PARS.
Excudit Joannes Blaeu.
SVCHVEN, IMPERII SINARVM PROVINCIA SEXTA.
Occidens
Oriens
Septentrio
Meridies

15.

SEXTA PROVINCIA,

SUCHUEN.

Situs.



Vam vulgo *Suchuen* (hoc est quatuor aquas) vocant, Provincia ingens est, quę nec magnitudine nec rerum copia ulli cedit, hanc magnus *Kiang* fluvius mediam intersecat, unde una illius pars Borealis, altera Australis dici potest. Est *Suchuen* Indiæ vicinior, nec ab Indorum moribus tantopere abhorret, à *Tibet* regno per continuos Damasæos montes separatur, atque ipsa nec montibus, nec aquis caret, amœnissimam etiam sæpe planitiem, ridentesque ut ita dicam campos includit, rerumque omnium ad vitæ sustentationem necessariarum feracissima est; serico etiam abundat, & medicamentis optimis, tum herbarum, tum mineralium, quæ inde ad nos usque deferri solent. Vera radix Sina in hac Provincia solum reperitur, sylvestris vero ubique, *Folin* utramque Sinæ vocant, ac fere sola sylvestris ad nos affertur, cujus medulla rubicundiori colore quodammodo tincta est, ad veræ autem magnitudinem non accedit, neque efficaces adeo habet vires, quamvis non omnino illius effectu careat. Vera autem uti dixi radix in hac sola nascitur Provincia, idque sub ipsa terra, uti fere phalli Hollandici, aut apud Indos Patatas nasci propagarique solent, maxime in annosis pinorum sylvis, unde eam ex glutine seu pice pinea produci scribunt, quæ in terram delapsa radices agat, atque herba fiat longo tractu per terræ superficiem serpens, continuoque tuberosas radices sub ipsa terra emittens, subinde ad capitis puerilis magnitudinem, figura ac mole magnas nuces Indicas, quas Coccos vocamus æquat, nec cortex colore abludit, quamvis non adeo durus crassusve sit, sed mollior omnino ac tenuior. corticem replet nucleus seu caro alba ac spongiosa, hanc Sinæ magni faciunt & in suis medicinis adhibent, tametsi, cum hac carent, sylvestrem illam non respuant, at effectu non æque bono.

Radix Sina.

Rheubarbarum.

Hujus etiam Provinciæ Rheubarbarum præstantissimum est, atque inde *Tibetani* ac *Mogores*, qui hanc Provinciam frequentant, ad nos advehere solent: præcipui ex illis idolorum sacrificuli sunt, quos Indi *Lama* vocant: horum aliqui hic inventi sunt à patribus nostris, qui *Surate*, *Goam*, magnamque Indiæ citerioris partem lustraverant, ac Lusitanam gentem norant. Succini hic etiam copia est utriusque speciei, flavi nimirum, quale ad nos mittit Polonia, & præcipue rubicundioris, putant quidam ex defæcatis illud oriri pinorum medullis, temporis longinquitate induratis ac pellucentibus. & vidi ego sane ex pice pinea seu resina per decoctionem illud arte fieri, divendique à Sinis ita egregie effictum, ut vero invidiam facere posset; neque attractio paleæ aut rei alterius levioris ac siccæ certum veri, ac genuini succini experimentum est, nam illud fictitium quoque, & arte factum, si confricetur, vim habet electricam seu attractivam. Reliqua huic Provinciæ singularia in singulis urbium descriptionibus vide.

Succinum.

Termini.

Magnæ hujus Provinciæ termini sunt Orientales *Huquang*, ad Notapeliotem *Queicheu*, Barrapeliotem & Boream *Xensi* occupat, à Barrolybico *Coninguangi* & *Kiang* populos habet, sive terras illas, in quibus M. Paulus Venetus Prete Joan ponit, Sinæ *Sifan* vocant, ab occasu *Tibet* est, in Australi parte extrema *Junnam* Provinciæ attingit: tota Provincia includit urbes octo, ac præter eas militares quatuor, civitates vero supra centum viginti quatuor, ut minora loca ac munimenta prætercam. Liber, cui Sinarum census inscriptus est, numerat in ea familias 464129. Viros vero 2204170. licet minima hujus Provinciæ pars eo in volumine recenseatur, quia tota militibus abundat, quorum nulla ibi fit mentio. Oryzæ tributum est saccorum 6106, 660. Serici confecti, infectique libras dat 6339. gossipii 74851. salis pondera 149177. præter vectigal, quod duo in hac Provincia colligunt telonia.

Cinæ familiæ auctor *Xius* primus hanc regionem imperio adjecit, ante vulgarem Christi Epocham anno fere quinquagesimo supra ducentesimum, ut doceo in mea Historiarum epitome; duo enim tum hic regnabant *Dynastæ Pa* & *Cho* ex Imperatoris

toris *Hoangtii* ſanguine,qui ſub *Hiáa* familia rebelles nunquam Sinico deinceps paruerunt imperio niſi ſub *Xio*.

Per totam Provinciam paſſim magna vis ferri effoditur, uti & ſtanni & plumbi,lapides magnetis etiam præclari reperiuntur,ſed quod rarum in orbe reliquo, hic putei ſalis ſunt in montibus, ex quibus toti Provinciæ de ſale proſpicitur, magno divinæ in eos homines providentiæ argumento, cum hæc Sinæ pars longiſſime à mari diſtet, nec niſi ſummo ſuo incommodo aliunde ſalem petere poſſet: ſunt autem putei iſti ſæpe ſupra centum paſſus alti in montibus cultis, dulciſque ſoli: os putei vix tres quatuorve palmos æquat: hos ferrea manu effodiunt,quæ in terram demiſſa pondere ſuo ac digitis eam penetrat, mox fune attrahunt ſingulari que artificio manus ſeipſam claudit, ac terram ſtringit, quam è puteo extrahunt, donec ſalſam terram & aquam inveniant: hanc deinde vaſe immiſſo accipiunt, quod vas in fundo foramen ac animulam habet, quæ ab aqua ingrediente aperitur, cum vas liberum dependet, at cum plenum eſt, & fune elevatur, tum animula foramen claudit, & aqua ſalſa educitur, quæ cocta igne vapores aqueos emittit, ſalemque candidiſſimum fundo adhærentem relinquit, marino tamen aliquantulo dulciorem.

In hanc etiam Provinciam, quæ ex Siniсis maxime vergit ad Occidentem , penetravit Societas JESU, in cujus metropoli Sacerdotes duo frequentibus ibi Chriſtianis ſtrenuam operam navabant,ſed hiſce ultimis bellis urbs tota , imo & Provincia vaſtata eſt, adeoque & Patres noſtri alio abire coacti, qui miro etiam modo inter tot cædes ac funera fuêre ſervati, ut ſalvi evaſerint & incolumes , quo denuo redire cogitant, ſi modo Deus annuat. Eſt in hac Provincia in altiſſimis montibus Barrapeliotem verſus, ubi cum *Honan* Provincia jungitur, regnum *King* , quod ſui juris eſt , ac Sinico Imperatori nullo modo paret , tantum honoris cauſa coronam ac regia inſignia à Sinico Monarcha accipit. cæterum monticolæ illi Sinas nullo modo intra ſuos montes admittunt. Regnum hoc *King* voco, nam à *King* ac vicinarum regionum ex *Huquang* Provincia fugientibus populis fundatum eſt, qui bellorum motus ac militum inſolentias vitantes, regum tempore ſub *Chevæ* familiæ finem, montes hos altiſſimos petivere. Sunt hic etiam amœnæ valles, campique egregie culti,& ab hoſtium inſidiis rapiniſque tuti: hic degunt agricolæ,inter rupes ac ſaxa pro pudor! quam inter homines ſecuriores, adeò & iſthic homines hominibus lupi ſunt.

Urbs prima ſeu metropolis

CHINGTV.

METropolis hæc *Chingtu* , cæteras ut inferiores magnitudine,ædificiorum ſplendore, ac frequentia facile ſuperat: emporium etiam copioſiſſimum eſt , nec Rex ei , quo nobilius evaderet , è *Taiminga* familia defuit , qui ſola juriſdictione ac Imperii titulo ſoli cedebat imperatori , cætera omnia regio ſplendore ac apparatu adminiſtrabat: palatium illius auguſtum ac ingens , quod quatuor milliaria Italica ſuo ambitu complectebatur , erat in ipſo urbis meditullio,quatuor portis exornatum; ante eam quæ ad Auſtrum ſpectat, ſpatioſa erat platea, pluribus lapideis arcubus egregio opere elaboratis exornata, aquis etiam tota urbs pervia eſt, deductis undequaque canalibus navigabilis , quibus ſuperſtructi ſunt lapidei pontes plurimi , canaleſque omnes in utraque ripa quadrato ac ſecto lapide ædificati : fana Heroibus dicata ſeptem numerat, & unum *Cho* regi *Çançungo* conſecratum,in acceptæ ab eo byſſum elaborandi, bombyceſq; educandi artis memoriam.

Fuit olim priuſquam Sinico pareret imperio *Cho* regum regia; *Hana* familia *Quanghan* vocavit , in eaque aliquanto tempore imperialem habuit ſedem , hodiernum nomen dedere reges *Cyn* ; *T'anga* familia *Kiennan* dixit. jacet hæc urbs in Inſula , quam flumina efformant : regio tota partim plana eſt, partim montibus extuberans: ager omnino fertilis, cujus nulla partem incultam ſquallere patiuntur : campi omnes deductis ubique arte vel natura rivulis irrigui, præcipue ortum verſus , ubi per amœniſſimam planitiem trium dierum iter eſt, quo in itinere ſupra centum lapidei pontes ſuperandi ſunt , omnes pluribus arcubus innixi.

Præeſt urbs triginta civitatibus, 1 *Chingtu* , 2 *Xoanglieu* , 3 *Venkiang* , 4 *Sinfan* , 5 *Sintu*, 6 *Kint'ang*, 7 *Ginxeu*, 8 *Cingping*, 9 *Pi* , 10 *Çu* , 11 *Nuikiang* , 12 *Quon*, 13 *P'eng*, 14 *Cungning*, 15 *Gan*,16 *Kien* ○, 17 *Cuyang*, 18 *Çungking*,19 *Sincin*,20 *Han* ○, 21 *Xefang*, 22 *Miencho* , 23 *Teyang*, 24 *Mien* ○, 25 *Changming* , 26 *Lokiang*, 27 *Mieu* ○, 28 *Venchuen*, 29 *Guei* ○, 30 *Pao*.

Res

Avis rara.

Res mira & ſpectatu jucunda eſt in hac urbe: avicula quædam, quam *Tunghoafung* vocant Sinæ, roſtrum habet rubeſcens ut minium, maxima colorum varietate omnes rapit in admirationem; ex flore naſcitur *Tunghoa*, unde aviculæ nomen ſimile matri uti & ipſa eſt, vivit autem tamdiu, quam flos ipſe arboris durat, vivum ac volantem florem credas, adeo & pulchritudine, & exigui temporis florente ætatula flori ſimilis eſt.

Montes.

Jeking mons altus ſupra ipſas nubes aſcendit, prope *Çu* civitatem. Ad civitatem *Quon Cingching* mons incipit ac pluſquam mille terrarum ſtadia occupat, eſt ex nominatiſſimis apud Sinas ordine quintus, in eo *Xinſien*, hoc eſt, homines immortales, inter ſe convenire fabulantur. *Gan* civitas *Lunggan* montem habet vicinum, ſylvis ac fontibus amœnum, in eo *Cho* regum palatii rudera viſuntur, illud æſtivo tempore incolere ſoliti fuerant ad calores vitandos. *Cungking* montem habet *Toyúng* dictum, in quo Simiæ reperiuntur, quæ omnino magnitudine ac figura quam proxime ad hominem accedunt, ac mulieres depereunt, eaſque ad libidinem, cum facultas ſuppetit, abripere tentant. *Xefang* civitati proximus eſt mons altiſſimus *Tafung*, qui ad cœlum ipſum videtur pertingere: ex alto amnis ibi præceps cadit, ingenti lapſu ac aquarum murmure: illi prope æqualis eſt mons *Pin* ad civitatem *Guei*, tantæ altitudinis ut ſexaginta ſtadiorum ejus eſſe altitudinem ſcribant Sinæ; ex ejus vertice per reliquos montes videtur ipſa metropolis: in hoc monte magni *Kiang* fluminis prima origo eſt, qui inde ad terras *Preſte Joan* uſque excurrit. *Tienchi* mons prope *Mien* o, in quo lacus, qui nec pluvia creſcere, nec ſiccitate animadvertitur pati decrementum.

Flumina.

Kin fluvius ad Auſtrum urbis eſt, vulgo Damaſcenus dicitur, quia holoſerica in eo lota mirum acquirunt ſplendorem. *To* flumen ad *Sifan* fluit, ramus eſt ex *Kiang* quaſi derivatus, abſciſſuſque, quem effodi juſſit *Yvus* Imperator, ut *Kiang* exundationes eluvioneſque impediret. *Chu* flumen *Çu* civitatem præterlabitur, unionum vulgo dicitur, quia noctu in eo lumina micantia collucent, quæ putant illi carbunculos eſſe, ſeu lapides illos pretioſos, quos Sinæ *Teming* vocant, hoc eſt noctilucos. *Si* lacus ſuburbium Occidentale civitatis *Çungking* ambit, multa in eo ædificia ad animi relaxationem ſtructa ſunt, circumque ipſum lacum oculis blandiuntur, quem ibi ob amœnitatem incolarum delicias vocant. *Co* amnis civitatem *Han* alluit, hujus aqua ad ferramenta acuenda præ reliquis aptior eſt & expetitur.

Ad urbis Notapeliotem eſt locus *Naumachiæ*, ſeu ſtagnum *Yolung*, quod *Suius* Rex adornavit pro militum exercitatione, cum *Chin* Regi bellum inferre ſtatuit.

Vanſui lacus eſt quadraginta ſtadiorum, tamquam pro urbis foſſa ductus efformatuſque, cum terra educta eſt pro urbis mœnibus replendis. latior eſt ad Borealem urbis partem: prope *Nuikiang* eſt aquæ fons, qui modo aſcendit, modo deſcendit, æſtuſque marini horas adeo procul à mari eum ſequi obſervatum eſt.

Secunda Urbs
P A O N I N G.

Situs.

IAcet *Paoning* ad Orientalem ripam *Kialing* fluvii, cujus territorium à montibus ad coronæ modum cingitur, in quibus magna muſchi & major damarum copia. urbs ipſa ſat pulchra privatis publiciſque ædificiis conſpicua: quatuor in ea ſunt nobiliora fana. decem civitatibus urbs hæc jura dat: 1 *Paoning*, 2 *Çangki*, 3 *Nanpu*, 4 *Quangyven*, 5 *Pa* o, 6 *Chaohoa*, 7 *Tungkiang*, 8 *Kien* o, 9 *Çutung*, 10 *Nankiang*.

Antiqua nomina.

Yvus Imperator eam Provinciæ *Leang* adnumeravit, & ſubeſſe ſtellis *Cing* & *Quei* voluit, Regum tempore *Pa* regum fuit, *Hana* familia *Paſi* dixit: *Tanga Langcheu*, *Sunga Gante*, hodiernum nomen impoſuit *Ivena* ob montium fauces arctiſſimas ac admodum paucos aditus, quibus fortiſſima etiam appoſita ſunt munimenta.

Insignis magnitudinis arbor.

Rem dictu miram hic adnotat Sinicus auctor de arbore quadam *Ciennien* dicta, hoc eſt mille annorum, hæc in idolorum templo *Kien* civitatis erat, tantæ magnitudinis, ut ſub uno ramo ducentæ oves ſtare, ac circumire poſſent, abſque eo quod viderentur, licet ad rami initia accederes; fortaſſe ex illis arboribus eſt, quæ per totam Indiam inclinatis ad terram ramis in varias arbores excreſcunt, Luſitani arbor *Rays* vocant.

Montes insigniores.

Ad Orientalem urbis partem campis ac ſylvis amœni ac jucundi montes ſunt *Puon* & *Mienping*: prope *Çangki* mons eſt *Juntai* altiſſimus, nubium idcirco thronus dictus. *Pa* civitas montem *Jo* habet, è quo pretioſi effodiuntur lapides, ſed ob nimiam

aſperi-

asperitatem, ascensumque arduum ac præruptum difficillimus accessus est.

Ibidem *Ping Leang* mons est, in cujus vertice ingens planicies, undiq; à montibus regionis cincta, qui illi pro mœnibus sunt.

Flumina. *Pa* flumen civitati *Pa* nomen dat, quam præterfluit: dictum est *Pa*, quia suis mœandris ac gyris characterem 巴 fere efformat, qui *Pa* dicitur, significatque apud illos sufficit.

Ad Austrum urbis *Haitang* torrens est, à copia rosarum aquaticarum, quæ *Haitang* vocantur, dictus.

Tertia Urbs
XVNKING.

XUnking urbis territorium etiam montibus non caret, habet tamen planitiem majorem, quam urbs præcedens. ingens hic ubique serici, pomorum aureorum, radicisque, quam *Scorzanera* vocant, abundantia est; castaneas fert, quæ ore aliquantulo tempore contentæ per se liquescunt uti saccarum. *Yvus* Imperator hunc tractum *Leang* Provinciæ adscripsit, *Seng* & *Cing* constellationes illi constituit: sub *Cheva* familia *Jungcheu* dicta regio: sub *Hana* urbs ipsa *Ganhan*, *Tanga Nanke*, à *Sunga* iisque quæ deinceps sunt, hodiernum habet nomen. Fana nobiliora tria numerat, ac decem regit civitates, 1 *Xunking*, 2 *Sike*, 3 *Fung* ⊙, 4 *Jungxan*, 5 *Ylung*, 6 *Quanggan* ⊙, 7 *Kin*, 8 *Tacho*, 9 *Gochi*, 10 *Linxui*.

Montes. Ad urbis occasum mons est *Co* pomorum aureorum sylvis celebris. *Sike* civitas in monte ejusdem nominis jacet. ibidem est *Nanmin* mons ingens, qui duodecim attollit vertices altissimos; in eo novem putei salis sunt.

Flumina. *Chuen* amnis circa *Quanggan* per saxa volvitur, ac præcipitia in eo sunt ad sex & triginta, *Catadupas* seu *Cascatas* vulgo vocant, ex quibus aqua decidit ingenti cum murmure ac fragore. fons *Tieju*, ad urbis occasum stillans, lacteus vocatur ab aquæ suavitate.

Quarta Urbs
SIVCHEV.

EMporium nobile ac frequens est urbs *Siucheu*, ingentes enim duo fluvii navium capaces ad urbis mœnia, qua orientem spectant, in unum confluunt, *Kiang* nimirum & *Mahu*, ille ex Metropoli defluit, hic ex magno *Mahu* lacu, à quo nomen accipit, ac magnum aquarum simul incrementum; dives proinde urbs est, atque incolis referta, ædificia in ea multa tum privata, tum publica haud contemnenda, inter quæ tria heroibus dicata fana nobiliora. Regio tota fere montibus aspera est, fertilis tamen ac fœcunda parens rerum, quæ ad usus vitæ faciunt, arundinum, cannarumque Indicarum, uti & fructus Lichi nobilissimi ubique magna vis, quæ utraque alibi describam opportunius; loquaces etiam psittacos alit, aliasque aves vocales; memorant olim unum hic ab exteris emptum, ut in patriam eum suam illi asportarent, verum cum eam ex Sina efferre vellent, ita locutam fuisse aviculam: ego Sinarum sum avis, ad exteros ire dedignor, atque ita eam paulo post exspirasse. quis credat tantum etiam belluis innatum patriæ amorem, adeoque illubentes non homines tantum, sed & aves Sinas alio migrare, mordicusque leges patrias observare?

Olim hæc regio à *Sui* regibus *Jungcheu* dicebatur, *Tanga* familia *Nanki*, hodiernum nomen *Sunga* dedit: præest urbs civitatibus decem, 1 *Siucheu*, 2 *Kingfu*, 3 *Fuxun*, 4 *Nanki*, 5 *Hinguen*, 6 *Changning*, 7 *Junlien*, 8 *Cung*, 9 *Cao*, 10 *Lungchang*.

Xeching mons ad urbis Australem partem jacet, lapidea mœnia vulgo dictus, totum quippe montem coronant altissimi vertices. *Montes insigniores.*

Hanyang mons prope *Kingfu*, ad *Fuxun* vero est mons *Lingyven*, in ipsa ripa *Kiang* fluvii.

Ad urbis Notolybicum *Xemuen* seu *Heng* fluvius magna aquarum vi profluit, ibique è catadupa decidit, quæ campana dicitur, siquidem ingenti boatu resonat; ad urbis occasum lacus etiam est quinquaginta stadiorum longitudine, non ita multum latus. Ad *Changning* fons scaturit multis undique annosis septus arboribus. *Flumina.*

Quinta Urbs
CHVNKING.

SI quæ alia in hac Extrema Asia splendidam urbem Europæam refert, ea *Chungking* est, in monte sita, in cujus acclivi adscensu sensim attolluntur ædificia ad amphitheatri modum, alia aliis altiora pul-

pulcherrimo adspectu, intuentium oculos invitantia, maxime eorum, qui per fluvium ultro citroque elegantibus, commodissimisque navigiis deferuntur: duplicem lætitiam *Chungking* Sinice significat, quod exhaustis ad Catadupas navigantium laboribus ac periculis fessos sua pulchritudine atque amœnitate recreet; ad hæc emporium celebre est, jacet enim ad confluxum duorum ingentium fluminum *Pa* & *Kiang*: inter nobilia ædificia sex Fana illustria numerat: fiunt hic elegantissimæ arcæ ex versicoloribus cannis contextæ. *Meutang* floribus abundat, suavissimo item *Lichia* fructu, qui hinc etiam cum maturuit, per dispositos ea de causa cursores in Regiam mittitur adhuc recens; piscibus optimis scatet, ac præcipue testudinibus. Est hoc adeo extensum territorium partim planum, partim in montes ac colles assurgens: salubri temperatoque utitur aëre. regit civitates viginti, 1 *Chungking*, 2 *Kiangcin*, 3 *Changxeu*, 4 *Taço*, 5 *Jungchuen*, 6 *Jankiu*, 7 *Jungchang*, 8 *Kikiang*, 9 *Nanchuen*, 10 *Kiukiang*, 11 *Ho* ⊙, 12 *Tungleang*, 13 *Tingyven*, 14 *Piexan*, 15 *Chung* ⊙, 16 *Fungtu*, 17 *Tienkiang*, 18 *Feu* ⊙, 19 *Vulung*, 20 *Pengxui*.

Rerum copia.

Montes.

Primus mons vere omni admiratione dignus est in ripa *Feu* fluminis in hujus urbis confinio, & *Tunchuen* civitatis, nam ex monte idolum non monstruosum, ut ita dicam, solum, sed & montosum efformarunt, *Fe* vocant, decussatis sedet pedibus, manus sibi invicem superimpositas in sinu complicat: ejus magnitudinem vel inde collige, quod oculi, aures, nares ac os ad duo & plura nostratia conspiciantur miliaria. Unde minime mirum nostris antiquariis videri debet, quod olim Dinostratus celeberrimus ille architectus, uti refert Vitruvius, pollicitus sit magno illi Alexandro statuam ex *Atho* monte, quæ una manu urbem maximam, altera fluvium contineret, aut lacum, cujus aquarum copia abunde ad incolarum usus sufficeret, cum hujus Idoli vel solum caput ad utrumque sufficiat. *Cynyun* mons ad urbis occasum amœnis nemoribus conspicuus. *Ho* civitas proximum habet montem *Lungmuen*, in quo Idolorum magnificentissimum fuit fanum cum addita bibliotheca, quæ constitit triginta millibus Sinensium librorum, dicta est *Siyuli* bibliotheca, illam enim inchoavit præfectus ita dictus. Circa *Piexan* planicies est ducentorum stadiorum, quam *Chungpie* mons efformat. Prope *Fungtu* mons est *Pingtu* dictus inter septuaginta duos, quos laudat Taosu liber, nominatus. Ad *Pengxui* est *Fonien* mons, in quo quamplurimi salis putei.

Bibliotheca Sinica.

Flumina.

Quamvis multa magna flumina per urbis hujus territorium fluant, nihil tamen de illis magnopere occurrit præter id quod habent mappæ. addi tamen hic meretur torrens *Mingyo* prope *Chung* civitatem, qui præruptis undique saxis, ex monte ad quinquaginta & amplius altitudinis perticas ingenti impetu decidit, hic inferius ubique in ripis annosas ac proceras habet arbores.

Sexta Urbs
QUEICHEU.

Situs.

URbs hæc hujus Provinciæ ex iis una est, quæ maxime vergunt ad occidentem, jacetque ad Borealem ripam *Kiang* fluminis, & quia Provinciam ingredientibus prima occurrit telonium habet, in quo advectarum mercium portorium exigitur. inde urbs dives evadit ac opulenta, ac tredecim civitatibus jus dicit, 1 *Queicheu*, 2 *Coxan*, 3 *Tachang*, 4 *Taning*, 5 *Junyang*, 6 *Van*, 7 *C'ai*, 8 *Ta* ⊙, 9 *Sinning*, 10 *Leangxan*, 11 *Kienxi*, 12 *Tunghiang*, 13 *Taiping*.

Tractus hic terrarum ut fœcundus à Sinis commendatur, nec quidquam ibi incultum patiuntur, præter id quod saxosi ac scrupei montes cultorum industriæ surripiunt, præcipue in partibus Septentrionalibus, ubi sæpe spissis crebrisque montibus horret, in quibus ad hæc usque tempora agrestis atque inculta gens degit, Sinis minime subdita. ibi putei salis complures, malorum aureorum, citreorumque, muschi ac perdicum magna copia: fana nobilia tria. Sub *Tvo* Imperatore hæc Regio in duas divisa fuit partes, quarum una pars ad *Leang*, alia ad *King* pertinuit; binas hisce etiam assignavit constellationes Imperator, *Chin* nimirum, & *Te*: sub *Cheva* familia fuit regni *Jufo*, sub *Hana Jungning* dicta est, *Tanga* familia primum *Jungan*, mox *Queicheu* dixit, quod nomen adhuc servat.

Montes.

Ad Boream urbis *Chekia* mons est, in quo *Jufo* Regum regiæ civitatis rudera conspiciuntur, ex quadrato secto lapide: prope *Çoxan* mons est *Han*, altus ac præceps; ibidem ad ripam *Kiang* fluminis *Ço* mons ita dictus, quod characterem *Ço* 工 Sinicum repræsentet. *Tulie* mons prope *Van* civitatem, tantæ altitudinis verticem unum extol-

lit, ut ne aves quidem volatu ſuo umquam ſuperare ſint auſæ. *Si* mons ad occaſum eſt *Van* civitatis, in quo amœniſſimum *Sungæ* familiæ adhuc viridarium viſitur, lacu, ſilvis ac frugiferis arboribus conſitum. *Tunghoa* mons in quo *Ta* civitas; circa *Leangxan* mons eſt *Caoleang*, qui ad mille ſtadia excurrit, partim verſus ortum, partim verſus occaſum. *Xehiang* mons ita à muſchi copia dictus, *Xehiang* enim muſchum ſignificat. in *Co* monte, de quo egi ſupra, via eſt acclivis centum & ſexaginta ſtadiorum longitudine.

Flumina. *Cing* fluvius ad ortum urbis in *Kiang* influit, ejus origo eſt ex lacu *Cingyven*, qui centum ſtadia quadrata continet; dicitur fluvius limpidus, hoc enim *Cing* ſignificat, quia præ reliquis hujus provinciæ fluviis chryſtallinam aquam volvit. Alter lacus magnus eſt circa *Ta* civitatem, *Vanking* dictus, cujus ripæ Sylvis, agris, floribus ac frugiferis arboribus plenæ ſunt, ac pagis frequentes: ſunt & multi putei ſalis ad *Taning* in montibus.

Septima Urbs

LVNGGAN.

L*Unggan* urbs origini *Feu* fluminis adjacet, locus hic totius Provinciæ clavis non immerito dicitur, nam ad propellendam hoſtium vim accommodatiſſimus eſt, unde tametſi tres tantum civitates hic tractus numeret, plura tamen poſſidet munimenta; civitates ſunt, 1 *Lugan*, 2 *Kiangyeú*, 3 *Xeciven*; munimenta ex ipſa mappa perſpicientur: illud hic non prætereundum, *Xeciven Yvi* magni illius Imperatoris Aſtrologi, & primæ *Hiáa* familiæ Imperatoriæ conditoris, fuiſſe natale ſolum, unde in tanti viri memoriam nobiliſſimum erectum fanum conſpicitur: hic Imperator hanc regionem provinciæ *Leang* adſcripſit, illique dominari *Cing* & *Quei* conſtellationes voluit, *Cina* familia *Kiang* territorio adnumeravit, *Hana* familia *Inping* vocavit ipſam urbem, *Tanga Lungmuen*, *Taiminga* hodiernum dedit nomen.

Montes. *Cung tung* mons ad Boream urbis, inde longiſſimo tractu uſque ad *Siſan* terras excurrit, & ad Amaſæos uſque montes: ad Notapeliotem mons eſt *Xemuen*, hic limes eſt inter *Siſan*, ſive Prete Joan terras ac Sinas.

Flumina. *Feu* fluvius originem habet ad urbis Notolybicum, inde longiſſimo per provinciam tractu deſcendit, donec cum *Pa* fluvio aquas miſceat, ſimulque ad *Chung King* in *Kiang* fluvium ſe exoneret.

Octava Urbs

MAHV.

Situs. AD Borealem ripam *Mahu* fluvii lacui ejuſdem nominis vicina jacet, ſed ſola ſui juris, nulli alteri civitati præeſt. municipia tamen ac munimenta non pauca adjacent: fuit primum ædificata hæc urbs ab *Hiaouvo* Imperatore, quando per has regiones in Indiam expeditionem ſuſcepit, vocavitque *Jangco*; à *Tanga* familia reliquo deinceps tempore hodiernum habuit nomen, quod equi lacum ſignificat: ſcribunt enim in lacu viſum eſſe equum, draconis forma, inde lacui urbi ac fluvio nomen factum.

Montes. *King* mons ſpeculum ſignificat, ita dictus à chryſtallino fonte, qui oritur ad illius radices. jacet ad occaſum urbis, ibidem *Talo* mons, magnorum cervorum dicitur, hoc enim *Talo* ſonat, atque illis abundat.

Flumina. Aquæ hic multæ ſunt, ſed omnes præter lacum magno aquarum impetu profluunt, adeo ut ſi in Europa forent, minime navigabiles cenſerentur, quod tamen Sinica induſtria, atque improbus labor facile evincit ac ſuperat.

Prima civitas major

TVNGCHVEN.

ABſolutis urbibus aliquæ majoris notæ civitates hic addendæ ſunt, quæ alias multas ſub ſe continent: hæ quamvis urbis titulum ac nomen magnitudine ſua ac incolarum frequentia facile mereantur, non tamen obtinent, ne nimirum hæc Provincia plures urbes urbiumque præfectos habeat, quam *Peking*, & *Nanking*. Prima civitas eſt *Tungchuen* ⊙, quæ octo regit civitates: 1 *Tungchuen*, 2 *Xehung*, 3 *Jenting*, 4 *Chungkiang*, 5 *Suining*, 6 *Fungki*, 7 *Ganyo*, 8 *Lochi*. Tota hæc regio fluminibus ſcatet, mira ubique fertilitas eſt, & planities in plurimis locis, magnaque aëris ſalubritas: paucos habet montes eoſque non horridos aut ſaxeos, ſed maxima ex parte cultos pagiſque frequentes: magnus caſtanearum ac prunorum ubique proventus, ſed & *Qualitas.*

ſac-

Saccari copia & cultura. saccari cannas fert,ex quibus plurimum exprimitur atque optimæ notæ; licet autem eas jam pridem antiquitus habuerit, ex iis saccarum elicere nescivere, à quodam Indo idololatra sacrificulo edoctos ferunt incolas; cum enim asinus illius,quo vehebatur,arundinetum esset ingressus, captusque ab agri domino, qui, nisi alter damnum resarciret, eum domino restituere noluit, is ut asinum reciperet, modum quo pacto saccarum è cannis excoquatur, docuit.

Montes. Ad *Chunkiang* est mons *Tungquon*, ex quo cuprum effoditur; & prope *Lochi* est mons *Ciepuon*, sylvis, aquis, miraque lapidum varietate conspicuus pulcherrimam omnino picturam referens. Pago *Xinkia* vicinus est,quindecim à civitate distans stadia.

Flumina. *Feu* flumen ad occasum est civitatis,& ad notolybicum flumen *Xe*, cujus origo ebullit prope *Kien* civitatem majorem,varioque flexu proserpens *Xehung* etiam civitatem præterlabitur.

Secunda Civitas
MVICHEV.

AD Austrum metropolis jacet *Muicheu*, cujus totum territorium ambiunt duo brachia *Kiang* fluminis, ipsa civitas in *Hoan* lacu jacet, cui is pro fossa est, & aliquot lapideis pontibus ulteriorem ripam connectit; quatuor etiam habet nobiliora fana, ac quatuor civitatibus jura dat: 1 *Muicheu*, 2 *Pengxan*, 3 *Tanleng*, 4 *Cingxin*.

Montes. *Gomui* mons pars est *Min* montis, ad trecenta excurrit stadia,ad hujus usque civitatis Australem partem. Est etiam ad occasum mons *Peping*, cujus vertex noctu quasi accensis candelis collucet.

Flumina. *Pexan* præterfluit amnis *Che*, qui etiam *Hoanglung* dicitur, hoc est croceus draco, nam crocei coloris draconem in eo visum scribunt *Hanæ* familiæ temporibus.

Hoan lacus sive circularis dicitur, nam licet maxima illius pars ad occasum sit civitatis *Muicheu*, totam tamen etiam ambit, & circumquaque ad ripam pulcherrima habet ædificia, longissimumque lapideum pontem *Siúe*, quæ omnia quasi annulum constituunt, cujus pala recte dici possit ipsa civitas.

Tertia Civitas
KIATING.

Situs. LAcubus ac fluminibus amœnum territorium habet *Kiating* civitas, præstantia ac nobilitate,vix ulla ad *Kiang* fluvium sita,inferior. Muscho abundat,oryza aliisque necessariis. præest aliis septem: 1 *Kiating* ⊙, 2 *Gomui*, 3 *Hungia*, 4 *Laikiang*, 5 *Kienguei*, 6 *Jung*, 7 *Gueyuen*; fana nobiliora habet duo.

Montes. Ad Boream civitatis mons est *Mienkiang*, ubi, cum alibi multis gyret flexibus, ad radices montis rectissima quasi ducta linea *Kiang* descendit. *Jungte* mons *Jung* civitati nomen dat;altissimus omnium ac maximus est eorum qui in hoc territorio sunt: in eo quatuor & viginti lapideæ domus seu cavernæ profundissimæ conspiciuntur.

Flumina. *Chocung* rivus ad Boream civitatis *Kiating* memorabilis occurrit, scribunt enim mulierem quandam secundum ejus ripam ambulantem reperisse arundinem in aqua, ex qua vocem audiebat, eaque educta invenisse infantem in ea latitantem, (sunt enim hic arundines ac cannæ illæ Sinenses ad instar parvi dolii crassitie, quem domum delatum enutriit, qui non ita multo post *Yelang* effectus est, atque in hisce partibus, qua in occidentem tendunt, *Yelang* regno initia dedit. *Mingyue* lacus parvus est ad ortum civitatis: prope *Laikiang* est *Ho* Insula arundinibus ac floribus pulcherrime vestita.

Quarta Civitas major
KIVNG.

KIung civitas major duas alias regit, 1 *Kiung*, 2 *Taye*, 3 *Pukiang*, de quibus nihil singulare occurrit, nisi quod scribant de *Yotan* parvo lacu ad *Pukiang*, quod in eo *Hoangtius* arti chemicæ, vulgo Alchimiam vocant, operam dederit: idque bis mille quingentis eoque amplius annis ante Christi nativitatem. quare habent etiam hic unde antiquissimos natales suæ scientiæ atque artis accersant Chemicorum filii,potius quam à fabuloso suo Mose, aut Maria ejus sorore, ac Pythagoræis, uti à suppositiis illis Græculis decoctoribus factum vidimus. *Chemicæ artis antiquitas.*

Quinta

Quinta Civitas major

LIVCHEV.

Liucheu civitatis tractus quatuor civitates comprehendit: 1 *Liucheu*, 2 *Naki*, 3 *Hokiang*, 4 *Kiangan*. Primaria civitas *Lieucheu* jacet ad Borealem ripam *Kiang* fluminis, loco peramœno atque à Mercatoribus multum frequentato. hic enim colligitur plurimum lapidis lazuli, viridisque coloris præstantissimi: habet hæc civitas ædificia quædam publica admodum celebria, quoddam ad ortum civitatis est, ubi duo flumina in unum coëuntia lacum quendam efficiunt: id ad contemplandum lacum à *Sunga* familia exstructum, aulis, musæis cœnaculisque multis constans, quod convivia ibi celebrantes frequentant.

Situs.

Pao mons ad Australem civitatis partem jacet, in quo aër istiusmodi est naturæ, ut illius accolæ febrim numquam timeant, ac tametsi ea laborent, facile sanentur præterquam mense Martio & Aprili: qui enim hisce duobus mensibus febri corripiuntur, nullum habent remedium, aut vitæ spem.

Montes notabiles.

Ad notolybicum civitatis mons est *Fang*, cujus vertex in cubum desinit, magno *Kiang* flumini vicinus est.

Çu flumen ad partem Boream civitatis manat, à Borea per *Çu* civitatem metropoli subjectam descendit.

Flumina.

Sexta Civitas major

YACHEV.

Occidentalissima hæc est Tibet regno vicina. quatuor civitatibus jura dat, 1 *Yacheu*, 2 *Mingxan*, 3 *Jungking*, 4 *Luxan*; habetque multa munimenta ad Provinciæ custodiam.

Mung mons prope *Mingxan* est, qui quinque vertices in cœlum emittit, in altissimo manna colligunt, quod Sinæ *Pinglu* vocant, hoc est rorem congelatum. *Jungking* montem habet *Kiúnglai*, in quo etiam æstate glacies reperitur.

Montes.

Urbes militares.

Quatuor urbes militares hæc numerat Provincia, 1 *Tungchuen*, 2 *Umung*, 3 *Usa*, 4 *Chinhiung*, militares hæ vocantur, quia illarum incolæ plerumque veterani sunt milites, aut eorum filii ac nepotes, quibus Imperator Sinicus parentum concedit stipendia, agrosque vicinos viritim distribuit, hac arte eos ab invicem separat, cum bella cessant: ita remuneratur, eosque ad obsequia habet promptos, cum eorum indiget opera, simulque per confinia regni distributi præsidio sunt.

Prima urbs *Ulung* monti, & aurifero *Kinxa* fluvio adjacet, auro abundat; secunda inter continuos ac horridos jacet montes, in quibus audacissimos capiunt vultures.

Eadem fere loci constitutione sita est tertia, at hæc sola in montibus pinea poma producit.

Quarta muscho abundat, complures alit perdices, genusque phaseoli seu fabæ, quam à duritie Sinæ lapideam vocant, hosce fructus arbores ferunt, iique cardiacis doloribus mirifice prosunt ac medentur.

Ulung mons ad ripam *Kinxa* fluminis jacet, per quam ad centum eoque amplius stadia excurrit.

Montes.

Tain mons & *Umuen* prope *Usa* sunt, hic pendentia quasi in aëre juga habere videtur, ita incultus & inaccessus horrescit.

Ad *Chinkiung* est *Utung* mons hominem stantem inclinato capite repræsentans.

Flumen *Kinxa*, hoc est aureæ arenæ *Tungchuen* transit, ex quo magna vis auri ab incolis colligitur, ac territorium *Humung* ditat.

Flumina.

Civitates militares & munimenta.

Hæc munimenta & civitates in Australi præcipue parte exstructa sunt, contra *Queicheu* monticolas & agrestes homines, horum locorum nomina hic pono, & inferius si quid notatu dignum reperero, adnotabo. 1 *Po* o, 2 *Jungning*, 3 *Tenyang*, 4 *Xequei*, 5 *Yemui*, 6 *Tienciven*, 7 *Ly* o, 8 *Pingchai* o, 9 *Sungfan*, 10 *Tieki*, 11 *Kienchang* o, 12 *Cienguei*, 13 *Ningpo*, 14 *Yvesui*, 15 *Jencing*, 16 *Hoeichuen*, 17 *Hoangchuen*, 18 *Jelung*, 19 *Hiugin*, 20 *Le*, 21 *Vugan*, 22 *Lungyo*, 23 *Sungguei*, 24 *Cinci*, 25 *Techang*, 26 *Maçu*, 27 *Kiúngpu*, 28 *Chungço*, 29 *Hoangping*, 30 *Hia* o, 31 *Chin*, 32 *Tantang*, 33 *Chaohing* o, 34 *Hieu*, 35 *Xesie*.

Prima *Po* civitas rhinocerotes alit, melle abundat & cera, *Hiunghoang* medicamentum profert. Secunda *Jungning* pomis aureis scatet, equosque generosissimos educat.

Quinta

Quinta *Yemui* suavissimis aëdonibus recreatur. Sexta piscium habet copiam, muschi, & gallinarum laniferarum; earum lana ovinam imitatur, parvæ sunt, brevissimis pedibus, audaces tamen ac generosæ & matronis in deliciis. eædem sunt in *Camboia*, at non hæ lana sed plumis vestiuntur. *Cha* etiam herbæ nominatissimæ folium hic colligitur, quod alibi descriptum reperies. Regio *Ly* ⊙ circumvicina Sinis olim subdita non fuit, sed regum tempore devicta. Decima in montibus sita est ad *Kiang* fluminis originem, optimas vaccas, uti sunt Tibetanæ, alit, hæ caudam habent longissimam, crassiorem, & cincinnatis pilis, quas ad signa militaria exornanda expetunt Sinæ; tapetes etiam hic contexuntur ex animalium pilis, quæ ab undecimo munimento sequuntur usque ad decimum septimum; uni generali præfecto subjecta sunt, *Tusu* Sinæ vocant. Has occidentaliores terras *Hana* familia Sinico adjecit imperio, extincto aut certe multum imminuto regno *Kiung*; hæc autem terræ pars à montium amœnitate, & pinguedine glebæ, plurimum commendatur, lapide lazulo etiam non caret.


Ad *Ly* civitatem *Juleang* mons est sylvis ac arboribus ita abundans, ut toti regioni affatim lignorum subministret. Prope *Pingchai* mons est *Peçui*, in quo observatum, quod si nix hyberna in illius vertice liquefiat, anni optimi ac fertilis futuri esse signum, contra si nix usque ad æstatem perduret, malum esse augurium. *Tiexe* mons circa *Kienchang* visitur, à ferreis lapidibus nomen habet, ejusmodi enim habet lapides, qui igne liquati præclarissimum destillent ferrum, quod ad acinaces, gladiosque conficiendos aptissimum est. *Montes.*

De fluminibus nihil hic occurrit præter ea quæ habentur in mappis.



T SEPTI-

SEPTIMA PROVINCIA, HUQUANG.



Eptima hujus extremæ Asiæ Provincia *Huquang*, cum cæteris de magnitudine, amœnitate ac fertilitate haud immerito certet, magna ex parte plana est, lacubus fluminibusque passim irrigua; ab ingenti lacu *Tungting* nomen habet, *Hu* enim lacum significat, & *Quang* extensum: eandem magnus *Kiang* fluvius mediam secat, ac in Australem Borealemque dividit; olim *Çu* Regum erat, vocabaturque *King* provincia, in qua sedem Reges illi potentissimi fixêre, vel ipsis imperatoribus formidandi, illisque viribus ac potentia pares, aut superiores. Dicitur vulgari encomio à Sinis *Jumichiti*, hoc est piscium oryzæque terra, quin & Sinarum horreum, uti olim Italiæ Sicilia, ob rerum omnium copiam dicta est, ac præsertim frugum, quas non incolis tantum, sed & adjacentibus terris ita liberaliter suppeditat, ut in proverbium abierit apud Sinas *Kiangsi* Provinciæ fertilitatem toti Sinæ pro jentaculo subministrare posse necessaria, *Huquang* vero abunde totam Sinam posse pascere & saturare. Et sane ea est agrorum hujus Provinciæ præstantia ac fœcunditas, nihil ut illis addi posse videatur! sylvæ in montibus complures sunt, frumenti & oryzæ ubique abundantia, pecorum non exigua vis, piscium vero tanta ut omnem superet fidem: hinc minime mirum celeberrimis eam urbibus quindecim, civitatibus vero centum & octo, adhæc innumeris oppidis ac pagis refertam esse, præter civitates militares ac munimenta.

Nobilitas.

Rerum copia.

Termini.

Provinciæ hujus termini Boreales sunt *Honan* Provincia, ad Barrolybicum *Xensi* confinia attingit, ad occidentem eam claudit *Suchuen*, ad Austrum *Quangsi*, ad Notolybicum *Queicheu*, versus ortum *Kiangsi*, & Notapeliotem *Quantung*. Liber numerorum apud Sinas recenset in hac Provincia familias 531,686, viros vero 483,3590, exceptis his de quibus excipiendis supra egi, regiisque omnibus; quorum numerum hic apponere volui, cum quam plurimi in hac vixerint Provincia: audivi enim à præfecto, qui illorum curam gerit supra trecenta millia per totam Sinam sparsa, qui omnes unius *Hunguvi*, *Taiminga* familiæ auctoris, posteri sunt: is abhinc ducentis nonaginta annis, expulsis Tartaris Regnum occupavit, sed modo iterum (quæ rerum humanarum vicissitudo est) hæc eadem familia pœne tota à Tartaris extincta est.

Hominum numerus.

Tributum.

Tributum oryzæ est saccorum 2167, 559, confecti serici volumina tribuit 17, 977. reliqua ex particulari urbium descriptione petenda.

Prima Urbs seu Metropolis VUCHANG.

Est *Vuchang* Metropolis ingens urbs, intra & extra mœnia ædificiorum splendore nobilis; in ea augustum *Taiminga* familiæ Regis, qui inibi sedem habuit, palatium visitur; fana quinque reliquis magnitudine & sumptibus præstant. Sita est ad Australem ripam *Kiang* fluminis, ac quamvis illi non admodum vicina sit, deductis tamen hinc inde canalibus tota navigiis pervia est. Totum præterea territorium rivis abundat, aquisque quibus fertilis ager redditur: montes habet, ex quibus chrystallus eruitur. In ea *Cha* herba colligitur, maximaque papyri conficitur copia ex nascentibus ibi cannis, illarumque foliis. Regit urbs civitates novem, quarum hæc sunt nomina, 1 *Vuchang*, 2 *Vuchang*, 3 *Kiayu*, 4 *Puki*, 5 *Hienning*, 6 *Çungyang*, 7 *Tungching*, 8 *Hingque* o, 9 *Taye*, 10 *Tungxan*. Olim Regum tempore *Çu* regnum hic fuit, in quo populus non Sinicam sed aliam particularem loquebatur linguam, cujus rei ex ipso *Cungfutio* habemus testimonium, ubi ait: Reges si pii esse velint, cum piis habitare debere, ut qui vult *Çu* linguam discere, *Çu* regnum ingredi, vel cum hominibus *Çu* regni vivere debet, nec fieri posse, ut bonus sit Rex, qui malos habeat assistentes aulicos, uti nec fieri potest, ut linguam *Çu* discat, qui semper cum Sinis versatur. *Hana* familia hanc urbem *Kianghia* dixit. *U* Rex, qui regiam hic habuit sedem, hodiernum

Qualitas & situs.

num nomen dedit, à *Sunga* vero familia mutato nomine *Ingcheu*, & à *Tanga Vucing*, & à *Taiminga* restituto nomine *Vuchang* dicta est. in hac metropoli templum vero Deo dicatum habuit Societas nostra, quod modo ob personarum defectum sine sacerdote est.

Montes. Ad Urbis Notapeliotem mons est *Taquon*, cujus lapides ac gleba aureo colore micant, collibus & vallibus amœnus est: prope civitatem *Vuchang* mons est ejusdem nominis, in quo olim apparuisse dicitur vir toto hirtus corpore, decem altus cubitos, idque sub *Cina* familia: circa *Kiayu* in ripa *Kiang* fluminis est mons *Chepie*, à magna clade, quam *Çaocao* à *Cheuyvo* accepit, memorabilis: prope *Kungyang* mons est ingens *Lungciven*, ducentorum plus minus stadiorum, in eoque ingens caverna. *Hinque* civitas montem habet *Chung*, in quo lacus nigerrima aqua, atramento simili, visitur. *Kieuquon* mons, hoc est novem palatiorum, ita dictus quod *Cyngan* Regis filii novem sibi in eo exstruxerant palatia, in quibus litteris operam darent.

Flumina. *Xun* lacus duplex prope *Kiayu* unus, alter prope *Puki*.

Han rivus ex montibus *Vuchang* fluit, cujus aqua solito frigidior aërem ibi, etiam in canicularibus, temperat; atque ideo reges supra rivum palatium exstruxere, quod æstatis tempore, ad vitandos nimios calores, inhabitare solebant.

Lo amnis fluit per mediam urbem.

Lu insula est prope *Vuchang* civitatem, in *Kiang* fluvio.

Prope montem *Chepie* insula est *Sanhoa*, *Taye* vicina, in qua *Cheuyvus* obtenta à *Çaocao* victoria, convivia militibus instituit, mensis omnibus floribus ornatis, inde *Sanhoa* nomen, quod spargere flores significat.

Ex montibus *Taye* aqua decidit, ad altitudinem fere perticarum quadringentarum.

Secunda Urbs
HANYANG.

Situs. INtra & extra mœnia lacus habet *Hanyang* urbs, totaque navigabilis existit, sed & flumina navium patientia totum tractum perluunt: ac tametsi duas tantummodo contineat civitates, ea est illius fertilitas, ut multis ditioribus nihil debeat, quippe *Han* fluvio vicina est, eo loco ubi in *Kiang* fluvium se exonerat. magna gaudet rerum advectarum copia, & advehendarum commoditate: capitur hic magna multitudo anserum sylvestrium, omnia reperiuntur malorum citreorum & aureorum genera: multa sunt ædificia rara ac splendida, turrisque altissima, *Xeleuhoa* dicta, ad urbis Barrolybicum, quæ sua præstantia facile cætera omnia superat. Hujus construendæ causam hanc narrant fuisse historiam: Erat nurus quædam maximæ erga socrum observantiæ, hæc cum præparatam opipare gallinam, qua socrum exciperet, aliquando obtulisset, illa vix ea comesta statim mortua concidit; ad tribunal altera quasi propinasset venenum abducitur, accusatur, occiditur, cum ad mortem duceretur forte fortuna arborem pomorum granatorum transiit, ibi apprehenso ramo ita orasse fertur: Si ego socrui venenum obtuli, moriatur flos hujus rami; sin autem à me stat innocentia, quam primum fructus proferat. vix hæc absolverat, cum ecce tibi, dictu mirum! ramus pomis granatis onustus apparuit; in hujus rei memoriam communibus impensis turrim ædificarunt cives, quæ hac de causa *Xeleuhoa* dicta est, quod granatorum florem significat. *Bina* quæ ab ea reguntur civitates sunt: 1 *Hanyang*, 2 *Hanchuen*. Utrique ab *Han* fluvio nomen obtigit. *Innocentia defensa.*

Montes. Nullus fere memoratu dignus mons occurrit, præter eum, quem *Kieuchin* vocant, hoc est, novem virginum: namque in eo sorores novem virginitatem perpetuam servasse, & Alchimiæ deditas fuisse scribunt, credemusne has fuisse Sinarum Musas? mons ipse est ad urbis Notolybicum.

Flumina. Intra mœnia lacus est *Langquon*; & ad urbis occasum lacus *Taipe*, ad Australes radices montis *Kieuchin*, qui ducentorum stadiorum lacus est.

Tertia Urbs
SIANGYANG.

Qualitas & situs. SIangyang urbs etiam *Han* fluvio vicina ad occidentalem ejus ripam jacet, tametsi non adeo planam, sed montibus asperiorem regionem nacta sit, nobilis tamen est, ac dives; tum ob regis præsentiam, quem habuit ex *Taiminga* familia; tum ob magnam auri vim, quæ per hunc tractum colligitur, ex lotis & à rei peritis percolatis arenulis; licet enim fodinas aperire prohibitum sit, omnibus tamen aurum ex flumini-

bus

bus corradere licitum, quantumcumque repererit: ibidem lapis lazulus, ac viridis color & vitriolum effoditur, perdices ubique multæ, & pinorum annosarum copia ad domuum columnas in Sinica architectura accommodatissima: præter ingens ac magnificum Regis palatium, ornant etiam hanc urbem tria heroibus dicata fana, regit urbs civitates omnino septem, & ad regionis custodiam aliqua habet munimenta. civitatum nomina sunt 1 *Siangyang*, 2 *Iching*, 3 *Nanchang*, 4 *Çaoyang*, 5 *Coching*, 6 *Quanghoa*, 7 *Kiun* ⊙. Ad *Çaoyang* utramque ripam fluvii *Han* pons *Soxoang* jungit, in multos arcus divisus, totus è secto lapide à regibus *Guei*, exstructus: olim hic terræ tractus *King* Provinciæ erat sub *Je* & *Chin* constellationibus, *Cheva* familia *Coteng* dixit, hodiernum nomen habet hæc urbs jam inde à *Guei* regibus, qui mœnia urbis ædificarunt.

Montes. Prope *Kiun* civitatem ingens est mons *Vutang*, qui septem & viginti in cœlum attollit vertices, habetque colles acclives sex supra triginta, & stagna seu lacus viginti quatuor. in eo superstitiosa multa ac magnifica idolorum templa cum sacrificulorum monasteriis: hinc enim reliqui per totam Sinam sacra sua accipiunt, illi nimirum sacrificuli, qui internam idolorum, ac transmigrationis animarum doctrinam sequuntur, per quam moralem animæ à corpore separationem intelligunt, unde continuis speculationibus vacant, uti qui externam metempsychosim credunt, sua jura velut ex impurissimo fonte, ex monte *Tientai Chekianæ* Provinciæ petunt, ubi summi sacrificulorum rectores degunt; sed de his dogmatibus Sinicis plenius & uberius, favente Deo, differam in secunda decade epitomes historiarum Sinensium. In hoc etiam monte herba semper virens, seu semper-vivum nascitur.

Co mons *Coching* civitati nomen dat, in quo arundinum genus nascitur, quod ad tres tantum perdurat annos, & tum nova emissa arundine antiqua stirps emoritur, vita triennali novaque succrescente sobole quasi contenta.

Flumina. *Han* fluvius ex Provincia *Xensi* per terminos hujus urbis hanc ingreditur Provinciam, longoque tractu excurrens, tandem *Kiang* fluminis aquas auget prope urbem *Hanyang*.

Siang flumen ad urbis Barrolybicum est, in quo animal nascitur equo non absimile, nisi quod squamosum sit, & ungues ut tigris habeat, ferox est, quod & homines & animalia cætera aggrediatur, id præcipue autumni tempore tentat, quo frequentius ex aquis egressum terram pervagatur.

Est & *Chinchu* stagnum intra Idolorum fanum ad *Nanchang*, unionum lacus dicitur. nam si ambulantes per illius ripam durius terram percutiant, quam primum undique aquæ globulos emittit ad instar unionum, quod an arte, an à natura proveniat, haud facile dictu est: ad occasum urbis insula est *Kiafung* dicta.

Quarta Urbs

TEGAN.

T*egan* urbis tractus sub *Yvo* Imperatore *King* Provinciæ adscriptus fuit sub constellationibus *Je* & *Chin*, urbs ipsa à variis in ea regnantibus varia sortita est nomina. *Cina* familia regibus omnibus extinctis *Nankiun* dixit, *Hana* vero *Kianhia*, *Sunga Ganlo*, *Tanga Ganhoang*, hodiernum nomen à *Sunga* obtinuit familia. Sex sibi subjectas regit civitates, 1 *Tegan*, 2 *Junmung*, 3 *Hiaocan*, 4 *Ingching*, 5 *Sui* ⊙, 6 *Ingxan*. Est in hac regione rarum quid, alba cera, quæ à vermiculis elaboratur eo fere artificio, quo apes favos suos struunt; sunt autem hi favi multo minores ac candidissimi, nec vermiculi culti sunt, aut domestici, sed inculti atque agrestes. ex collectis favis candelas, ut ex communi nostrate cera conficiunt; at longe magis albæ sunt, à magnatibus, quod majori constent pretio, fere tantum adhiberi solent: nam præter candorem odorem etiam suavem emittunt, cum comburuntur, nihilque sordibus inficiunt aut fœdant, licet guttæ liquefactæ in vestes incidant; lumen etiam clarissimum, maximeque temperatum reddunt. Urbis territorium claudunt ad Boream montes; ad Austrum flumina, à quibus etiam medium secatur: tria nobiliora fana numerat. *Cera rara.*

Tahung mons omnium maximus ac horridus *Suicheu* ad Boream incipit: in vertice lacum continet. prope *Ingxan* est *Tungting* mons, in quo ingens ac inscrutabilis profunditatis caverna visitur. Ibidem *Kie* mons, in quo antiquæ civitatis *Kieyang* adhuc spectantur rudera. *Montes.*

Che amnis *Sui* civitatem præterfluit, & totam regionem mediam dividit. *Junmung* lacus magnus nongentorum stadiorum ad ortum urbis. *Flumina.*

Quinta

Quinta Urbs

HOANGCHEV.

Situs. IAcet urbs *Hoangcheu* in Boreali ripa *Kiang* fluminis, cujus etiam mœnia lambit, atque adeo frequens populo, ac copiosa urbs est: merces enim ac naves ibi continuo transeunt. nobilitat etiam hanc urbem Rex è *Taiminga* familia; genusque illud serpentis, quod ibi reperitur, quo contra lepram utuntur, ut supra diximus, quod idem inveteratam quoque scabiem tollit; album absinthium, ita ob præstantiam à Sinicis Medicis dictum, etiam hæc regio profert, quo maxime Sinæ ad ustiones utuntur. *Yvus* Imperator eodem modo, quo superiorem, hanc regionem distribuit. Regum tempore *Hoang* regnum erat, deinde *Çu* reges occuparunt; *Antiqua nomina.* *Hana* familia *Silo* dixit, hodiernum nomen jam inde à *Tanga* obtinet familia: habet hæc urbs territorium cultum, pręterquam ad Boream ubi horridiores montes incipiunt, cæterum lacubus & fluminibus lætum est, in quo præter munimenta novem includit civitates, 1 *Hoangcheu*, 2 *Loti en*, 3 *Maching*, 4 *Hoangpi*, 5 *Hoanggan*, 6 *Kixui*, 7 *Ki* ⊙, 8 *Hoangmui*, 9 *Hoangci*.

Montes. Cui *Pao* mons ad Boream urbis est, in quo lapilli reperiuntur, qui soli expositi rubescunt, alii vero flavescunt & colorem aliquanto tempore servant, forte uti Bononienses lapilli etiam solis lumen aliquamdiu conservare, & obscuro in loco exhibere possent.

Maching civitas montem *Moling* habet, qui arboribus ac sylvis frequens multa civibus præstat commoda. *Suçu* mons prope *Hoangmui* est, in cujus vertice quatuor nobilissimis Medicis dicatum fanum est, & *Flumina.* splendida turris novizonia. *Ki* amnis *Ki* civitatem præterfluit, illique nomen dat. prope *Hoangpi* lacus est qui *Vú* vocatur, hoc est militaris. fuit enim regum *Naumachia*, est alter lacus major *Uheu* prope *Hoangmui*. è regione autem *Ki* civitatis in *Kiang* fluvio Insula est *Niaoso*: est & *Kinxa* lacus ad ortum *Ki* civitatis, & *Taipe* lacus circa *Hoangmui*,

Loyu fons *Kixui* civitatem celebrem facit: nam pro potu *Cha* conficiendo tertium præstantiæ apud Sinas obtinet locum.

Est & Insula *Pequey*, sive albæ testudinis, in *Kiang* fluvio è regione urbis, ubi miram militi accidisse historiam narrant: qui cum forte ab inimicis in flumen projectus esset, à testudine in alteram ripam, quasi inter Delphinas *Arion* transvectus est, & scribunt *Testudines raræ.* hoc gratę testudinis fuisse beneficium, quam ille multo tempore enutrierat, liberamque sua sponte dimiserat. fabulæ forte licet hæc sint affinia, illud tamen minime fabulosum permagnas isthic reperiri testudines; sed & aliæ minores pulchræque sunt, quæ pro voluptate domi passim nutriuntur, quandoque magnitudinem aviculæ non superant, vocantur *Loman* testudines.

Sexta Urbs

KINGCHEV.

Situs ac nobilitas. ETiam hæc urbs ad ripam Borealem *Kiang* fluminis jacet, & ad Boream ac ortum à lacu *Tung* cingitur, indeque fortissima censetur urbs, & ab inimicorum conatibus incursionibusque tutissima, inclyta etiam ædificiorum splendore & emporii nobilitate, demum ejusmodi, quæ ab antiquissimis temporibus *Çu* regni fuit regia, tum deinde *Ivenus Leangæ* familiæ Rex in eadem sedem fixit: amœnum omnino, fertile atque amplum habet territorium, in quo nihil eorum, quæ ad vitam opus sunt, desideres. præest civitatibus tredecim, 1 *Kingcheu*, 2 *Cunggan*, 3 *Xexeu*, 4 *Kienli*, 5 *Sungki*, 6 *Chikiang*, 7 *Iling* ⊙, 8 *Changyang*, 9 *Itu*, 10 *Juengan*, 11 *Quei* ⊙, 12 *Hingxan*. 13 *Patung*. In *Yvi* divisione superioris quoque locum sortita est: *Hana* familia eam *Kingcheu* vocavit, atque hoc deinde nomen tenuit. reperitur hic herba, quam mille annorum vocant, quin & immortalem esse scribunt; hæc aqua macerata, ac epota albos crines in nigros commutat, atque ad vitam producendam conducit: aureorum pomorum etiam hic reperitur copia, optimique lapides, quibus Sinæ atramentum suum tritum ita temperant, ut nostri pictores colores solent. fana heroibus dicata quinque numerat nobiliora.

Montes. Memoratu dignus est etiam mons *Fang* prope *Changyang*, qui ejusdmodi naturæ esse scribitur, ut vere & autumno nullus omnino in eo ventus percipiatur, & æstate ventum assiduo è cavernis emittat, ac tempore hyberno venti eodem modo ab extra intra cavernas persent. Est & *Kieuçang* mons, qui *Kiang* fluvium ingreditur, suisque collibus duplicatis velut aggeribus detinet, navigationemque difficilem ac longam efficit. Prope *Sungki* incipit. *Quei* civitas

vitas vicinum montem habent *Çutai*, in quo regum antiquorum Palatium visitur.

Flumina. *Kiang* fluvius prope *Patung*, hanc Provinciam ex *Suchuen* ingreditur.

Lacus *Tung* ad ortum urbis quadraginta stadia occupat; hic piscibus cives alit, & amœnitate recreat, eum enim convivia celebraturi frequentant.

Prope *Chikiang* civitatem insula est *Peli*, hoc est centum stadiorum, olim nonaginta novem insulas minimas fuisse scribunt, dein succrescente arena, aquisque decrescentibus unam insulam constituerunt.

Septima Urbs

YOCHEU.

Situs ac commoditas. YOcheu urbis territorium ingens lacus *Tungting* medium dividit, pars enim ad ortum, pars ad occasum lacus est, præterea *Kiang* fluvius ad Boream urbis mœnia lambit, ubi tria flumina concurrunt, nimirum *Kiang*, *Siang*, & *Fung*, quæ regionem mire fœcundam reddunt, ac piscibus opulentam: inde haud mirum, si erudita scriptorum lingua hæc urbs trium fluviorum ostium vocitetur: frequens proinde navium undequaque concursus est, & mercium advectarum magna copia: reperitur lapis lazulus in montibus, aliusque viridis coloris, qui in pulverem redactus præclarissimum colorem viridem pictoribus subministrat. citreorum aureorumque malorum hic vis ingens, rerumque omnium incredibilis abundantia, auget etiam hujus urbis splendorem, regis è *Taiminga* familia palatium. Rex enim in hac urbe vixit, hinc privatorum publicorumque ædificiorum splendor, & tria etiam *Heroum* magnifica fana numerat.

Fuit olim *Sanmao* Dynastiæ, mox in *Lo* regnum evasit, dein *Çu* reges occuparunt, sed *Cina* familia Sinico Imperio restituit; deinde *Sunga* familia *Paling* dixit, *Yocheu* nomen à *Tanga* familia inditum hactenus conservavit: præest urbs civitatibus octo, 1 *Yocheu*, 2 *Linsiang*, 3 *Hoayung*, 4 *Pingkiang*, 5 *Fung*, o, 6 *Xemuen*, 7 *Çuli*, 8 *Ganhiang*.

Montes. Ad partem urbis Australem mons est *Pacio*, à magnifico idolorum templo ac cœnobio celebris, quod inter duos parvos lacus situm est.

Kiún mons seu Insula in lacu *Tungting*, ad urbis Notolybicum vergit.

Est & *Uxe* mons Notapeliotem versus, in quo nigri lapilli reperiuntur, quorum pulverem Medici contra gutturis morbos, & anginam præcipue adhibent.

Prope *Linsiang* ingens mons est *Tayun*, in quo ad septuaginta numerantur colles: est & alter mons *Tung*, centum stadiorum dictus, pinorum sylvis conspicuus, nimirum circa *Hoayung*; ibidem ex *Fangtai* monte talcus seu vitrum Moscoviticum effoditur.

Pingkiang montem habet *Tiengo*, quingentorum stadiorum; in *Tausu* libris inter laudatissimos recensetur ordine vigesimus quintus; in eo centum genera medicarum herbarum Medici Sinenses laudant.

Prope *Ganhiang* mons est *Hoang*, hoc est luteus, nam terra tota ac lapides auri quodammodo colorem referunt, unde etiam *Kinhoa* dicitur, sive aureus flos.

Flumina. *Tungting* lacus ingens versus urbis Notolybicum incipit, hunc lacum ex inundatione factum scribunt, unde in eo adhuc non paucæ sunt Insulæ, habitatoribus frequentes, in quibus etiam magnifica idolorum templa, ac monasteria, cum ingenti sacrificulorum numero. una est Insula natans, in qua etiam monasterium ædificatum est; ita enim implicatæ atque implexæ sibi mutuo arundinum & arborum radices terram sustinent, continuoque succrescentes retinent, nullum ut immineat solutionis periculum.

Est etiam *Kinxa* insula ab aurea arena dicta.

Octava Urbs

CHANGXA.

Changxa nomen, unde. IN Orientali ripa *Siang* fluminis nobilis *Changxa* urbs occurrit, cui *Changxa* stellulæ, quarum influxui subesse dicitur, nomen dedere, sunt illæ in asterismo *Chin*: est hujus urbis regio partim plana, partim montibus aspera, gleba tota pinguis ac fertilis, aër salubris, magnaque rerum copia: luxuriat ubique oryzæ seges, cui etiam siccissima anni tempestate nullus exarescendi metus est, cum ubique lacubus ac fluminibus irrigua sit regio, unde cum desunt pluviæ, vel ex fluminibus aquas intra campos deducunt, vel ex lacubus machinis summa arte adhibitis, attollunt agricolæ: suo illic tempore, circa mensem nimirum Majum, optimi illi pisces, quos Lusitani *Sauel* vocant, capiuntur. ex montibus minium præclarissi-

Regionis qualitas.

clarissimum seu cinnabaris effoditur. In eadem urbe ex *Taiminga* familia rex sedem habuit, unde ædificiis superbis ac palatio inclyta fuit urbs, in eaque sex fana sat magnifica reperiuntur. regit autem undecim civitates, nimirum: 1 *Changxa*, 2 *Siangt'an*, 3 *Siangin*, 4 *Ninghiang*, 5 *Lieuyang*, 6 *Liling*, 7 *Jeyang*, 8 *Sianghiang*, 9 *Xeu*, 10 *Ganhoa*, 11 *Chaling* ○.

Vocabatur olim hæc urbs sub *Cheva* familia *Changxa*, *Sunga* vero *Vugan*. plerumque tamen *Changxa* nomen obtinuit.

Montes. Ad occasum urbis mons est *Jumo*, hoc est *Talcus*, ex eo enim magna illius copia eruitur, is autem in calcem redactus, vinoque mixtus, epotusque creditur à Sinicis Medicis ad vitam longiorem plurimum conferre; ibidem ad urbis occasum ingens mons est *Tolo*, cum *Heng* montibus continuus.

Prope *Ninghiang* mons maximus est centum & quadraginta stadiorum, *Taguei* dictus. Ad *Lieuyang* mons est *Taihu*, qui tres ingentes erigit vertices, in quorum medio lacus est amplus, immensæ profunditatis: ibidem *Xepi* mons est, in quo etiam lacus quadraginta stadiorum, dicitur *Pexa* lacus, ex quo quatuor manant rivi, unus est amnis *Lieu*, reliqui ad *Juping* fluvium tendunt: ibidem mons est *Tungyang*, ex laudatis in *Tausu* libris ordine decimus tertius. *Sucung* mons ad *Xeu* civitatem pertinet, in eo fons est aquæ calidissimæ, & sex supra triginta reperiuntur colles, ac ibidem alii sunt densissimi montes.

Flumina. *Siangyn* præterfluit *Mielo* amnis, ex eo celebris, quod festi apud Sinas *Tuonu* dicti causa fuerit, celebratur hoc festum per totam Sinam magno apparatu, plausuque ac lætitia, quinta die quinti mensis, in memoriam optimi cujusdam ac fidelissimi præfecti, qui se in *Mielo* fluvium præcipitem dedit, cum à proditoribus peteretur. Erat ille genti, quam regebat, gratissimus ac suavissimus, eam ob rem in ejus honorem eo die ludicra in navibus instituta certamina, celebrataque convivia ab iis, qui quodammodo adhuc præfectum suum videntur quærere; atque ita hæc res increbuit, ut per totam jam Sinam idem passim fiat, quod non nisi uno ante loco fieri erat solitum; pulcherrimis deauratisque naviculis, & in varias draconum figuras elaboratis, discursantes certantesque pugnas miscent, nec victoribus sua desunt præmia è publico proposita, magnoque sæpe constantia.

Naumachiæ Tuonu.

Loseu flumen circa *Xeu* civitatem transit, à lampretularum, quas alit, præstantia laudatur.

Siangyn vicinum habet lacum *Cingçao* in Boreali nimirum civitatis parte, qui etiam *Tocheu* urbis territorium irrigat, & ibi cum *Tungting* lacu miscetur.

Insula. Insula *Kive* est prope *Xehoa*, pomum aureum dicitur, quod illis abundet: ad urbis Boream parva etiam est Insula, *Tungquon* dicta.

Nona Urbs

PAOKING.

Hujus urbis territorium montibus scatet, præcipue ad Australiorem partem, ubi cum *Quangsi* Provinciæ montibus concurrit, campis tamen & vallibus amœnis non caret: ejusmodi est urbs ipsa ut regem ex *Taiminga* familia habuerit; quinque regit civitates, quæ sunt: 1 *Paoking*, 2 *Sinhoa*, 3 *Chingpu*, 4 *Vuchang* ⊙, 5 *Sining*. Urbs ipsa *Çu* fluvio vicina est, nec pauca illi inde commoda: olim erat regni *Çu*. *U* reges hisce terris occupatis dixère *Xaoling*, *Tanga* familia vocavit *Xaocheu*, hodiernum nomen dedit *Sunga*: numerat tria magnifica *Heroum* fana.

Montes. *Lung* mons ad Orientalem partem urbis est, quatuor ita æquales vertices per circuitum attollit, ut undique idem videatur: in medio lacus est, ex quo duo rivi fluunt; unus est amnis *Lien* qui ad *Siangkiang* fluit civitatem; alter est amnis *Chao*. Ad *Vuchang* civitatis tractum mons est *Jun*, ex nominatis in *Tausu* libris sexagesimus nonus, acclives colles septuaginta & unum numerant. ibidem est *Kinching* mons, ex nominatis sexagesimus octavus. Prope *Sinning* mons est *Changmo*, adeo diffusus aditique inaccessus, ut in eo agrestes homines Sinis minime parentes, tuti & sui juris vivant.

Flumina. *Gu* amnis in montibus *Vucang* civitatis originem habet, inde per saxa & præcipitia devolvitur, octo & quadraginta locis navigatu difficillimis, quæ tamen omnia superat locus unus ad Boream urbis partem, qui adeo præruptus ac præceps est, ut coacti sint æneam ingentem columnam ibi erigere, ad quam naves alligant, donec necessaria ad ascensum parata habeant, nullus enim aliàs erat modus inter asperrimos montes navim sistendi.

Deci-

Decima Urbs
HENGCHEV.

Situs.

CHing amnis Australia hujus urbis mœnia lambit, à quo & *Siang* fluvio ad peninsulæ modum pars territorii clauditur: montibus non caret hæc regio, sed plerumque non horridi sunt, ast culti & amœni, præterquam quod fere omnia ad vitam traducendam necessaria habeat, abundat etiam perdicibus, multa papyro, *Talco*, aliisque; argenti fodinæ ditissimam eam redderent, si tantummodo licitum esset illas aperire. fuit olim regni *Çu*, *Hana* familia *Queiyang* vocavit, *U* Rex *Siangtung*, *Tanga Hunan*, hodiernum nomen ab Regibus *Leang* inditum *Taiminga* familia restituit; habet urbs sub se civitates novem, nimirum, 1 *Hengcheu*, 2 *Hengxan*, 3 *Luiyang*, 4 *Changning*, 5 *Gangin*, 6 *Ling*, 7 *Queiyang* o, 8 *Linuu*, 9 *Lanxan*.

Montes.

Taceu mons ad urbis occasum argento abundare creditur à suis, olimque in eo fodinas apertas fuisse scribunt. *Heng* mons prope *Hengxan* incipit, & octingenta stadia occupat; duo supra septuaginta in eo vertices numerantur, decem ingentes cavernæ, octo & triginta fontes aquarum, viginti quinque torrentes. Prope *Luiyang* mons ingens est *Heuki*, qui ad septuaginta numerare vertices dicitur. *Ling* civitas vicinum habet montem *Vanyang*, qui trecenta occupat stadia, totus annosis sylvis virescit. *Xeyen* mons prope *Queiyang* est, lapidea hirundo dicitur, quippe in eo post lapsas pluvias lapides inveniunt, omnino hirundines referentes, imo inter eos mares & fœminas ex colorum varietate Medici distinguunt, & ad medicamenta conficienda adhibent. *Hoayn* mons pulcher aspectu *Linuu* & *Lanxan* civitatum territoria ingreditur, ob raram ejus pulchritudinem & amœnitatem florem vocant.

Flumina.

U amnis ex *Jung* urbe procedit, & ad *Changning* civitatem transit. *Ching* amnis ad urbis Boream fluit, ejus origo ad ortum *Paoking* urbis in montibus est. Est etiam ad ortum urbis lacus aqua profundissima plenus, sed viridi colore imbuta, hanc ad Sinicum potum seu vinum ex oryza conficiendum aptissimam ajunt.

Undecima Urbs
CHANGTE.

Situs & qualitas.

IAcet *Changte* urbs inter flumina, magnumque lacum intercepta ad Borealem ripam *Juen* fluvii, qui inibi in lacum aquas suas exonerat. tota fere urbs ipsaque Regio ubique navibus pervia est, parva quidem spatio, sed amœna prorsus ac ferax, quæque rerum ubertate ac præstantia facile multis antecellat; incoluit etiam hanc urbem Rex ex *Taiminga* familia, cujus superbum palatium continet urbs, regitque civitates quatuor, quarum 1 *Changte*, 2 *Taoyven*, 3 *Lungyang*, 4 *Juenkiang*. Sub *Xanga* & *Cheva* familia, priusquam Sinico subjiceretur imperio hanc regionem habitavere *Manyen* populi, sed *Çu* Rex occupavit, & regibus extinctis à *Cina* familia *Kiuchung* nomen habuit, ab *Hana Vuling* primum dicta; at postquam perfidus *Hiangyvus* Regem *Çu* occidit, quia populus hujus urbis sortem regis sui miseratus, illi justa magno omnium ordinum luctu persolverat, tum eadem *Hana* extincto *Hiangyvo Iling* civitatem dixit, quod justitiæ terram significat. ab *U* regibus *Vucheu* dicta est, recens nomen quod jam obtinet *Tanga* imposuit familia: tria nobilissima fana numerat, & lapide lazulo abundat, manna ibi quoque colligitur, poma aurea omnis generis profert, inter quæ illa sunt, quæ hyberna à Sinis vocantur. cum enim jam cessant reliqua, hæc primum hyeme maturescunt, & suavissimi sunt saporis: habent etiam cedros illas, quas idoli manum vocant, extremitates enim illarum in caudulas aliquas ceu in digitos ac pedunculos desinunt. esui apti non sunt, at domi intra cubiculum suspensi suavissimum exhalant odorem, quamobrem sacculos reticulato opere ex serico artificiose contexunt.

Montes.

Mons *Lo*, hoc est cervorum, quia illis abundat, ad urbis occasum est. *Taoyuen* civitas montem habet *Lolo* vicinum, ex laudatis in *Taosu* libris ordine quadragesimus secundus est. Versus urbis Barrolybicum ingens caverna est *Lungmuen* dicta, ante quam pons est ex monte ad montem ab ipsa natura protensus, omnino quadratus, adeo ut unum latus ad duo fere stadia extendatur, sub eo torrens est.

Flumina.

Tungting lacus *Lungyang*, & *Juenkiang* civitatum terminos attingit: ibidem

dem est Chexa lacus cum priori concurrens.

Lang amnis est ad urbis partem Australem, ex *Xincheu* urbe venit, dictus *Yven*, ad austrum *Yven* civitatis majoris hanc ingreditur Provinciam; ejus ortus est in Provincia *Queicheu* ad Austrum *Taiping* munimenti.

Kive insula prope *Lungyang* est, viginti prope stadiorum longitudine, aureorum pomorum ferax, à quibus & *Kive* vocatur, hoc est pomum aureum, sive aurantium.

Duodecima Urbs
XINCHEV.

Situs & rerum copia.

MUltis magnisque montibus asperam regionem nacta est hæc urbs, ex quibus argenti vivi, lapidis lazuli, colorisque viridis vim magnam colligit: auro prætereа argentoque gravidi esse scribuntur. pars montium ab agrestibus, incultisque hominibus occupatur, quos Sinæ fabulantur ex animali quodam, (canem fuisse volunt) & filia regis oriundos: illam ajunt trium annorum spatio sex mares, ac totidem fœminas genuisse, qui junctis inter se connubiis huic genti initia dederint. Vocantur hi monticolæ *Vulinman*: credibile est hanc fabulam à Sinis effictam, eo quod vix homines esse putent Sinæ, eos omnes, qui Sinæ non sunt, aut Sinicis moribus exculti. Fabulam de his canibus superius solum tetigi, sed quandoquidem hujus rei testimonium apud Europæos invenio, totam hic ponere visum est, præmisso prius testimonio. In Itinerario quorumdam Monachorum, quod describitur *nel secondo volume delle navigationi, & viaggi, raccolto già da M. Gio: Battista Ramusio, a fol. 235, cap. 9,* ista invenio: *Ritornando per deserti li Tartari, pervennero ad una terra, nella quale, si come alla Corte dell' Imperatore con fermezza ne raccontorono i Clerici Rutheni, & altri, che vi erano stati, ritrovarono certi monstri, li quali hanno specie di femina: & poiche per molti Interpreti hebbero domandato quali fossero gli huomini di quella terra, fu gli risposto, in quel luogo tutte le femine che nascono, haver forma humana, ma gli masculi di cane: mentre che dimorarono in questa terra li cani, nell' altra parte del fiume si congregarono insieme, & essendo d'inverno tutti si gettarono all' aqua, poi rivolgevansi nella sabia, & così per lo gran freddo si congelava sopra di loro quella materia, & poiche çio molte fiate hebbero fatto, con grand impeto assaltarono i Tartari, i quali gettando saette sopra di loro, pareva che percotessero sassi, conciosia che quelle in dietro rittornavano, ne manco l'altre sue arme li potevano dar noia alcuna. Ma essi cani saltando in mezzo a loro, molti col morder ammazzarono, & così furono scacciati li Tartari dalla sua Patria.* Ita autem de origine hujus gentis à Sinis scribitur. *Caosinus* Rex quidem bellum contra latronem V' habebat, & ad summas jam redigebatur angustias, Ducis enim V' virtus militaris omnes artes Regis *Caosini* eluserat, & sæpe clade affecerat, quare inter milites suos edicit, illi, qui V' Ducis caput adferret, daturum se viginti millia unciarum argenti, civitatem unam, minoremque filiam in uxorem. Alebat *Caosinus* canem *Puonhu* dictum, hic latronum exercitum ingressus, qui forte in sylva substiterat, V' Ducem occidit, & caput ad Regem *Caosinum* detulit, qui de tanto hoste occiso summe lætus, nolebat tamen cani, quæ promiserat concedere, indecens esse dicens, ut animal homini nuberet: *Caosini* filia hæc audiens ait, promissa servanda sunt, & fides Regia non frangenda, atque ita cani nupsit, & trium annorum spatio sex mares, & totidem fœminas peperit, ex quibus caninam hanc gentem progenitam fabulantur Sinæ. Olim hic tractus *Çu* Regum erat, *Cina* familia *Kiuchung* dixit, *Hana Kingcheu*, *Xanga Luki*, *Taiminga* nomen dedit, quod etiamnum hodie retinet. præest civitatibus sex, 1 *Xincheu*, 2 *Luki*, 3 *Xinki*, 4 *Xopu*, 5 *Iuen*, 6 *Kiuyang*, 7 *Mayang*.

Montes.

Tayeu mons ad Barrolybicum urbis jacet, estque ex laudatissimis in Tausu libris ordine vigesimus sextus. *Siaoye* mons ibidem est, in quo mille volumina inventa sunt, quæ creduntur ibi abscondita, quando *Xius* Imperator in librorum exitium & incendium conjurarat. Prope *Kiuyang* mons est *Locung*, in quo avis vivere dicitur, quæ numquam vocem emittat, nisi cum instat pluvia, estque rusticis illius certum prognosticum: in eodem monte ingens est lacus, quem ad centies mille terræ jugera occupare scribunt.

Flumina.

Xin amnis ad urbis orientalem partem. *Iuen* torrens ad Notolybicum: ad *Luki* Australem partem, ubi inculta gens, de qua dixi in montibus habitat, quinque numerantur rivi, nimirum *Hiung*, *Yeu*, *Iuen*, *Xin* & *Muon*, reliqua sunt ut in mappa.

Decimatertia Urbs

IVNGCHEV.

INter amœnos ac virides montes jacet hæc urbs *Siang* fluvio vicina, omnium hujus Provinciæ Australissima, in qua etiam ex *Taiminga* familia Rex sedem habuit, unde & splendidum illius palatium intra mœnia visitur, ubi etiam pulcherrimus collis est, arboribus ac ædificiis refertus: quatuor etiam heroibus dicata fana. præest urbs civitatibus septem, 1 *Jungcheu*, 2 *Kiyang*, 3 *Tau* ⊙, 4 *Tunggan*, 5 *Ningyven*, 6 *Jungning*, 7 *Kianghoa*.

Olim Regni *Çu* fuit hæc regio, *Hana* familia *Linling* vocavit, deinde *U* Regum fuit, & *Jungyang* dicta est. nomen quod hodie obtinet, à *Tanga* habet familia.

Montes. Versus urbis occasum mons est *Kiungyo* arundinum copia ac pulchritudine spectandus, prope *Tunggan* omnium altissimus hujus tractus mons est, dictus *Suvang*.

Flumina. *Siang* fluvius ad Boream urbis fluit, qui in confiniis hujus & *Quangsi* Provinciæ monti *Siang* ortum debet: hujus aqua limpidissima est chrystalloque similis, adeo ut, licet subinde perticas aliquot altitudinis obtineat, calculi tamen omnes lapillique in fundo jacentes videri, numerarique possint.

Siao amnis ipsam urbem ad orientalem ejus partem prope alluit, & ad Boream *Siang* fluvio se miscet. hujus origo est in montibus ad Notolybicum *Ningyven* civitatis, qui *Kieny* dicuntur, ubi datur & lacus *Tien*.

Vt autem reliqua minoris nominis ac notæ taceam, ingens lapsus aquæ prope civitatem *Tau* est, quæ quam mox stagnum efficit, in quo *Lien* flores crocei coloris nascuntur, qui hujus coloris alibi difficulter reperiuntur; eos alibi describo copiosius.

Decimaquarta Urbs

CHINGTIEN.

YVus Imperator urbis *Chingtien* territorium *King* Provinciæ adscripsit, cui dominari voluit *Je* & *Chin* constellationes; fuit olim Regum *Çu*, dictumque *Ingchung*, *Hana* familia *Junxe* vocavit, hodiernum nomen ac urbis dignitatem statuit *Taiminga* familia, nam antea civitatis tantum titulo gaudebat, nunc septem civitatibus imperat, 1 *Chingtien*, 2 *Kingxan*, 3 *Cienkiang*, 4 *Mienyang*, 5 *Kingling*, 6 *Kingmuen* ⊙, 7 *Tangyang*. jacet urbs *Han* fluvio vicina ad ripam orientalem, montibus aquisque ceu munitissimo vallo undique circumcincta. Regionem habet rerum omnium ad usus humanos facientium feracem. Sex numerat heroibus dicata fana.

Montes. *Kingmuen* mons prope civitatem ejusdem cum ea nominis; hic fuit olim inter Borealiores Provincias *Çu* Regno pro fortissimo muro ac termino. *Çucai* mons prope *Tangyang* est trigesimus tertius ordine in libris *Tausu*, in eo arbores ac lapides omnes rubri sunt coloris, habetque rivum, qui dulcissimam ac odoriferam aquam volvit.

Flumina. *Cienkiang* præterfluit flumen ejusdem nominis.

Sinlo fons ob aquæ præstantiam hic recenseri meretur; est in monte *Kingyuen*.

Decimaquinta Urbs

CHINGYANG.

BOrealissima hujus Provinciæ Urbs *Chingyang* est, *Xensi* Provinciæ vicinissima, ex qua accedentes *Han* orientalis fluminis aquas prima excipit: hic fluvius hanc urbem ingenti gyro ac flexu ambit, deinde reliquas alluit hujus Provinciæ terras. Regit civitates septem, nimirum 1 *Chingyang*, 2 *Fang*, 3 *Choxan*, 4 *Xancin*, 5 *Choki*, 6 *Chingsi*, 7 *Paokang*.

Antiqua nomina. Sub *Yvo* Imperatore præcedentis sortem ac locum nacta est. cum *Çu* Regum esset, *Siekive* dicebatur, à copia stanni quæ semper hic reperta fuit, & etiamnum effoditur. inde etiam *Hana* familia *Sie* dixit, hoc est stannum, *Tanga* autem à soli agrorumque fertilitate *Nanfung*, quasi Australem fertilitatem dicas, hodiernum nomen à *Taiminga* familia est. Stirps quædam hic nascitur, quæ ut hedera nostra in altum serpit, flores producit luteos & nonnihil albicantes, extremitates ramorum subtilissimæ sunt, velut fila serica: ajunt ramusculum nudæ carni alligatum somnum suavissimum conciliare, ideoque *Munghoa* dicitur, hoc est somnii flos.

Montes. Ad urbis Barrolybicum mons est *Tiensin*, cujus acclives colles veluti mœnia planiciem centum stadiorum ambiunt: hunc locum Medici plurimum frequentant, ut rariores hic herbas Medicas colligant.

Prope *Choxan* est mons *Çanglo*, in quo scribunt rusticum quendam per annos aliquot collegisse castaneas, servasse in futurum, ad occurrendum fami, quam instare prævideratj; atque ita rusticis suis, ne fame perirent, fuisse auxilio.

Nuiqua mons ibidem est à muliere *Nuiqua*, quam loco idoli habent ac venerantur, nomen habet, cujus superbissimum ibi visitur templum: hanc tantæ virtutis fuisse perhibent, ut confractum cœlum restaurarit, ferruminaritque, ut Mahometes Lunam scilicet.

Flumina. *Lungmuen* fluvius ad ortum urbis fluit, ubi originem etiam habet in monte ejusdem nominis. prope *Choxan* amnis est *Cungyang*, cujus aqua maculas omnes facile è vestibus eximit, & ad ferramenta exacuenda optima esse scribitur: quod nescio quid mordacitatis habere videatur. Ibidem est *Xangyung* amnis, in quo ingens una catadupa seu aquæ lapsus est, in quam si vel lapidem injeceris, continuo tonitrua ac pluvia ingruit.

Civitas prima major

CINGCHEV.

FOrtissimo atque optimo loco jacet hæc civitas, & sub se tres alias habet, quas regit, nimirum 1 *Cingcheu*, 2 *Hoeitung*, 3 *Tungtao*, 4 *Suining*. Ejus confinia sunt *Queicheu* Provinciæ montes.

Montes. *Fi* mons præruptus undique ac præceps, accessuque difficilis, in vertice tamen quandam habet planitiem.

Feçu mons altissimus ac ingens, inter hanc Provinciam & *Queicheu* terminus est, prope *Tungtao* incipit.

Flumina. Prope *Hoeitung* lacus est *Cingpo* intra quem ingentes scopuli sunt, ac lapides, quos combibones illi subinde ascendunt ac frequentant, ad sua inibi celebranda symposia: ibidem rivus est *Hiung* à novem efformatus torrentibus *Lang* nimirum, *Vu*, *Hiung*, *Xin*, *Lung*, *Sui*, *Quei*, *Vu* & *Hiung*.

Secunda Civitas.

CHINCHEV.

QUantung Provinciæ adjacet inter duos amnes *Chincheu* civitas, cujus Regio montibus quidem, non tamen incultis referta est: ipsa civitas magna frequens ac nobilis est, regitque alias quinque civitates: 1 *Chincheu* ⊙, *Junghing*, 3 *Ychang*, 4 *Hingning*, 5 *Queiyang*, 6 *Queitung*. hæc ultima à magnifico lapideo ponte in multos arcus diviso, nobilis est, qui totus efformatus ex lapide secto ad centum & amplius perticas Sinicas extenditur. numerantur in hoc territorio tria etiam nobiliora fana.

Montes. *Hoangceng* mons ad Australem civitatis partem est, in quo *Chin* amnis origo est. *Pepao* mons est prope *Junghing*, altus ac præceps, sed ab amœno aquæ fonte nobilis.

Yen lacus parvus est in monte *Xenieu* prope *Hingning*, hyeme tota in vertice calidissimus: huc advolant bis quotannis sylvestres anseres, cum Austrum & Boream petunt, idcirco *Yen* dicitur, quod anserem sonat.

Civitates militares.

Flumina. SEquuntur undecim civitates militares, in quibus militibus intermixti cives habitant, eæ sunt, 1 *Xi* ⊙, 2 *Jungxun*, 3 *Paocing*, 4 *Nanguei*, 5 *Xiyung*, 6 *Xangki*, 7 *Lankiang*, 8 *Sanping*, 9 *Jungting*, 10 *Tienkia*, 11 *Jungmui*.

Xi civitas *Y* fluvio vicina est, aliqua sub se minora castra habet; Muschus ibi colligitur. *Paocing* civitas mercurio seu argento vivo abundat.

Montes. *Kesing* mons supra nubes ascendit, insolito frigore rigescere dicitur, forte ex eo quod ascendit altius & ad secundam aëris regionem pertingit, quam vulgo frigidam vocant.

Tuting mons admodum altus densusque, amœnos ac fertiles oryzæ habet campos, sylvasque valde vetustas.

OCTA-

OCTAVA PROVINCIA, KIANGSI.



AD *Huquang* partem, quà ad ortum ſpectat, occurrit Provincia *Kiangſi*, priori magnitudine haud multo minor, quamvis illa totius extremæ hujus Aſiæ horreum dicatur, hæc non niſi pro uno tantum jentaculo ſufficere: hæc, uti & altera, lacum ingentem includit, *Poyang* vulgo vocant, is magnitudine *Túngting* lacui vix cedit.

Iam inde ab antiquiſſimis temporibus, priuſquam Sinico ſubjecta eſſet imperio, magna ejus pars ad *Çu* reges, alia ad V pertinuit, modo hoſce habet limites: ad ortum clauditur à *Chekiang* Provincia, ad Notapeliotem à *Fokien*, ad Auſtrum *Quantung* extrema attingit, Borealem partem *Kiangnan* ſive *Nanking* tenet, reliqua *Huquang* ambit. Initium Provinciæ, quà ad auſtrum pertinet, dant denſiſſimi montes; trium quippe Provinciarum radices ac juga montium iſthic conveniunt in unum, *Kiangſi* nimirum, *Quangtung*, & *Fokien*; intra quos gens habitat inculta & agreſtis, quæque necdum Sinico paret imperio, quinimmo audet etiam non raro ex latibulis ſuis erumpere, prædaſque abigere è viciniâ, quamvis nil admodum magnum aut egregium tentare queant, cum ubique caſtella, ac munimenta ſuis cum præſidiis ſint diſpoſita, ut monticolarum inſultibus inſidiiſque obviam eatur. Ut ut autem hanc gentem domare conati ſint Sinæ, nihil tamen adhuc efficere potuerunt, ob arctas nimium montium fauces, aditusque inacceſſos, quos excipiunt valles amœniſſimæ campique egregie culti.

Sinæ montani populi.

Ea *Kiangſi* Provinciæ præſtantia ac nobilitas eſt, ut tota ſit incolis frequentiſſima, rerumque omnium neceſſariarum mater fœcunda, ubique rivis oppido copioſis, fluminibus lacubuſque irrigatur, his ac præterea altiſſimis montibus ceu munitiſſimo vallo circumquaque cincta eſt, auri, argenti, plumbi, ferri, ac ſtanni venis dives: tanta illic paſſim hominum multitudo viſitur, ut eam capere vix poſſit ejus magnitudo. Hac de cauſa per totam Sinam mures vocitari ſolent, propter hominum copiam, mulierumque fœcunditatem; cum itaque gens hæc adeo copioſa ſit, ut domi ſuæ ſedem laremve reperire vix poſſit, per totam diſpergitur, vagaturque extremam hanc Aſiam, ad varia vilioraque miniſteria, mechanicaſque artes, ac illiberales exercendas; præcipue arti ſartoriæ, divinationibus, ac ſortilegiis multum operæ dant: natura ſua parci ſunt ac miſeri quoad ſe, tum etiam quoad alios; vix quidquam in ſuis omnibus ſplendidum adhibent, multoque plura de illis ſpargunt dicteria ac ſcommata Sinæ, quam Europæi, Italique in *Leſina*, ut vocant, ſua; adhæc ſuperſtitionibus valde ſunt addicti, jejunia idololatrarum, & à certis cibis abſtinentiam ex doctrina metempſychoſeos quamplurimi ſedulo obſervant, adeo ut nihil quod vita utatur auſint occidere, nec ab alio occiſum comedere. ſunt ex iis, qui per annos integros oſſa vaccarum aliorumque animalium abjecta colligant, ut, cum hoſpites excipiendi ſunt, aut adornanda convivia, ea ſcutellis ſuis porcellanis imponant, quibus fundum, ad ſtruendas turritas dapes ac fercula more gentis, oppleant, ne nimium ciborum cogantur addere, ſumptuſque facere majores: ingenio tamen gens præclaro eſt ac ſubtili, & plurimi ex iis ſingulis examinibus litteratorum adipiſcuntur gradus, ac tum deinceps ad maximas aſcendunt dignitates.

Viles ac miſeri Kiangſienſes.

Sed ut ad populi cenſum numerumque veniamus, familias habere hæc Provincia ſcribitur 136,3629. viros vero 654, 9800. tributum oryzæ quod pendit eſt ſaccorum 161, 6600. Serici non laborati libras ſolvit 8230, ſerica confecta volumina 1, 1516, quibus reliquarum rerum ac teloniorum vectigalia non adſcribo.

Numerus rerum ac hominum.

Diviſa eſt *Kiangſi* Provincia in urbes magnas atque egregias tredecim, quas totidem dicas minores Provincias, quibus ſubſunt civitates ſexaginta ſeptem, tota lacubus ac fluminibus irrigua, adeoque & navibus pervia eſt: eam *Can* fluvius totam ab Auſtro in Boream mediam ſecat, ſed & hinc vel maxime nobilis eſt, quod in ea ſola, idque non niſi in pago unico, optima ac præſtantiſſima

Porcellanæ ac piſcium copia.

tissima vascula illa Sinensia, quæ porcellana dicunt, conficiantur, quæ pagus ille non modo toti huic extremæ Asiæ, sed & reliquo orbi, ea quam jam videmus, copia suppeditat, de quibus fusius mox suo loco. Piscium etiam in hac Provincia vis ingens præcipue salmonum, trutarum, & acipenserum: horum ego unum appendentem centum & sexaginta libras sex Iuliis seu regalibus Hispanicis quandoque emi, & trutam decem librarum triario, seu tribus assibus; sed plura de his sigillatim ad urbes singulas.

Lien florum descriptio.

Quia vero *Lien* florum sæpe mentionem feci, & illis hæc Provincia maxime abundat, breviter hic eos describo, nec enim flores tantum, sed & fructus siccatos cum reliquis communicat Provinciis: flos hic, qui à Sinis *Lien* dicitur, à Lusitanis *Fula de Golfon*, in aquis stagnantibus, quarum sedimentum limum efficit, crescit, ad duos tresve cubitos, aquæ superficiem supereminet, duris fortioribusque stolonibus adnexus, una sæpe radix plures flores fert, dantur coloris varii, purpurei, albi, mixti, rubri aliique similes: lilia nostra magnitudine superant, ac longe magis pulchritudine, cedunt tamen illis odoris, quo carent, fragrantia; tulipam maximam diceres, à qua figura non admodum discrepat, nam etiam cum folia aperit, repandi lilii figuram habet, quin & foliis striatis & ab angustiis in latitudinem paulatim se laxantibus effigie calathi est, resupinis per ambitum labris, tenuique filo, & stantibus in medio globulis velut lilii crocis: post florem fructus sequitur figura plane conica, qui magnitudine palmam manus excedit, crassitie pugnum: coni hujus vertex seu acumen petiolo, cui flos adhærebat, annexum est, basis cœlum respicit, in qua folliculi seu domunculæ variæ sunt, intra quas multiplex fructus continetur, ita ut solus vertex promineat: hujus moles elliptica avellanas, fabasque nostras majores æquat, unde nil mirum si hunc fortasse fructum Dioscorides fabam Ægyptiam dixerit, armatur fructus cortice viridi, molliori tamen, intus nucleus est albus optimique saporis, tum cum recens est, tum cum exficcatus: à Sinicis Medicis optimæ habetur notæ, magnarumque ad alimentum virium, unde debilioribus eum passim post ægritudinem convalescentibus offerunt: folia stirpis maxima sunt, & plerumque figuræ rotundioris, aquæ superficiei incubantia ac supernatantia, ut nymphææ nostrates solent, longioribus petiolis radici alligantur, subinde ad duorum palmorum longitudinem extensam diametrum habent. sæpe hisce similia folia in stagnantibus etiam Europæis aquis videre me memini, at non item florem aut fructum: hæc folia ubi exsiccata fuerint, olitoribus, scrutariis, aliisque minutiorum similium rerum propolis loco papyracei involucri aut cuculli sunt, quibus merces divenditas infarciunt; sed & ipsa radix præclara est, suumque habet usum, quippe ad brachii humani crassitiem sæpe excrescit, duosque aut tres cubitos intra limum subtilissimum delitescit: tota geniculis atque internodiis distincta est ad modum cannarum aut arundinum, cum autem exterior ejus cortex plane integer sit, medulla ipsa seu caro magnis quasi canalibus intus perforata est, caro albissima carduum nostratem, licet nonnihil magis insipida sit, refert, atque æstivo tempore, quod frigidiuscula sit, in deliciis ac pretio est; unde nihil non in hac planta utile est, ac prorsus res amœnissima integros sæpe videre lacus floridos, non sylvestribus illis minimeque frugiferis, sed manibus hominum satis, domesticisque floribus, quorum cultura singulis annis renovatur, semenque intra ipsas aquas projicitur, quin imo in hortis ac viridariis, & in ipsis palatiorum atriis intra vasa testacea ingentia limo & aqua repleta excolunt, ac educant magnates, illorum tum pulchritudine, tum amœnitate allecti.

Prima Urbs seu Metropolis

N A N C H A N G.

Situs ac nobilitas.

Nanchang urbs, quamvis non sit ex maximis illis maximeque celebribus, nobilis tamen est litteratorum multitudine, nec adeo parva, quin ut minimum duo milliaria ambitu suo contineat: in hac, quod nusquam alibi comperi, duo simul reges habitavere è *Taiminga* familia; ac Societas nostra templum sat splendidum, vero Deo consecratum, domumque pro loci opportunitate sat commodum habuit: nisi quod, cum à Tartaris post primam interceptionem iterum defecisset, tota ab iis flammis tradita sit, ita ut præter mœnia vix quidquam integrum remanserit; sed denuo jam restaurata proregem reliquosque magistratus iterum obtinet, non tamen sacerdotem aut templum, quod hactenus operarum non permisit ibi penuria.

Jacet urbs ad magni lacus *Poyang* initium

tium Australe in Insula, quam flumen ipsum efficit, erat antiquis temporibus limes inter *Çu* & *U* regna; sub *Cina* familia ad *Kieukiang* regionem pertinuit, *Hana* familia *Juchang* dixit, à *Tanga* familia hodiernum habuit nomen, *Sunga* familia illud mutavit in *Lunghing*, sed prius *Taiminga* restituit: ante trecentos plus minus annos urbs fuit regia: nam sacrificulus *Chu*, qui Tartaros è Sina ejecit, hic regis nomen assumpsit vocavitque *Hungtu*, quod magnam regiam sonat, cum deinde tamen multum crevisset victoriis, solium ad *Nanking* regiam transtulit, ac tum antiquum *Nanchang* nomen urbi reddidit: præest urbs civitatibus septem, 1 *Nanchang*, 2 *Fungching*, 3 *Cinhien*, 4 *Fungsin*, 5 *Cinggan*, 6 *Ning* o, 7 *Vuning*. Regio tota agro ac gleba fertili gaudet, nulla pars inculta jacet, cultoribus etiam adeo referta est, nullum fere ut gregibus armentisve locum relinquant, præterquam porcorum, quos ubique intra & extra mœnia summa diligentia alunt, adeoque frequentes sunt intra ipsam urbem, ut sæpe per plateas vix transitus pateat, tanta undequaque occurrit porcorum multitudo; inde tamen plateæ minimæ sordidæ sunt, omnia enim porcorum etiam excrementa Sinæ accuratissime colligunt, ac pro agrorum stercoratione divendunt.

Antiqua nomina.

Qualitas.

Fanum insigne.

Quatuor nobilissima fana continet hæc urbs, sed quod à ferrea columna nomen habet, reliqua omnia superat. hoc in loco, qui extra mœnia est, fabulantur olim fuisse virum quendam, qui egenorum complurium necessitatibus succurrerit, multaque populo liberalissime erogarit, quippe qui *Chemica* arte, non fictitium, sed verum argentum elaborarit: addunt præterea, ab eo divinis plane artibus draconem, urbi ruinam minitantem, terra fuisse obrutum, & ad ferream columnam ingentis magnitudinis alligatum, (quæ columna intra fanum adhuc ibi in puteo visitur) demum in cœlum eum cum tota domo ac familia evolasse; hac de caussa summa gentis superstitione, quam religionem, pietatemque putabant, fanum ipsum exædificatum est, cujus moles plane splendida, ingens, ac augusta est, adjacet illi cœnobium sacrificulorum; ad alterum fani latus nundinæ perpetuæ sunt, in quibus nihil omnino deest, quod desiderare possis.

Montes.

Prope *Fungsin* mons est *Pechang*, è quo ingenti lapsu aqua ad centum perticas decidit, unde nomen monti *Pechang*, hoc est centum perticarum, inditum.

Prope *Fungching* mons est *Xifung*, in *Taosu* libris ordine trigesimus nonus.

Flumina.

Chan fluvius sive *Can*, ad urbis occasum est, de ejus origine ago alibi.

Versus Notapeliotem urbis lacus est *Tung*, ab optimis piscibus, & limpidissima aqua commendatus.

Poyang lacus ingens ad urbis Barrapeliotem incipit, dicitur etiam *Pengli* lacus.

Circa *Cinhien* Insula est *Lungma*, & ad ortum urbis *Pehoa*, & ad occasum Insula parva *Teuxu*.

Secunda Urbs
JAOCHEV.

Situs.

Borealem ripam *Po* fluvii occupat urbs *Jaocheu*, pulchra sane ac amœna, cujus regio tota plana est, aquisque ac fluminibus irrigua, unde mira regionis fertilitas; regit urbs civitates septem, quarum 1 *Jaocheu*, 2 *Yukan*, 3 *Lopin*, 4 *Feuleang*, 5 *Tehing*, 6 *Gangin*, 7 *Vannien*: in hac etiam urbe rex è *Taiminga* familia residebat: at quod maxime eam commendat, est elaboratio ac copia scutellarum Sinensium, quas porcellanas nescio unde petito nomine vulgo vocant, quæ nullibi in toto regno fiunt præstantiores quam in pago *Feuleang* civitatis: licet enim alibi terram, ex qua forte confici possint, habeant, nullo modo ad eas accedunt, quæ in hoc pago fiunt, imo quod admiratione dignum, terram ex qua eas efformant, non ex hujus Provinciæ solo hauriunt, sed ex *Kiangnan* Provinciæ urbe *Hoeicheu* advectam accipiunt; neque ibi, licet tanta illius adsit terræ copia, ullo modo effingere illas queunt. sunt qui id aquarum temperaturæ adscribant. Ex hoc ergo hujus urbis pago omnes scutellæ illæ ac vasa Sinensia sunt, quæ à rusticis, rudibusque hominibus figlina arte elaborantur, eodem modo quo *Faenses* in Italia; coloris varii sunt, licet omnes ex subtilissima illa argilla, ac aliquantulum diaphana constent, quæ colore illinuntur croceo, variisque draconum figuris illusæ sunt, regio destinantur palatio; pro vulgo fiunt rubræ, luteæ ac cæruleo colore, ad quem effingendum glastum à Sinis adhiberi solet, quod ibi magna reperitur copia, præcipue in Australioribus Provinciis, quo etiam ad tingendas vestes utuntur: quam vero rara ac præclara vasa hic fiant, longum esset referre;

Vasa porcellanica unde.

ferre; nullam formam, nullum florem figuramve pinges, qui non eandem ex porcellana argilla apud illos admittat; quanta vero horum vasorum sit copia, facile quivis colliget ex ea, quam quotidie videmus in Europa nostra; at miror unde hic increbuerit rumor, ex ovorum testis, aut contusis conchulis marinis præparari hanc materiam, idque ex relatione quorundam centum annorum spatio repositam ab avis pro successuris nepotibus: plane rerum gnaris ridicula sunt hæc & mere commentitia, namque omnia ex terra, quæ ad hunc pagum ex urbe vicina *Hoeicheu* advehitur, figlina arte fiunt; terra autem illa non pinguis, ut creta est, sed veluti arenula pellucida, quam macerant, & adspersa aqua in massam cogunt, quin & ex fractis vasculis denuo frusta comminuunt, atque iterum nova vasa efformant, sed hæc ad priorum vix accedunt nitorem, aut pulchritudinem: quod præterea hæc vascula commendat, est quod eduliorum etiam ferventium vim innoxia patiantur, imo quod magis mirandum, frusta inter se claviculis æreis, filoque consuta liquorem continent, nec transmittunt: hujus sutoriæ artis periti totam passim Sinam obambulant, ii ad foraminula efformanda subtilissimum adhibent terebellum (vulgo dril vocant) cujus cuspis ex adamante est, quali hyalosculptores apud nos fere utuntur, aut ii potius, qui apud Mediolanenses crystallum montanam perforant.

Terra qualis.

Olim hæc Regio ad *U* Reges pertinuit. *Cina* familia *Poyang* vocavit, hodiernum nomen à familia *Sunga* est: clauditur hæc Regio ad Boream & ortum montibus, ex quibus, qua ad ortum vergunt, porcellana materia eruitur. Memoratu hic dignus pons est *Gangin* civitatis, qui obsequii & obedientiæ pons dicitur: ajunt enim ditissimorum parentum filiam quandam primis nuptiarum diebus amisisse maritum, cumque denuo nubere apud honestas, qualis hæc habebatur, crimen sit ac nefas, viduitatem suam matris, patrisque præsentia solabatur, atque sat æquo animo tolerabat: at illis demortuis cum omnis jam esset expers solatii, pontem hunc lapideum multis arcubus fornicibusque distinctum exstrui curavit, eoque in opere omnibus magna ex parte consumptis suis opibus, cum absolutum vidisset, ex illo se in aquas præcipitem dedit, ac mox submersa est. Utramque rem pietati adscribunt Sinæ, quam potius crudelitati in sese, ac pusillanimitati adscribere debuerant: inde ponti nomen factum *Hiáolie*, hoc est, obedientiæ claritas.

Montes.

Macie mons Orientalem urbis partem tenet, est ex laudatissimis ordine quinquagesimus secundus. *Xehung* mons prope *Yúkan*, lapidea iris vocatur, quod aqua ex illo decidens iridem continuam aspectantibus præbeat. *Cienso* mons prope urbem in ripa lacus. Prope *Yukan* mons est *Hung yai*, qui ad Barrolybicum etiam eundem lacum *Poyang* contingit.

Flumina.

Poyang lacus sive *Pengli* urbis territorium ingreditur, pars ejus ad *Yukan* extensa dicitur *Canglang*, ibidem *Pipa* insula. *Po* flumen ad Austrum urbis profluit, hic originem habet in montibus *Hoeiki* urbis, per hunc arena ad efformanda vasa porcellana naviculis advehitur.

Tertia Urbs

Q V A N G S I N.

Situs.

Inter densissimos, altissimosque montes, sed non omnino incultos jacet hæc urbs, sunt enim pagis villisque frequentes, ex quibus ad ortum urbis *Xangiao* fluvius originem habet, qui ad Boream hanc transit urbem; sed quia hic tractus trium Provinciarum confinia complectitur, *Kiansi* nimirum, *Fokien*, & *Chekiang*, à latronibus sæpe aliqua detrimenta passus est, qui isthic facile in montibus delitescunt, ab inimicorum tamen conatibus facile defenditur, propter arctissimas montium fauces, per quas tantum patet aditus, in quibus etiam olim præsidia habuit Sinicus Imperator: magna hic ubique fit optimæ papyri copia, candelæ ex bovino sebo nusquam fiunt meliores. tria urbs numerat nobiliora fana; regit civitates septem: 1 *Quangsin*, 2 *Joxan*, 3 *Jeyang*, 4 *Queiki*, 5 *Jenxan*, 6 *Jungfung*, 7 *Hinggan*.

Hic tractus olim partim ad *U*, partim ad *Cu* Reges spectabat, sub *Cina* familia ad *Hoeiki* regionem pertinuit. *Hana* familia *Juhan* dixit, *Tanga* & *Sunga Sincheu*, *Taiminga Quangsin*.

Montes.

Ling mons ex nominatis in *Taosu* libris ordine trigesimus & secundus; annosis sylvis plenus, floribus ac herbis medicis nobilis, etiam crystallum optimam producit.

Prope *Jeyang* mons est *Paofung*, in vertice lapideam sustinet domum, cujus altitudo nubes transcendit, ad quem montem

etiam

etiam pons antiquissimus est quinquaginta perticarum longitudine.

Siang mons altissimus atque latissime diffusus, ita agris campisque distinctus est, ut planiciei haud ita multum cedat; prope *Queiki* est, plurimi in eo sunt pagi. Ibidem est *Lunghu* mons ex nominatis ordine trigesimus secundus, draconis & tigridis nomen habet, duos enim in altum attollit vertices, quorum unus alium velle videtur opprimere: superiorem *Lung*, hoc est draconem, inferiorem *Hu*, hoc est tigridem vocant.

Flumina. *Xangjao* flumen ad urbis Boream fluit, ejus origo in *Joxam* civitatis montibus est: inde ad Austrum urbis per ejus territorium fluit, multisque locis superatis *Poyang* lacui se miscet.

Quarta Urbs
NANKANG.

Lacui *Poyang* vicina jacet hæc urbs, ad ejus nimirum occidentalem ripam: hic mediam illius regionem secat, ac in duas dispescit partes: tum à montium, tum ab agrorum fertilitate multum laudatur à Sinis; omnium enim rerum ingens copia hic producitur, campi oryza, frumento, ac leguminibus luxuriant, montes præterea ligna ubi culti non sunt subministrant, lacus ac flumina piscibus totam regionem ditant; quatuor regit urbs civitates, 1 *Nankang*, 2 *Tuchang*, 3 *Kienchang*, 4 *Gany*. Fuit olim Regum *Çu*, *Cina* familia *Kieukiang* regioni adscripsit, *Hana* familia *Pengçe* dixit, *Tanga* familia *Kiangcheu*, hodiernum nomen habet à *Sunga*. *Rerum copia.*

Multa superbissima habet fana, sed præcipua sunt in montibus superstitiose cultis *Quangliû* & *Juenxin*, in quibus innumeri degunt anachoretæ & sacrificuli, quos haud immerito dæmonis martyres aut mancipia jure dixeris. sua quique in ædicula corporis afflictationi maxime ac constanter ad stuporem usque dediti sunt: credunt post hanc vitam felicem se aliquem statum assecuturos, cum nimirum corpora mutaturæ sunt animæ ex illorum sententia: si tantum pro vero Deo facerent plane antiquos illos nostros anachoretas pœnis ac cruciatibus sponte susceptis aut æquarent omnino, aut superarent; tot in monte *Quangliû* ædiculas esse ferunt, quot sunt dies in anno. Inter prodigia etiam illud hic haberi solet, quod mons ille sereno ubique & circumquaque cœlo, semper nebulis aut nubibus oppletus sit, adeo ut ex lacu ægre admodum videri possit, licet illi admodum vicinus sit. In iis montibus multa fana sunt idolorum mole ac multitudine admiranda. pons etiam ingens totus ex secto lapide, qui vallem suis fornicibus, arcubusque substernit; haud procul hinc abest ingens monasterium *Queiçung* dictum: producit hæc urbs etiam cannabim, ex qua vestes æstivas contra calorem ac sudorem aptissimas texunt. *Anachoretæ.*

Montes. *Quangliu* mons est ex nominatissimis ordine octavus: ad Barrolybicum urbis est, & quingenta stadia occupat, in eo anachoretæ sunt, quos supra recensui.

Prope *Tuchang* mons est *Juenxin*, ex nominatissimis ordine quinquagesimus primus.

Flumi. *Poyang* lacus ad urbis Notapeliotem pertingit, hic ejus latitudo stadiorum circiter quadraginta est: longitudo trecentorum esse stadiorum à Sinis perhibetur.

Lien fons ad urbis occasum est, cujus aqua velut pannum ex argenteis filis contextum lapsu suo refert, & exinde triginta efformat rivulos: aqua hæc censetur apud Sinas præstantissima.

Quinta Urbs
KIEVKIANG.

Kieukiang urbs ingens est, & emporium nobilissimum, ad *Kiang* fluvii Australem ripam jacet, eo in loco ubi cum aquis magni *Poyang* lacus concurrit: quanta hic assiduè navium sit copia ægre credet, qui non viderit, ex hac enim urbe ad mare usque patet exitus, atque isthuc pleræque naves pro transitu conveniunt. Licet autem à mari centum plus minus leucis urbs hæc absit, multi tamen ad illam marini capiuntur pisces, acipenseres, delphini & salmones; quin & æstum maris, præcipue in pleniluniis & noviluniis sentit: cursus autem fluminis hinc ad mare adeo lentus est, ut vix animadverti, aut observari oculis possit, unde perfacile est sublatis velis in omnem partem navi facere iter, atque ea hoc magnus *Takiang* in *Yangçukiang* nomen mutat, quod maris filium fluvium sonat, & per antonomasiam, vulgo *Kiang* dicitur, vereque magnitudine ac fluctuum mole parentem suum quam proxime imitatur: ad milliare Germanicum ejus plerumque patet *Navium copia.* *Kiang filius maris.*

tet latitudo, at navigatio illic non caret periculo.

Situs. In hac urbe ditiſſimum telonium habet hoc imperium, in quo præfecti Regii magna colligunt vectigalia. jacet autem omnino ad Boream ipſius metropoleos, ad Auſtralem partem à *Quangliû* monte clauditur, ad Boream & ortum ab aquis circumdata eſt; magnifica fana, pulchra & ſplendida, tum publica tum privata ædificia multa numerat. Regit urbs civitates quinque: 1 *Kieukiang*, 2 *Tegan*, 3 *Xuichang*, 4 *Hukeu*, 5 *Pengçe*. *Antiqua nomina.* Hic tractus jam inde ab antiquis temporibus partim Regum *Çu*, partim U fuit; ſub *Cina* familia eodem, quo etiamnum hodie, nomine vocitata eſt; *Hana* familia *Juchang* dixit, *Sujus* Rex iterum *Kieukiang*, *Sunga* familia *Tingkiang*, *Taiminga* antiquum nomen reddidit.

Montes. *Tacu* mons ad urbis Notapeliotem jacet, inſulam in lacu efficit.

Poye mons prope *Tegan*, qui triginta ſtadia occupat, atque ad inſtar mœniorum magna ex parte civitatem ambit.

Quenlun mons ibidem, in quo lapis tantæ magnitudinis eſt, ut facile centum homines abſque mutuo contactu decumbentes capiat.

Prope *Hukeu* mons eſt *Xechung* dictus, hoc eſt, lapidea campana; ad hunc quippe montem à vento agitatæ atque alliſæ undæ boatum ingentem emittunt.

Siàocu mons prope *Pengçe* prorſus inacceſſus eſt; jacet in lacu undique aquis ſeptus, ex parte Auſtrali exiguam habet pro navibus ſtationem: & in magni fluvii ripa, prope *Pengçe*, eſt *Matang* mons multarum navium naufragio infamis; nam ſi vel minimum à ripis aberrant nautæ, undarum vi abreptæ naves facile ad hoſce ſcopulos alliſæ franguntur in partes.

Flumina. De fluminibus nihil hic occurrit ſingulare ab iis, quæ habentur in mappis.

Sexta Urbs

K I E N C H A N G.

Situs. Splendida ac nobilis urbs eſt *Kienchang*, *Fokien* Provinciæ vicina, montana, ſed tamen amœna, ac fertili in regione ſita eſt, qua quinque includit regitque civitates: 1 *Kienchang*, 2 *Sinching*, 3 *Nanfung*, 4 *Quanchang*, 5 *Luki*. Urbem Rex ex *Taiminga* familia incoluit, dignumque regali magnificentia palatium habuit, ſive molem ædificii ſpectes, ſive ſplendorem; mira in eo hortorum amœnitas, magnus reliquæ ſupellectilis, atque imprimis ſatellitii, fuit apparatus. Lacus duo urbem hanc ornant, quorum unus intra ipſa mœnia eſt, alter nonnihil remotior, iſque extra, ſuarum tamen aquarum commoda ac divitias, per canales arte deductos, cum ipſa urbe communicat.

In hac etiam urbe Societas J e s u vero Deo templum dicatum habuit, magnumque vidit Chriſtianorum numerum, at modo ſacerdote caret, qui inibi ſedem aut domum ſtabilem habeat.

Heroibus dicata fana duo nobiliſſima obtinet.

Optimus hic conficitur potus ex oryza, *Vinum præclarum.* ipſo fere vino Europæo præſtantior, *Macu* vulgo dicitur, qui inter Sinenſes delitias haud immerito accenſeri poteſt. Oryzam producit adeo præ reliqua totius Sinæ præſtantem, ut ad ipſum Imperatorem inde deducatur; eam ob præſtantiam argentea grana vocant. Ibidem præclariſſimi omnis generis texuntur panni.

Antiqua Nomina. Fuit olim Regum *Çu*, ſub *Cina* familia ad *Kieukiang* pertinuit, ſub *Hana* ad *Juchang*: *Tanga* familia *Kienvu* dixit, hodiernum nomen habet à *Sunga*.

Montes insigniores. *Macu* mons ex nominatis in *Tauſu* libris ordine trigeſimus ſextus, quadringenta ſtadia occupat, jacet ad urbis occaſum; prope *Quanchang* mons eſt *Chunghoa*, qui totus ex meris fere nudiſque conſtat verticibus, inter quos unus ſolummodo vireſcit, atque arboribus conſitus eſt; in eo magnificum eſt idolorum fanum.

Flumina. Lacus intra urbem *Kinquei* dicitur; quique extra urbem eſt, dicitur *Kiao*: prope *Nanfung* etiam lacus parvus eſt *Vanſui*.

Septima Urbs

V U C H E U.

Ita hujus urbis territorium deſcribit Sinicus Coſmographus: montes habet ſpirituales, aquas amœnas, jacet inter *Situs amœnitas.* *Fokien* & *Quantung* extrema; ea eſt ibi montium pulchritudo & amœnitas, ut vix quidpiam addi poſſe videatur; ex iis fluvii, rivique promanant, qui totam rigant regionem, unde ſi quæ alia, fertilitate, aëriſque ſalubritate commendanda eſt. Poma aurea *Rerum copia.* optima producit, alimentorum tantam copiam, nihil ut omnino deeſſe ad vitam etiam laute ſuſtentandam, queri poſſis; ædificia

quædam habet magnifica,interque ea quinque heroibus dicata fana : ad hanc etiam urbem ex *Poyang* lacu navibus patet iter, ex quo non exigua commoda proveniunt, regit urbs civitates sex, 1 *Vucheu*, 2 *Çunggin*, 3 *Kinki*, 4 *Thoang*, 5 *Logan*, 6 *Tunghiang*.

Montes. Ad orientalem urbis partem mons est, dictus *Tangkiu*, in quo mirabilem statuam, quæ hominem repræsentat, esse memorant, *Statua mirabilis.* eam ajunt pro varia aëris futuri temperie varios induere colores, ex quibus accolæ cœli serenitatem, aut pluvias imminentes facile soleant colligere.

Kinki ingentem montem *Junglin* vicinum habet, in quo sex supra triginta numerantur vertices : hic usque ad terminos *Quangsin* & *Kienchang* excurrit.

Flumina. *Liensan* amnis, qui ad urbis Barrolybicum fluit, hic memoratu dignus est, illius enim aquas maxime expetunt Sinæ pro clepsydris seu horologiis ex aqua conficiendis, præ reliqua enim hæc minus aëris varietati, mutationibusque censetur obnoxia.

Est & *Mingyo* fons amœnus prope *Kinki*, & in urbis gymnasio lacus *He*, hoc est niger, ita à colore aquæ nigerrimo dictus.

Octava Urbs LINKIANG.

Situs ac amœnitas. Sita est *Linkiang* urbs recta ad occasum antecedentis in *Can* fluminis Boreali ripa, cujus aqua etiam intra urbem introducta non parva præbet civibus commoda: hujus urbis tractus non minus quam prioris amœnus esse, ac ferax à Sinis perscribitur; navium etiam magnam frequentiam habet hæc civitas, quæcunque enim *Can* fluvium enavigant, isthac transire solent. quatuor sub se numerat civitates : 1 *Linkiang*, 2 *Sinkin*, 3 *Sinyu*, 4 *Hiakiang*. Regum temporibus modo *Çu*, modo *U* regibus paruit, sub *Cina* familia ad *Kieukiang* pertinuit, sub *Hana* ad *Juchang*, hodiernum nomen jam inde à *Sunga* familia retinuit : tria nobilissima heroibus dicata fana numerat.

Montes. Ad urbis Borealem partem mons est *Comao*, qui est in *Taosu* libris ordine trigesimus tertius, multa in eo rara notarunt Sinæ, ex quibus felicissima quæque sibi obventura somniarunt, quæ illic loci adscribere supervacaneum duxi. *Josu* mons prope *Sinkin* est ex nominatis ordine decimus septimus. *Mung* mons prope *Sinyu* altissimus est, adeo ut nubes ipsas videatur transcendere, totus tamen sylvis ac campis amœnus.

Flumina. Prope *Sinyu* fluit *Yu*, sive *Yven* amnis, cujus origo prope *Juencheu* urbem erumpit : ibidem lacus est *Funghoang* non admodum magnus, at illud in eo rarum est, quod nec pluvia crescat umquam, nec siccitate decrescat.

Kiafung insula prope mœnia urbis est in *Can* fluvio; alia *Pehoa* dicta, intra urbem in ipso lacu est.

Nona Urbs KIEGAN.

Ad occiduam ripam *Can* fluminis jacet urbs *Kiegan*, ubi *Xepatan* infames scopuli initium habent : ab hac enim urbe hujus fluminis descensus periculis plenus est, & multarum navium sæpius *Scopuli periculosi.* facto naufragio omnino formidandus, ob latentes hinc inde syrtes atque acutissimos scopulos, per quos rapido ac velocissimo cursu flumen devolvitur : decem & octo recensentur loca, in quibus majus subesse creditur periculum, inde *Xepatan* nomen ortum, quod decem & octo præcipitia seu catadupas sonat; has non sine metu enavigavi ipsemet, salvus Dei beneficio & incolumis, quamvis non paucas alias naviculas, quæ misere ad saxa ac scopulos allisæ fuerant, haberem obvias in itinere; solent autem fere pleræque naves peritum ex hac urbe accipere gubernatorem, à quo per hæc loca adeo periculosa deducantur, maximum autem omnino periculum est in loco, quem *Hoangcung* vocant.

Situs. Urbis hujus Regio hinc inde montibus & collibus inæqualis est, sed auro argentoque ii plerumque prægnantes sunt : valles ac campi feraces sunt & amœni, in quibus fere nusquam aquarum penuria, aut à nimia siccitate periculum. habet sub se hæc urbs civitates novem, nimirum 1 *Kiegan*, 2 *Taiho*, 3 *Kiesvi*, 4 *Jungfung*, 5 *Ganfo*, 6 *Lungciven*, 7 *Vangan*, 8 *Jungsin*, 9 *Jungning*. Priscis temporibus prioris locum ac sortem hæc etiam urbs tenuit. *Kiecheu* nomen primum *Suius* Rex, & *Tanga* dedit familia; at *Taiminga* in *Kiegan* mutavit, nomine à montium felicitate desumpto, *Kie* enim felicitatem sonat.

Montes. Mons maximus prope *Ganfo* est, *Uncung* dicitur, qui octingenta terrarum stadia occupat.

Est

Est & *Cien* mons haud procul à *Jungsin*, ingens ac præruptus.

Flumina. *Mie* lacus, hoc est lacus mellis, prope *Ganso* ita dictus à suavissimis, quos alit, piscibus. *Kien* lacus est prope *Kiexui*; *Can* flumen ad ortum urbem præterlabitur.

Lu flumen haud procul à *Kiexui*, ejus origo prope *Jungfung* in montibus est, & ad ipsa mœnia duos excipit amnes, *Xanglu* nimirum, & *Hialu*, mox versus occasum fluens, & deinde ad Barrapeliotem nonnihil deflectens nomen immutat modo *Luyuen*, modo *Lupo* dicitur.

Kie amnis sive *Ven*, civitatis *Kiexui* territorium pertransit, suisque gyris ac mæandris, hanc fere litteram efformat 吉, quæ *Kie*, hoc est felicitas, dicitur. unde & *Kiexui* civitati nomen, quod felicem aquam significat.

Senting rivus prope *Jungsin* fistula dicitur, eo quod ejus aqua, per saxa velocissimo cursu profluens suave murmur, ac quasi gratam vocem suo decursu efformet.

Decima Urbs
X V I C H E V.

Regionis amœnitas. AD Barrolybicum prioris urbis *Hoayang* amni vicina jacet urbs *Xuicheu*, fortunata dicitur, quod ipsa vox *Xui* indicat, ab aëre mitissimo ac saluberrimo, agro campisque fœcundissimis, quod vel inde facile colligere est, cum sola per sese trecenta millia saccorum oryzæ pendat pro tributo, cum tamen tres solummodo sub se civitates numeret, quarum 1 *Xuicheu*, 2 *Xangcao*, 3 *Sinchang*. Urbis regio undequaque montibus ac sylvis clauditur, qui amœnissimum adspectum præbent, pagi in iis multi, passimque culti, copiosos etiam ubique fere habet rivos, in quibus auri etiam atque argenti ramenta reperiuntur. è montibus quoque lapis lazulus effoditur, & color ille viridis, quem *Xelo* Sinæ vocant. sub *Tanga* familia propter oryzæ abundantiam *Micheu* dicta est, hoc est oryzæ civitas, hodiernum illi nomen à *Sunga* familia est.

Montes. Ad partem Orientalem urbis mons est *Tayu*, in cujus pulcherrima sylva magnificum visitur idolorum fanum.

Prope *Xangcao* mons est, *Lingfung* vocant, in quo post diurnas pluvias noctu semper ingens flamma apparet, sicco tempore non item. superstitioni gens illic admodum dedita spiritum montis illam esse credit, ac proinde splendidum ibi ignis fanum est versus civitatem *Sinchang*.

Flumina. *Cho* lacus, aqua constat maxime limpida, & fere nunquam turbida, prope *Sinchang*.

Xo flumen ad *Xangcao*, ejus scaturigo ebullit circa civitatem *Vançai* urbi sequenti subditam; epotam hujus fluminis aquam multis mederi morbis, constans fama est. intra ipsa mœnia fons est aquæ optimæ, *Puensiue* dictus.

Undecima Urbs
I V E N C H E V.

NEc feracitate nec amœnitate hujus urbis regio à superiori discrepat; *Huquang* Provinciæ, cui admodum vicina est, persimilis; quatuor regit civitates: 1 *Juencheu*, 2 *Fueny*, 3 *Pinghiang*, 4 *Vançai*. Regum tempore modo ad *U*, modo ad *Çu* regnum pertinuit, *Hana* familia *Ychúen* dixit, *Tanga* hodierno insignivit nomine. effoditur hic vitriolum & alumen, heroibus dicata quatuor numerat nobiliora fana.

Montes. Mons *Niang*, sive spectabilis, ad australem urbis partem est, spectabilis tantum sive visibilis dicitur, eo quod undique præruptis saxis horridus ob præcipitia & voragines, videri quidem, at non adiri possit; trecenta stadia in ambitu obtinet, ex eo fons emanat, cujus aqua toto anno ita frigida est, ut nemo illam bibere possit, nisi prius aliquanto tempore soli fuerit exposita.

Flumina. *Xo* flumen etiam *Kin* dicitur, de eo fusius egi supra

Tung lacus ad ortum urbis situs, urbis vocatur deliciæ, eum enim Sinæ convivia celebraturi frequentant, qua de caussa ad ripam palatia variasque aulas habet ad animi relaxationem illis exstructa.

Mingyo lacus veluti pro fossa urbi est, & intra ipsam urbem per plateas ubique navium patiens est, ortum versus cum superiori conjungitur.

Duodecima Urbs
C A N C H E V.

Nobilitas ac situs. JAcet *Cancheu* ad duorum fluminum *Chang* & *Can* confluentes: qui ad partem mœniorum Boream diffusi lacum quodammodo efformant. vix cedit ipsi metropoli: telonii emporiique nobilitate ac frequen-

frequentia etiam superat, in ea prorex aliquis sedem obtinet ipso prorege Provinciæ nihilo inferior, quatuor enim Provinciarum curam gerit, atque inde denominationem, *Kiangsi* nimirum, *Huquang*, *Fokien*, & *Quantung*, non quod illæ ipsi omnino pareant, sed quod ex singulis binas urbes finitimas gubernet. Ratio autem hujus proregis extra ordinem constituendi fuit, crebra latronum per hanc regionem infestatio: olim enim hic locus latronibus scatebat, & quum facilis in diversas Provincias pateret fuga, (hic enim quatuor Provinciarum montes fere in unum conveniunt,) haud ita facile erat eos deprehendere; eam ob rem constitutus est prorex singularis, (eo quod plurium capitum plerumque variæ sint sententiæ, nullaque consensio,) ablatis ab unoquoque prorege Provinciali binis urbibus, is militaribus instructus copiis, exactisque statutis excubiis, salubri consilio consilia ac vires latronum reprimit; pro stipendio militum alendorum illic publicum telonium institutum est, mercatoribus lubenti animo persolventibus quidquid id est oneris, ut à latronibus tuti, sine metu sua peragant mercimonia.

Pons natans. Pontem longissimum navibus, quas ad centum & triginta, nisi fallor, numeravi, incumbentem habet, qua ad urbis mœnia utriusque fluminis sunt confluentes; naves omnes ferreis catenis sibi mutuo adnexæ sunt, super impositæ trabes, crassique asseres pontem sternunt; in ipso ponte telonium est: una enim ex navibus ita est constituta, ut facile aperiatur, claudaturque pro navium transitu, ubi portorium solverint. Pulcherrima etiam, ac præ reliquis magnifica turris visitur ad ripam fluminis prope *Sinfung* civitatem, (quam ad imitationem septizonii Severi octogonum novizonium soleo appellare) ex sectis lapidibus ad ingentem altitudinem erecta est; verum quia huic similes alias alibi descripsi, nihil hic de ea amplius addam.

Antiqua nomina. Olim hæc regio U regum fuit, paulo post *Jue*, inde sub *Cina* familia *Kieukiang* dicta, sub *Hana Changcan*, hodiernum nomen impositum à *Sunga* familia hactenus retinuit. Urbs intus ac foris complura præclara ædificia continet, quæ hic sigillatim referre nimis longum foret; inter ea duo magnifica Heroum fana sunt. Duodecim in montanis plerisque locis regit civitates: 1 *Cancheu*, 2 *Utu*, 3 *Sinfung*, 4 *Hingque*, 5 *Hoeichang*, 6 *Ganyuen*, 7 *Ningtu*, 1 *Xuikin*, 9 *Lungnan*, 10 *Xeching*, 11 *Changning*, 12 *Tingnan*.

Sunt in flumine, per quod hic descenditur, egregia molendina, ex quibus facile Sinarum ingenium ac industriam colligas, ad eum fere modum, quo in Italia ac Germania, constructa sunt; iisque etiam ad aquas ex fluminibus ad oryzæ campos deducendas utuntur, ingentibus nimirum atque altissimis rotis, una cum vasculis adnexis, aquarum vi atque impetu elevatis & circum axem agitatis, quæ molæ ut plurimum hic non uni alicui affixæ loco sunt, sed mobiles, unà cum navibus circumferuntur, ac quo volueris pergunt, moluntque.

Montes. *Tiencho* mons ad urbis Orientalem partem est, in quo noctu lux veluti accensorum carbonum apparet: quidam serpentes esse putant, aut araneos; quos fabulantur pretiosos quosdam, quos capite gestent, evomere lapillos, eosque denuo sorbere.

Prope *Sinfung* ingens ac densissimus est mons *Hiang*, rarioribus medicamentis ibidem repertis nobilis; in eo numerati nonaginta altissimi vertices. Prope *Ningtu* est *Kincing* mons, ex laudatis in *Tausu* libris ordine quintus supra tricesimum. in his ac vicinis montibus numquam alias visas belluas, hominesque omnino sylvestres, ac ferino ritu ibi vitam degere, ajunt Sinæ Geographi.

Flumina. *Can* flumen originem habet ad ortum *Xuikin* civitatis, inde fluens versus Septentrionem haud procul ab urbe, cui nomen dat, *Chang* fluvium excipit; hic *Chang* fluvius oritur ad occasum *Nangan*, in confiniis *Huquang* provinciæ: qui duo fluvii in unum coalescentes, totam fere Provinciam mediam secant, superataque metropoli *Poyang* lacum augent.

Prope *Lungnan* tria concurrunt flumina, nimirum *Tao*, *Lien* & *Vo*.

Decima tertia Urbs
NANGAN.

Maxime Australis ultimaque hujus Provinciæ est *Nangan* urbs, cujus mœnia *Chang* fluvius radit, unde emporium est frequentissimum; quidquid enim mercium vel *Quantung* ex tota Sina, vel ex *Quantung* in reliquam Sinam devehitur, ad hanc urbem appellere & exponi debet: quippe superato isthic monte, collocantur merces in navibus, ut secundo flu- *Emporium frequens.*

mine

mine *Chang* ulterius deferantur: aliæ è navibus ad terram transportantur, ut per montes *Muilin* à bajulis ad ulteriora loca transmittantur, maximeque in *Nanhiung* urbem. quare urbs hæc magna ac dives est, suburbiaque habet ipsa prope urbe majora. numerat sub se civitates quatuor, 1 *Nangan*, 2 *Nankang*, 3 *Xangyeu*, 4 *Çungy*. tria etiam habet nobiliora fana.

Olim regni *U* fuit. sub *Cina* & *Hana* familia, eodem quo superior, loco; hodiernum nomen habet à *Sunga* familia.

Mons *Sihoa*, hoc est flos occidentalis, ad occasum enim urbis est, totus amœnus cultusque est, unde floris nomine haud videtur indignus; ex cæteris nihil admodum memorabile occurrit.



NONA PROVINCIA, KIANGNAN, vulgo dicta NANKING.

Vrbis nobilitas.



Uamvis ingens hæc Provincia *Kiangnan*, ſecundum in hac extrema Aſia teneat locum nobilitatis atque ordinis, poſt primam ſcilicet *Peking*, in qua Regia eſt, & ipſa Imperatorum ſedes; una tamen Imperatoris excepta præſentia, nullo modo *Peking* cum nobiliſſima iſthac Provincia comparari poteſt, quæ ſola deeſt, ut totius hujus extremæ Aſiæ palmam ac locum digniſſimum obtineat: fuit quidem, priuſquam *Pekinum* regia ſedes eſſet tranſlata, antiquorum Imperatorum priſca aula, hic enim *U, Cyn, Sung, Ci, Leang*, *Chin* & Auſtralis *Tanga* familia ſedem ſtabilem, regiamque fixêre, atque illic *Taiminga* quoque regnavit familia aliquanto tempore, donec *Pekinum* migravit, ut ſic facilius è vicinia Imperator obviam iret Tartarorum conatibus, ſi quid forte molirentur: hæc inquam licet ita ſe habeant, ad noſtra tamen uſque tempora in hujus Provinciæ metropoli, *Kiangning* modo dicta, palatium Imperatoris, omneſque magiſtratus uti in *Pekini* Regia, obſervabantur, conſervabanturque; tametſi paulo ante hæc Tartari regia ac revera magnifica Regum palatia, ſuperbiſſimaque monumenta omnia funditus everterint, ac deſtruxerint, ut diu conceptum in *Taimingam* familiam odium, ac vindictæ cupiditatem in eam ejuſque res omnes evomerent tandem, ac exſaturarent, quod olim ab ea è Sinis turpiſſime fuerint ejecti. Opera ſane quædam adeo illuſtria, adeoque ſplendida ut inter orbis miracula haud immerito cenſeri poſſent: Imperatorum præcipue ſepulchra ſumptuoſiſſima, quæ mihi non ſemel movere admirationem, barbarum in morem demoliti ſunt; nec his contenti nomen etiam urbis ac Provinciæ immutarunt *Kiangnan* eam loco *Nanking*, & urbem ipſam *Kiangning*, quæ antea *Ingtien* dicebatur, vocitantes, quin & Regio eam titulo, omnibuſque magiſtratibus aulæ Regiæ debitis privantes.

Tartari urbis ornamenta deſtruunt.

Accedit ad ejus nobilitatem amplitudo, ac egregia fertilitas, commerciorumque frequentia: quippe quæ totius Sinæ nobiliſſimas complectatur urbes, quotque fere numero urbes aut civitates ſunt, totidem numeret ampliſſima emporia; tanta hic ubique mercatorum eſt multitudo, tantus mercium concurſus, ut omnem fere ſuperet hominum opinionem, vererique jure merito poſſim, qui hæc oculis non ſubjecerint, difficulter inducendos eſſe, ut fidem adhibeant: laboraſſem ego ſane, ut crederem alteri narranti, niſi ipſemet coram oculis ſæpe uſurpaſſem, ubi enim ipſe vidi, obſtupui, ſæpeque dicere ſum ſolitus: videri mihi omnes totius orbis naves ad hanc unam conveniſſe Provinciam, ſi earum numerum ac copiam ſpectes: cum enim regio tota fluminibus lacubuſque irrigua ſit, ac in omnes totius extremæ hujus Aſiæ partes inde pateat iter, atque omnes fere huc, quocumque demum ulterius tendant, convenire debeant, haud ſane mirum videri cuipiam debet, tantam hic adeſſe navium multitudinem. Etenim ex *Kiang* fluvio vel per naturales alveos, vel per canales arte factos omnia huc tendunt, atque hic ille fluvius eſt, quem *M. Paulus Venetus Quiang* vocat: hanc Provinciam mediam interſecat, & ex eadem progreſſus in mare ſe exonerat per ingens oſtium, quod ad plures etiam leucas patet, quodque ingentes quoque myoparones, naveſque maximæ, facile ſubire poſſint.

Emporium nobiliſſimum.

Navium incredibilis vis.


M. Pauli Veneti. *Quiam fluvius.*

Raros hæc Provincia habet montes, ſi partes Auſtrales excipias; magna ubique ſerici copia eſt, tantundemque goſſipii, adeo ut vel unica civitas *Xanghai* cum ſubditis pagis continere dicatur ad ducenta textorum millia: ex iis pars maxima, imo turba tota goſſipio texendo dat operam, quodque magis mirum, maxime eo in opere excellunt

Textores goſſipini.


NANKING, SIVE KIANGNAN, IMPERII SINARVM PROVINCIA NONA.
Stadia Sinensia, quorum 250 uni gradui respondent
50 100 150 200 250 300
Milliaria Germanica quorum 15 unum Constituunt gradum
5 10 15 20
Cum privilegio S. Cæs. Maj. & Ordinum Belg. Fœderatæ.
Notarum Explicatio
METROPOLIS. M. mons.
Vrbs. fl. F. fluvius.
Civitas major. A. Amnis.
Civitas minor. L. Lacus.
Fortalitia.
Septentrio
Meridies
Occidens.
Oriens.
HONAN
XANTVNG PARS.
CONFINIA.
HVQVANG PARS.
KIANGSI PROVINCIÆ PARS.
CONFINIA CHEKIANG.
KIANGNING
Yangcheu
Chinkiang
Changcheu
Sucheu
Sungkiang
Hangcheu
Hucheu
Kiahing
Fungyang
Lucheu
Ganking
Chicheu
Hoeicheu
Nienchen
Kinhoa
Taiping
Hoaigan
Siucheu
J. Blaeu Excud.

16



cellunt mulieres, viri potissimum agris colendis, reliquisque obeundis negotiis occupantur; sunt & ex iis, qui, impeditis gossipina textura matribus, infantes suos veluti nutrices ipsimet curant, educantque. unde minus mirum solam hanc civitatem solvere Imperatori vectigal, idque ex solo gossipio, quod summam faciat ducentorum & quinquaginta millium ducatorum. Quidquid autem in *Nanking* conficitur Provincia, ita aliis alibi factis rebus præstare censetur, ut quasi per antonomasiam res omnes meliores ex *Nanking* esse dicantur, adeo ut vel hoc ipsum solum additum nomen pretium augeat, ac valorem. Lusitani vulgo *Lankin* dicunt, hausto errore à *Fokiensibus*, quibuscum maxime mercaturam exercent, ii cum rudiores in loquendo sint, communissimo gentis illius vitio omnia *N* in *L* mutare solent.

Termini.

Hujus Provinciæ termini sunt ab ortu & Notapeliote mare, ab Austro *Chekiang* Provincia, Notolybicum versus à *Kiangsi* Provincia clauditur, ad occidentem *Huquang*, ad Barrolybicum vero *Honan* contermina est, reliqua *Xantung* claudit.

Tota in urbes decem & quatuor, quasi in totidem minores Provincias divisa est, quibus subsunt civitates decem supra centum, minoraque loca pœne innumera: familias in ea numerarunt 196,9816, hoc est duos fere milliones; viros vero 996,7429, seu milliones fere decem. oryzæ tributum excedit saccos 599,5034; serici non laborati sive fili tantum libras solvit 6863; pannos sericos confectos omnis generis 28, 452; ex cannabi telæ textæ volumina 2077; pro tributo gossipino argentum statutum, straminis autem seu fœni fasces ad equos regios alendos 580,4217; salis pondera 70, 5100. quæ simul omnia subducta incredibilem pecuniæ summam conficiunt, addo, quod à maximo tributorum præfecto mihi amico in paucis, non ita pridem inaudii; ajebat is, hanc unam Provinciam conferre quotannis in ærarium Imperatoris, omnibus supputatis, ad triginta duos milliones ducatorum; neque id adeo mirum, cum præter vectigalia supra recensita quinque portoriorum telonia numeret, omniaque, quæ ex *Nanking* urbe exeunt, aut in eam invehuntur, certum vectigal solvere debeant.

Virorum ac tributi numerus.

Gentis indoles.

Sunt hujus Provinciæ inquilini maxime culti, officiosi & perurbani, præclari & ad studia aptissimi ingenii, litteratos multos imo & Doctores fere singulis assequitur hæc Provincia examinibus, industrii etiam sunt & sollertes pro manuariis artibus, atque in iis opifices accurati.

Christiana lex floret.

In hac quoque Provincia Societas Jesu majorem fere quam alibi semper habet Christum colentium numerum, qui facile triginta requirat sacerdotes, cum non nisi tres ibi adsint è Societate nostra: templa hic vero Deo sacrata ubique plurima & passim obvia, duo sunt in ipsa metropoli, cætera per Provinciam sparsa nil nisi pastorem petunt. At quandoquidem hæc Provincia ex Australioribus nobilitate prima est, visum hic rem addere ad *M. P. Veneti* intellectionem palmariam. Sciendum imprimis, quod alias insinuavi, hasce novem Provincias à Tartaris communi nomine *Mangin* dici, ac *Venetum* quidem Sinas ingressum, quo tempore contra *Mangin* bella movebant Tartari, cum non ita multo ante *Catayum* sive Borealiores Sinarum Provincias occupassent, quas non à Sinis, sed à Tartaris orientalibus vi extorserunt Tartari occidentales. *Kin* enim Tartari orientales Sinam ingressi ipsum Imperatorem devicerant, eumque ad Australiores partes petendas fuga compulerant. Ex Sinicis autem historiis patet, *Kin* Tartaros Sinam ingressos multo ante annum Domini millesimum ducentesimum sextum, per Boreales partes aditu sibi armis patefacto, eo autem demum anno Tartari occidentales *Samahaniæ*, occupatâ magna Asiæ parte, post confectum *Mienicum* bellum etiam contra Sinas arma moverunt, per Australes subeuntes Provincias, nam per *Junnam* & *Queicheu* in *Suchuen* Provinciam pervenerunt, & inde per *Sifan* terras, sive *Prete Joan* Regionem transgressi, Boreales Provincias invaserunt, ubi antequam Imperatori Sinico bellum inferrent, prius *Kin* Tartaros è Sina omnino expulerunt: dein varios Imperatores continuata successione à subditis suis electos, per varias Provincias arma circumferentes, sunt persecuti, donec tandem anno millesimo ducentesimo septuagesimo nono totum Sinicum imperium præmium habuere victoriæ. *Venetus* autem ingressus est primum Sinas anno MCCLXXV, ut satis patet ex illius scriptis, & vel Boreales Provincias olim Sinarum fuisse ignoravit, illas enim Tartari, qui tempore *M. Pauli Veneti* rerum potiebantur, ab aliis Tartaris accepere & non à Sinis, vel Tartarorum more *Catayum* dixit, imo non temere ausim asserere *M. Paulum Venetum* etiam per Australes Provincias

Mangin quid?

Veneti ingressus ad Sinas quo & quando?

cias Sinam primum penetrasse, non per Boreales, quod tum ex scriptis illius demonstro, tum quod nullam magni illius muri faciat mentionem, non ex eo, ut quidam rentur, quod tum murus ille à Tartaris esset dejectus, quod falsum esse & ipsa experientia oculis testatissima, & omnes Sinarum convincunt historiæ, sed quod eo usque M. Paulus non pertigerit; quamvis autem dicat Venetus, quod & ista confirmat, se ex *Mangin* regno duas solummodo vidisse Provincias, fallitur meo quidem judicio, cum ut minimum quatuor attigerit, uti alibi demonstro, ubi amplior dabitur de his agendi locus; ac quænam fuerit illius *Quinsai* civitas, *Singui*, *Cingiansu*, multaque alia clarissime vel ex ipsa ipsiusmet M. Pauli descriptione, vel ex locorum situ ac nomine ostendam.

Error de muro magno.

Prima Urbs seu Metropolis
KIANGNING,
olim *Ingtien* & *Nanking* dicta.

Antiqua urbis nomina.

Qui primus hujus urbis fundamenta jecit, fuit Regni *Çu* Rex *Guejus*, eamque vocavit *Kinling*, quod auream regionem sonat; *Cinæ* familiæ auctor mutato nomine *Moling* dixit; *U* Reges, qui in hac urbe Regiam habuere sedem nominarunt *Kienye*; *Tanga* familia *Kiangning* nomen indidit, quod rursus à *Taiminga* mutatum in *Ingtien*: at Tartari, qui modo Sinam occuparunt, nomen repetivere *Kiangning*. Sita est hæc urbs, si quæ alia totius hujus extremæ Asiæ, loco soloque amœnissimo, magno *Kiang* fluvio vicina ad orientalem ripam, cujus jure merito dubites an amœnitas an commoditas major sit; neque enim solum præterlabitur urbem fluvius, sed arte deductis pluribus in locis urbis canalibus, navigiis etiam majoribus ubiq; fere ingressum præbet. Urbs hæc ex Sinarum Geographorum sententia totius orbis urbes non magnitudine tantum, sed & pulchritudine superat, & revera, si æqui rerum æstimatores esse velimus, paucis omnino judicanda videtur inferior; si quidem, quod ad interiora spectat, ut plurimum plana est, nisi quod amœniores hinc inde aliquot colliculos includat, plena ubique est palatiis, fanis, turribusque altissimis, è quibus inter cæteras una est, quæ sua magnificentia longe illam superat, quam in *Xantung* Provinciæ civitate *Lincing* utcumque descripsi: plurimos habet hæc urbs pontes lapideos, pluribus arcubus fornicibusque suffultos; publicis privatisque ædificiis, cœli salubritate ac clementia, soli feracitate, ingeniorum præstantia, morum cultu ac suavitate, sermonis elegantia nulli alteri secunda. Palatium hic fuit amplissimum quadrati figura, cujus unum latus supra milliare Italicum ducentos fere passus continebat, quod totum murus, qui maximam ac præcipuam partem urbis complectitur, includebat: murus hic duodecim portis interrumpitur, quas laminæ armant ferreæ, & hinc inde bellica tormenta; viginti Italica milliaria ambitu suo continet: accedit huic & tertius urbis murus, non quidem continuata ubique serie exstructus, sed in iis tantum locis, ubi majus aliquod imminere videtur periculum, arsque naturam juvare potest: ejus magnitudinem describunt Sinæ, cum dicunt per eandem portam duos manee missos equites, in contrariam partem procurrere jussos, vesperi primum sibi mutuo occurrisse, unde facile urbis vastitas ac magnitudo colligi potest: præsidium militare quadraginta militum millibus constabat. Lubens hic tacitus prætereo hortos, nemora, lacus aliaque intra urbem memoratu digna: non tamen silentio involvenda turris illa in edito quodam colle sita, quam recte Mathematicam voces, si quidem in ea tria adservantur illius artis seu scientiæ instrumenta, quibus paria aut superiora vix vidit orbis totus: Primum est globus seu sphæra cœlestis suis meridianis, parallelisque distincta; Secundum est armilla æquatoria triplici constans circulo, horizonte, meridiano, & verticali circulo mobili cum suis pinnacidiis: Tertium instrumentum est sphæra armillaris nostratibus omnino simillima; quodlibet instrumentum duodecim pedum habet diametrum, omnia ex cupro sunt inaurato, miro artificio elaborata: fulcra quibus sustentantur, ære fusili effícti Dracones sunt, adeo ad amussim ac affabrè facta omnia, ut nihil in eo magnopere sit, quod etiam *Tycho* aliquis possit desiderare. Trecenti modo & quinquaginta effluxere anni, ex quo à Tartaris *Juenæ* familiæ isthic sunt collocata; sed pristinum etiamnum, ac si primum nunc fabrefacta essent, retinent splendorem.

Vrbis pulchritudo. *Palatium.* *Murus.* *Præsidium.* *Instrumenta Mathematica.*

De his machinis ita *Trigautius*: non Pechini solum, sed & in hac Regia Collegium est Mathematicorum Sinensium, nobilius illud ædificiorum mole, quam Astrologorum

Trig. lib. 4. cap. 5. fol. 360.

logorum peritia, nam fere ingenium tenue, ſcientia tenuiore, nihil enim aliud faciunt, niſi quod faſtos, & ephemerides ſuas ad antiquorum calculos revocant, ac, ſi forte eventus calculos fallunt, dicunt ita quidem ut ipſi ſupputarunt rem regulariter eventuram prout ipſi prædixerant, ſed hunc aberrantium ſyderum caſum aliquam è cœlo in terras ſignificationem præmonſtrare, quam ipſi deinde pro arbitratu fingunt, errori fucum obtegentes: hi autem non nimium *P. Matthæo* credebant, veriti nimirum ne dignitatem illis eripere conaretur. hoc tandem metu liberati amice Patrem, à quo aliquid diſcerent, viſitarunt; cum ad eos reviſendos acceſſiſſet, rem ſane novam, & opinione ſua ſuperiorem ſpectavit.

Mons eſt ad unum Civitatis latus intra muros ſublimis, in ſummo monte Area in latum patet contemplandis ſyderibus aptiſſima, in Areæ ambitu Ædes ſane magnificæ à Collegis habitantur; ea in Area qualibet nocte oportet ex iis unum excubare, & cœleſtia omnia Phænomena vel Cometas, aut incenſos in ſuprema aëris regione ignes obſervare, de quibus deinde Regem exactiſſime moneant, & quid unaquæque res portendat exponant: in Area viſuntur opere fuſili machinæ mathematicæ ſua vel magnitudine vel elegantia viſendæ, quibus ſane ſimile quippiam Europa tota nec vidimus, nec legimus. ea jam annos prope ducentos & quadraginta imbres, nives, ac reliquam aëris inclementiam ita patiuntur, ut nihil omnino de priſtino ſplendore amiſerint. ea non ingrata digreſſione oculis ut potero narrando ſubjiciam, ne deſiderium Lectoribus injeciſſe, nec videar ſuſtuliſſe.

Mathematicæ igitur hæ machinæ majores erant quatuor. Prima viſebatur ingens globus ſuis Meridianis gradatim, paralleliſque diſtinctus. hujus globi ambitum tres viros amplecti minime potuiſſe judicatum eſt, in immani cubo item ex ære ſuper axem ſuum inſiſtebat: in cubo porta erat exigua, ſed quæ intrando ſufficeret ad ipſum globum cum opus eſſet rotundum: in ejus externa ſuperficie ſculptum omnino nihil, non ſtellæ, non regiones; unde apparet aut nondum fuiſſe finitum, aut ſtudio ita relictum, ut globi cæleſtis ac terreni vicem obtineret. Altera machina erat ingens Sphæra non anguſtior diametro, quam quantum ſpatii utriuſque manus extenſione complectur, paſſum geometræ vocant. horizontem habebat, & polos: circulorum porro vicem ſubibant armillæ quædam duplices, inter quas, quod vacuum erat ſpatium Sphæræ noſtræ circulos repræſentabat; hæ omnes in trecentos ſexaginta quinque gradus, & minuta pauca dividebantur, in ejus medio terræ globulus nullus videbatur, ſed tubus quidam ad inſtar ſclopeti perforatus, quem quaquaverſum volvere, & quolibet in gradu, ac elevatione ſtatuere facile erat, ad explorandas eo tubo, velut pinnulis ſolemus, ſtellas quaslibet, artificio ſane non inepto. Tertia machina erat gnomon altior duplo ſuperioris machinæ diametro, ſtatuta in ingenti marmore, ac prælongo ad borealem plagam, tabula autem lapidea canalem habebat in ambitu, ut, aqua in eum canalem impoſita, exploraretur eſſet ſaxum in plano nec ne, & ſtilus eo modo, quo in horologiis ad perpendiculum collocatus. credibile eſt Gnomonem hunc ideo extructum fuiſſe, ut ejus ope ſolſtitiorum, & æquinoctiorum umbra ad amuſſim notaretur, nam ideo ſaxum ipſum, ac ſtilus in ſuos gradus diſtribuebatur. Quarta denique, & omnium maxima ſtabat machina quædam è tribus quatuorve Aſtrolabiis ingentibus juxta ſepoſitis, & ſingula Geometricum paſſum, qualem deſcripſi, in diametrum ferebantur; nec illis deerat linea fiduciæ, vel alio nomine halhilada, ſed neque dioptra; ex iis unum æquatorem in Meridiem inclinatum referebat; alterum, quod cum ſuperiore crucem referebat, in Septentrionem & Auſtrum, Patri viſus eſt eſſe meridianus, tametſi in gyrum volvebatur; alterum erectum ſtabat ad meridiem, quo circulus verticalis forte intelligebatur, ſed hic quoque ut quemlibet verticalem demonſtraret rotabatur: & hæc omnia gradus ita diſtributos habebant, ut in ſingulis ferreos nodulos prominentes haberent, ut etiam noctu manuum fide gradus ipſi ſine luce palparentur. Tota hæc Aſtrolabiorum machina in area quoque plana è marmore cum ſuis in gyrum Canalibus ſtatuebatur; in ſingulis autem his inſtrumentis Sinicis characteribus exponebatur quid unaquæque res denotaret; adſcriptæ quoque erant quatuor ac viginti Zodiaci conſtellationes, quæ ſignis noſtris duodecim duplicato numero reſpondent. Verum in his error erat unus, quod omnia in ſexto gradu ſupra trigeſimum poli elevati ſtatuerentur. Vrbs quippe *Nankinenſis* in gradu jacere trigeſimo ſecundo, & quarta gradus portione, certius eſt, quam ut in dubium revocari poſſit. ac videntur fortaſſe

hæ machinæ ideo factæ ut alibi collocarentur, sed ab aliquo deinde rerum Mathematicarum minus perito, nulla habita ratione loci, inibi collocatas. Spectavit etiam *P. Matthæus* post annos aliquot similes *Pekini* machinas, aut easdem potius, ita nihil aliæ ab aliis discrepabant, nihil ut dubium videatur ab eodem fusas artifice; & quidem eo tempore fusas constat, quo Tartari Sinis imperitabant, unde non temere conjectare possumus eas ab aliquo externo perito disciplinarum nostrarum fuisse conflatas.

Imperatorum sepulchra magnifica.

Sed & extra ipsam urbem paulisper nobis procedendum est, siquidem antiquorum regum sepulchra paulo accuratius velimus inspicere: amplum ibi pinetum est ad Barrapeliotem, urbis mœnibus vicinum, undique muris cinctum, cujus ambitus ad duodecim patet milliaria Italica, montemque, in quo sepulchra sunt, includit, quæ hic minutatim describere longæ esset operæ, nec proprie hujus loci est: regium tamen in hoc nemore templum juvat utcumque hic verbis adumbrare. Opus vere regium est, sive molem spectes, sive operis majestatem: totum fere, si muros exceperis lateritio opere structos, ex ligno est, in altiori suggestu seu aggere quadratis undique præstructo lapidibus conditum est, scalæ quatuor plurimorum graduum ex solido marmore quatuor mundi plagas respiciunt, per quos ascensus patet; quinque in eo naves sunt, quælibet utrimque duos ordines columnarum numerat, ligneæ quidem illæ, sed teretes omnino sunt, rotundæ ac miro modo lævigatæ, vix unam duorum hominum brachiis ac digitis se contingere nitentium amplexus capit; nec altitudo crassitiei aut scapi proportioni deest, quatuor supra viginti cubitorum sunt; his incumbunt transversæ trabes ingentes, supraque has fixæ sunt columnæ minores; tholum denique ac tectum faciunt asseres egregia celatura ornati, auroque decorati. templi portæ sculptis in iis lauris laminisque deauratis obductæ. peristylia exteriora, fenestras, elegantibusque mæandris ac spiris intertextas sculpturas retia è filo ferreo armant, ne insidentes uspiam quidquam fœdare possint aviculæ, ita tamen subtilia hæc fila ac retia sunt, ut lucis ingressui nihil officiant; quod in majoribus ædificiis ac regiis præsertim palatiis hic ubique in usu est. in templi meditullio throni duo sunt, affabre omnino constructi pretiosisque adornati lapidibus ac gemmis, in superiori illorum parte duæ visuntur sedes, earum alteri insidet rex, dum sacra facturus, quod uni regi in hoc templo licet, alia ipsi numini vacua relinquitur, (nulla tamen in ea imago est aut statua) quasi ad sacrificium excipiendum adesset. Extra templum in ipsis areis multæ aræ erectæ visuntur è rubicante marmore, quæ Solem, Lunam, Sinicos montes ac flumina repræsentant; dicunt Sinæ hæc omnia collocata extra ipsum templum, ut non adorentur ab aliquo, scianturque ab eo condita, quem Imperator in ipso templo veneratur: ad ipsum templi ambitum varia cubicula sunt aut cellæ potius, quas olim balnea fuisse volunt, quibus Imperator sacrificium oblaturus, reliquique adjutores lavabantur; ad hoc templum, & ipsa regia sepulchra, latissimæ patent viæ, utrimque annosæ pinus in quincuncem consitæ, debitoque ac æquali spatio à se invicem distant, harum vel ramum lædere, nedum abscindere olim capitale fuit, in monte vero vix ullum arboris genus est, quod ibi manu consitum non videatur. brevibus hic descriptum habes nemus cum templo, quod ipsemet lustravi, cum enim *Nankini* versarer, curam illius gerebat magnus Eunuchus jam tum Christianis sacris initiatus. De nemore ac sepulchris regiæ *Pekinensis* majora utique dicenda, jamque animo concipienda sunt, propter ipsorum Imperatorum inibi præsentiam. at modo tum hæc, tum illa à Tartaris plane vastata ac destructa sunt, arbores omnes excisæ, sepulchra effossa, templa ac palatia diruta, urbs vero ipsa parum aut nihil de prisco illo splendore amisit, præter ipsum palatium regium; adhuc in eo numerantur supra decies centena capitum millia, præter ingens Tartarorum præsidium: ea enim in urbe degit Australium Provinciarum pro Tartaro Imperatore Præfectus.

Piscatio copiosa.

Ex magno *Kiang* fluvio urbi vicino, ineunte Aprili ac Majo mense, pisces admodum copiosos atque optimos capiunt, quos Sinæ *Xiyú*, Lusitani *Sauel* vocant. quo tempore magnus quidam Eunuchus ab Imperatore constitutus est, qui captos pisces vivos, glacieque in navibus destinatis quodammodo sepultos, (quam glaciem per hyemem, uti apud quosdam Europæos mos est, collectam, tota ad id æstate servant) magna cura ad ipsum Imperatorem *Pekinum* usque mittit, & quamvis ultra ducenta milliaria Germanica superanda sint, brevissimo tamen octo, decemve dierum spatio conficiuntur: diu enim noctuque remulco trahuntur naves à destinatis ad id hominibus,

novisque

novisque semper defessis succedentibus, qui designatis ad id locis, ut veredi nostrates, ubique præsto sunt, tabella enim præmittitur, quæ horam diei, qua appulsura est navis, edocet, atque hac in re errorem committere, etiam ipsis præfectis crimen capitis periculo dignum censetur: duæ naves quot hebdomadibus hoc modo submittuntur, quamdiu piscatio tenet. nec sumptibus ullis parcitur, ut delicatissimis illis piscibus pasci possit Imperator, quorum etiam copiam aliquam cum ipsis regiis præfectis communicat. Eodem modo ex hac urbe singulis trimestribus naves quinque amandantur præclarissimis sericis voluminibus ac pannis omnis generis onustæ, quæ in regiam ad Imperatorem ipsum deducuntur, vocantur hæ naves *Lungychuen*, quasi dicas draconis vestium naves, eo quod ipsi Imperatori, cujus insigne dracones sunt, destinentur: his navibus nihil ego in hoc genere aut pulchrius vidi, aut facile reperiri posse existimo, omnes undequaque deauratæ, rubroque colore depictæ miram ostentant elegantiam, ornamentorum splendore locique dignitate his omnes præfectorum, quas supra enumeravi naves, si forte occurrerint, cedunt.

Serica munera.

Sed & aliquod huic urbi recentius ornamentum ab ipsa Societate nostra accessit, duo enim hic Deo dicata habet templa sacellumque in colle, cui à S. Michaële nomen est, ipsique Tutelari Archistratego sacrum sacellum: quam plurimi in hac urbe jam pridem verum fidei lumen, Deumque agnovere. Septem regit civitates, 1 *Kiangning*, 2 *Kiuyung*, 3 *Lieyang*, 4 *Liexui*, 5 *Caoxun*, 6 *Kiangpu*, 7 *Loho*.

Templa Societatis.

Prope *Kiuyung* mons est *Mao*, qui primum felicitatis ac amœnitatis, in *Tausu* libris, obtinet locum.

Montes.

Ni mons ad Barrapeliotem est urbis, in eo idolorum fanum est, in quo mille eoque amplius, idolorum statuæ sunt.

Fang mons versus Notapeliotem urbis, vel hoc solo maxime memoratu dignus, quod à *Xio* Imperatore fuerit perforatus, quo in opere quinque hominum millia desudasse ajunt: audierat enim à montilogis illis impostoribus, quos prosperam adversamve sortem ex montium figuris conjectare alibi diximus, montem hunc alteri futuro Imperatori regnum portendere, eaque de causa, ut fatalem hunc scilicet impediret influxum, montem hunc perforari jussit.

San mons ad Australem urbis partem est, cujus particula *Kiang* fluvium penetrans compluribus crassis ferreisque catenis circumdata est, ridicule dicunt Sinæ ne aufugiat, at revera, ut navigantes hamis facilius detineant naves, cum enim durissimus sit lapis, vix alio modo allisionem, collisionemque navium impedire possent.

Cienli lacus, sive mille stadiorum, prope *Lieyang*, continuus est cum lacu *Tai*.

Flumina.

Extra urbis portam quam *Taiping* vocant, ad Notolybicum est lacus *Hiuenúú*, sed parvus.

Tanyang lacus prope *Liexui*, inde usque ad terminos *Taiping* civitatis pertingit.

Pelu Insula ad Australem urbis partem in fluvio *Kiang*, ex eo celebris, quod non ita procul ab hac Insula sub *Sunga* familia cæsi fugatique fuerint Australium Provinciarum exercitus.

Changcung Insula prope ipsam urbem.

Teuxu Insula parva ad Notolybicum.

Secunda Urbs
F V N G Y A N G.

Yvúús Imperator hanc regionem, in qua modo *Fungyang* urbs est, Provinciæ *Yang* adscripsit, illoque Dominium constellationis *Teu* attribuit: priscis regum temporibus regnum *Tuxan* dictum, hoc loco fuit, dein reges *Ju* occuparunt: *Hana* familia ibidem tributarium iterum regnum condidit *Chungli* vocatum, non tamen urbis titulo donatus est locus, civitas tantum erat *Haocheu* dicta. Verum quia sacrificulus ille *Taiminga* familiæ auctor, hujus urbis erat civis, patriam suam maxime nobilitavit, extenso enim longe lateque pomœrio, nova ac fortissima condidit mœnia, quæ quinquaginta stadia suo ambitu complent, obscura hactenus ignobiliaque avorum suorum sepulchra mire illustravit, apparatuque regio exornavit, magnis superbisque ædificiis civitatem auxit, auctam urbis titulo donavit, proregem illi suum dedit, duodeviginti civitatibus ut jura daret, voluit, primusque eam *Fungyang*, quod phœnicis nobilitatem sonat, appellavit, demum post regiam nobilissimam instituit: civitates, quibus præest, sunt 1 *Fungyang*, 2 *Linhoai*, 3 *Hoaiyuen*, 4 *Tingyuen*, 5 *Vho*, 6 *Hung*, 7 *Xeu*, 8 *Hokieu*, 9 *Mungching*, 10 *Su* ⊙, 11 *Hiutai*, 12 *Tienchang*, 13 *So* ⊙, 14 *Lingpi*, 15 *Ing* ⊙, 16 *Tacho*, 17 *Hao* ⊙, 18 *Ingxan*.

Antiqua nomina.

Vrbs ampliata.

Vrbis hujus territorium montibus haud caret,

Soli ratio.

caret, sed & magna flumina illud rigant ac fœcundant, unde ferax amœnumque habet solum, eo maxime celebre, quod duos ex inquilinis suis, vilissimo loco ac sorte natos, ad summam extulerit dignitatem imperii; primus eorum *Lieupangus* fuit nomine, qui è latronum cœtu ac sorte emergens *Cinam* extinxit familiam, atque *Hanam* condidit. Hic in Boreali hujus territorii parte natus est, haud ita procul à civitate *Poi*. Alter fuit *Chu* vilissimus sacrificulus, atque exinde latro, qui mox ejectis Tartaris Sinarum audiit Imperator, ac *Taimingam* instituit familiam. *Ivus* quoque Imperator non parum hasce terras nobilitavit, quippe qui in civitate *Mao* ab Imperatore *Yaüo* regulus fuerit constitutus: nec Imperatores solum, sed & Philosophorum auctorem Sinis protulit, *Laösúum* nimirum, qui ante ipsum *Cungfutium* vixit, & Epicuream sectam aut potius illi simillimam Sinas edocuit, natus dicitur in civitate *Mao*.

Viri celebres.

Laösuus philosophorum auctor.

Sita est amplissima hæc urbs in monte, atque intra ipsa mœnia colles plures includit, omnes publicis privatisque ædificiis conspicuos.

Situs ac res illi propriæ.

Fana habet rariora heroibus dicata sex. *Talcus* in his montibus nascitur, & absinthium, quod Sinæ rubrum vocant, expetuntque pro pharmacis conficiendis.

Júnmu mons prope *Linhoai* est, *Júnmu* autem *Talcum* significat: à cujus copia mons ipse dictus est.

Montes nobiliores.

Prope *Xeu* civitatem mons est *Çukin*, in quo ingens auri frustum repertum contra plures morbos fuit adhibitum, unde illud *Chemica* arte factum vulgo autumant.

Moyang mons prope *Hiutai* est, mons pastoris dicitur, quod ibi olim artem pastoritiam virginem pulcherrimam exercuisse tradant.

Hoai fluvius ingens totum territorium medium dividit, ejus origo est in Provincia *Honan* in montibus *Tungpe* civitatis: inde profluens hanc Provinciam, ad Boream civitatis *Hokieu* ingreditur, longissimoque tractu tota superata, prope *Hoaigan Crocei* aquas auget, simulque cum eo turbidus ac violentus in mare irrumpit.

Flumina.

Fi amnis originem habet prope *So* civitatem ad partem Orientalem lacus, qui sub colle *Lung* visitur.

Xinglung Insula in fluvio prope *Linhoai*.

Tertia Urbs
SVCHEV.

Primus, qui hasce terras ex Sinis inhabitavit, sub *Cheva* familia *Taipeus* fuit, ut fusius narro in mea historiarum epitome, ille enim deductis coloniis ex Borealioribus Provinciis, in his terris sedem fixit, & barbaros ibi ante, incultosque homines primus cœpit excolere. *Vui* dein Imperatoris tempore regiam dignitatem obtinuit regio, & *U* regnum vocata est; quo rege extincto, ab *Jue* regibus hic terrarum tractus fuit occupatus, idque armata vi, sed quæ humanarum rerum vicissitudo est, haud diu stetit: siquidem *Jue* quoque reges à *Çu* extincti sunt, ac rursum regio subacta, demum *Cinæ* familiæ auctor reges omnes debellavit, atque has terras *Hoeiki* Provinciæ adscripsit. Primus, qui hanc urbem *Súcheú* vocavit, fuit *Suius* rex: *Tanga* familia *Changcheu*, & *Sunga Pingkiang* dixere, *Taiminga* vero *Sucheu* nomen restituit.

Urbis origo, & nomina antiqua.

Hæc urbs, dum sacrificulus ille *Chu* contra Tartaros arma sumpsit, cum subditis sibi civitatibus, quæ omnes ipsi metropoli adhærebant, egregie multo tempore ac fortiter restitit: è principibus enim Tartaris quidam eam contra victricia *Húnguúi* arma aliquamdiu tuitus est, hinc ad hæc usque tempora, tamquam rebellis olim urbs, immane pendet tributum, quantum videlicet vix aliæ duæ integræ solvunt Provinciæ: sed tanta soli est fertilitas, tantaque illic mercium copia, ut onus hoc non magnopere sentiat, censeri enim potest inter emporia totius extremæ hujus Asiæ nobilissima, unaque ex iis urbibus, quas Sinæ ob divitias, amœnitatem, ac delicias, orbis paradisum vocant: illud enim vulgare Sinicum est proverbium: *Xang' yeù t'ien t'ang, hià yeù sû Hang*, hoc est, quod supra est cælum, hoc in terris est *Sucheu* & *Hangcheu*, de hac secunda urbe dabitur in sequentibus agendi locus, est enim alterius Provinciæ metropolis.

Paradisus Sinarum.

Tota hæc, quam ampla est urbs, in placido aquæ potabilis flumine constructa est, quod lacum potius quam flumen dixeris, perinde hic atque Venetiis ubique in plateis tum terra tum aqua patet ambulatio; in eo Venetias superat hæc urbs, quod aquam potui atque usibus humanis aptiorem obtineat: pontes intus ac foris habet innumeros, non tot tamen quot metropolis *Hangcheu*; inter-

Situs nobilissimæ Sucheu urbis.

ter eos multi magnifico opere ſtructi, ex ſolido lapide omnes, quorum quidam pluribus arcubus aſſurgunt, alii vero in rivis anguſtioribus intra ipſam urbem uno ſæpe fornice contenti: vici omnes atque ipſa ædificia pinis fiſtucatione, machiniſque alte in ipſum fundum adactis, uti apud nos in uliginoſo fundo fieri ſolet, inſiſtunt; ubique fere brachia fluminum canaleſve ſunt navium capaces, quibus ad mare ab ipſa urbe etiam majoribus navigiis exitus patet: ab eo trium dierum diſtat urbs itinere, amplo etiam lacui *Tai* vicina eſt, ex quo flumina procurrunt in mare, hinc incredibilis navium, mercium, mercatorumque copia hic continenter viſitur. Urbis mœnia quadraginta Sinica ſtadia ſua peribolo complectuntur, at ſi ſuburbia adnumeres, haud dubium quin centum eoque amplius ſtadia reperturus ſis.

Emporium nobiliſſimum.

nihil hic omnino rerum illarum deeſt, quæ ad uſus vitæ, aut honeſtas etiam voluptates pertinent: eſt enim ex hujus Imperii locis celeberrimis, ad quem merces Luſitanorum, Indiæ, Japoniæ, aliæque quælibet aut ab exteris allatæ regnis aut ab ipſis Sinæ advectæ perveniunt, diſtrahunturque. unde hinc in reliquas Provincias ac urbes tota anni tempore commeatus eſt frequentiſſimus, creberrimaque commercia; & ne naves per *Tai* lacum periculum ſubeant, aggeribus ſtructis ita eum coërcuerunt, ut foſſam, ſeu canalem effecerint ex hac urbe ad *Chinkiang* uſque, ubi in ipſum *Kiang* prono alveo deſcenditur, ibique ingenti cataracta hujus foſſæ aquæ ſuſtinentur, quam aperiunt clauduntque, prout uſus aut neceſſitas poſtulat. bona hujus foſſæ pars quadrato ac ſecto lapide ſtrata eſt ad utramq; ripam, ubi vero *Ukiang* verſus ab hac urbe patet iter, pons eſt lapideus trecentorum aut plurium arcuum, per quem navium iter à *Tai* lacu ſeparatur, & per eum remulco trahentes navem commodiſſime ambulant, ideo enim exſtructus eſt, ne, ſi ventus ceſſarit, cogantur naves ſubſiſtere.

Gentis indoles.

Hujus urbis incolæ ciborum lautitiis ac cupediis apprime dediti feruntur: obſoniis ſaccaro, ſale, aceto, vinoque condiendis excellunt, butyri ac lacticiniorum vix alibi frequentior uſus, imo nullibi niſi in hac urbe butyrum me videre memini: liquor etiam ex oryza expreſſus, quem vini loco adhibent, nuſquam præſtantior, *Sanpe* dicitur, hoc eſt triplicis albedinis, hic per reliquum Imperium *Pekinum* uſque defertur: hinc non ita mirum tanta ſuppetente deliciarum copia, quoſdam plus æquo iis indulgere, ducereque in bonis dies ſuos & in puncto ad inferna deſcendere: naves quamplurimæ illic ſunt ſolis illis voluptatibus dicatæ, auro aliiſque vivaciſſimis ac pulcherrimis coloribus exornatæ, quæ magnificæ domus potius quam navigia dicenda; in his helluones iſti, ac combibones Baccho Vamereque ſeſe mergunt & perdunt. Maxima hic, ut paulo ante dixi, omnis generis mercium copia eſt, auri, muſchi, byſſi, pannorum ſericorum auro argentoque intertextorum; ex quibus ſingulis trimeſtribus, ut ex *Kiangning*, quinq; majores naves regiæ ad Imperatorem holoſerica, variaque pretioſa cimelia deferunt. Gens hæc præ cæteris etiam Sinis cultus in veſtibus ac capillis, ac vitæ politioris amans eſt; hæc denique illa eſt urbs, quam *M. Paulus* Tartarorum more *Singui* vocat: quod patet imprimis, quia ad Orientalem ripam *Kiang* fluminis illam ponit; deinde quia à *Chinkiangfu* abeſſe eam vult tridui iter, hæc autem ab eo (uti infra latius demonſtro) ita prorſus diſtat; tertio, à *Singui Quinſai* nobiliſſimam urbem diſtare ſcribit ſpatio itineris quinque dierum: & vere, illa enim urbs, quam *Quinſai* appellat *Venetus*, ab hac eodem diſtat intervallo, de qua in ſequenti agam Provincia.

Lib. 2, cap. 63.

Cingingui antem civitas una ex iis erat, quæ huic urbi erant ſubditæ, quam ob Alanorum occiſionem funditus deſtruxerunt Tartari; quæ omnia clarius longe patebunt ex Sinenſium Hiſtoriarum epitome, in qua totum hoc Tartatorum bellum oculis animiſque ſubjiciemus, Deo dante, quam fieri poterit dilucide. Præeſt urbs *Sucheu* civitatibus ſeptem, 1 *Sucheu*, 2 *Quenxan*, 3 *Changxo*, 4 *Ukiang*, 5 *Kiating*, 6 *Taiçang*, 7 *Çungming*. In *Changxo* civitate Societas Jesu multa tum extra, tum intra urbem habet templa vero Deo dicata, magnum numerum Chriſtianorum, qui plurimum indies augetur, pluribus etiam idolorum fanis, ſublatis inanium deorum ſtatuis, Deo conſecratis.

Habet *Sucheu* civitas extra mœnia telonium, in quo non merces, ſed naves ſolummodo pro mole ſua ac magnitudine certum pendunt vectigal: ab amico mihi hujus telonii præfecto inaudii, quotannis colligi iſthic ex portoriis ad millionem ducatorum; ex quo facile eſt intelligere, quot quantæque naves hoc flumen pertranſeant, cum tamen præfectorum naves publicæ, regiæque

que omnes, quæ in ipsam regiam quidpiam convehunt, nihil omnino exsolvant. quantum autem ipsum vectigal sit, quod Imperatori quotannis pendit hæc urbs, assequi ex libris Sinicis aut aliorum relatione nequii, illud pro certo affirmare possum reliquas urbes simul, sola *Kiangning* excepta, non tantum afferre, quantum hæc sola tribuat; solius enim oryzæ vectigal ad duos valet ducatorum milliones.

Montes insigniores. Ad Notolybicum urbis mons est *Lignien*, exiguus, sed compluribus ædificiis spectandus. lacui *Tai* vicinus est.

Sui mons ad fauces *Tai* lacus, in quo magnificum idolorum fanum ac monasterium est; intra civitatem *Changxo* mons *Yu* est, qui per aliquot etiam stadia excurrit versus occasum.

Flumina. *Tai* lacus ad urbis Notolybicum est adeo magnus, ut à Sinis triginta sex millia jugerum terræ occupare dicatur.

Xang lacus prope *Changxo* civitatem.

Tungting ingens ac amœnus mons, insulam efficit in lacu *Tai*, multis sacrificulorum cœnobiis celebrem.

Tria flumina ipsam urbem ambiunt ad modum lacus, indeque in varias partes navibus præbent iter: primum eorum *Leu* dicitur; secundum ad *Ukiang* civitatem tendens, *Sung*; tertium *Usung*, quod versus ortum procedit.

Quarta Urbs
SUNGKIANG.

SI à *Sucheu* abeuntes paululum Notapeliotem versus tendamus, ampla sese nobis offeret urbs *Sungkiang*, ædificiorum splendore illustris; jacet hæc in ipsis etiam aquis, totaque navibus pervia est, à gossipii proventu, telæque ac pannorum *Gossipii copia.* gossipinorum copia celebris, quos non modo toti huic vastissimo imperio, in quo communiter hyberno tempore gossipinis vestibus vulgares fere omnes utuntur, sed & exteris subministrat nationibus: de *Xanghai* civitate supra diximus, quæ huic urbi subjecta est; de aliis, ne toties eadem repetere cogar, paria cogitanda; licet enim hæc territorii amplitudine multis aliis urbibus cedat, feracitate tamen ac pinguedine glebæ nulli impar est. Tres tantummodo numerat civitates, quæ omnes & magnitudine, & frequentia hominum, & commerciorum varietate cum amplis urbibus æquiparari possunt: nomina sunt, 1 *Sungkiang*, 2 *Xanghai*, 3 *Cingpu*.

Situs ac nomina. Urbs ipsa mari vicina est, & in ipso fluminis ostio maritimum munimentum obtinet ac præsidium, hinc etiam naves in *Japoniam* pergunt. Priscis temporibus superioris urbis sortem ac Provinciam nacta est, *Tanga* familia *Hoating* dixit, hodiernum nomen ab *Juena* est, uti & urbis titulus; antea enim civitatis tantum privilegiis ac nomine gaudebat, & *Sucheu* urbi suberat: tria habet nobilissima fana heroibus addicta.

At quod maxime hanc urbem nobilitat, est ingens Christi fidem ac sacra amplectentium numerus, templaque plurima, in quibus veri Dei cultus quam maxime viget: in sola civitate *Xanghai* sæpius supra viginti Christianorum millia numerata sunt, jamque aliquot pagi integri Euangelii lucem & aspiciunt, & mordicus tenent: ex hac autem ditissima, ac propter vel solum religionis cultum felicissima civitate oriundus fuit nobilissimus ille Doctor Sinicus, celeberrimusq; Christianæ religionis Professor *Paulus*, nostræ hujus expeditionis sacræ decus ac columen, numquam ab ullo satis copiose laudandus, qui Christianis Europæis quibuscumque aut invidiam excitare, aut ruborem injicere potuit: Is quippe calcato Sinico *Paulus Doctor & summus Colaus egregius fidei propagator.* Philosophorum fastu, sepositaque omni gentis arrogantia, Christi doctrinam atque humilitatem divitiis omnibus summisque præfecturis anteposuit: longe magis de Dei, divinæque legis notitia, quam de summa post ipsum Imperatorem, quam consecutus erat, dignitate sibi gratulatus. Neque modo minus felix ac inclyta religionis studio hæc urbs est, cum anno millesimo sexcentesimo quadragesimo nono magni illius *Pauli* ex filia nepotem primi ordinis Doctorem adepta est, pridem Christianis sacris ac moribus imbutum, qui cum adolescens adhuc sit, annum quippe ætatis vix excessit vigesimum, optimaque indole ac ingenio præditus, speramus omnino fore, ut non ad avi dignitatem modo, sed & pietatem, ac Christianæ religionis propagandæ studium aut accessurus, aut, quod tamen difficile, etiam superaturus. adderem magni illius *Pauli* breve elogium, nisi id jam à *R. P. Alvaro Semedo* in sua relatione esset præstitum, copiosiusq; præstandum in annalibus missionis nostræ Sinicæ, edendis in lucem, ab anno M DC X, ad annum M DC L, quos mecum ex ipsa Sina contuli.

Montes insigniores. *Kin* mons fere solus hic memoratu dignus,

gnus, in littore maris est ad Notapeliotem urbis: in eo amplum est munimentum cum firmo navium, militumque præsidio ad portus custodiam.

Flumina. Ad urbis Notapeliotem mare est è regione *Ningpo* urbis adeo vicinæ, ut silenti nocte ab uno ad aliud littus ipsum galli cantum exaudiri posse asserant.

Hoangpu ingens ac undarum assurgentium mole spectandus canalis est, arte manuque excavatus. ad ortum civitatis *Xanghai* est, indeque ad ipsum mare patet exitus.

Jung aquæ optimæ fons, in fano idolorum *Xanghai* civitatis.

Quinta Urbs
CHANGCHEV.

Situs. CHangcheu urbs canali illi superiori proxima est, per quem ex *Sucheu* urbe ad *Kiang* usque fluvium navibus patet iter. ejus ripæ utrimque prope hanc urbem quadrato sectoque lapide, ab imo usque ad summum firmatæ atque ornatæ sunt, majori fere atque elegantiori quam uspiam alibi artificio. adhæc ibidem erecti sunt arcus triumphales aliquot, non parum ad urbis splendorem ac magnificentiam facientes: præest civitatibus quinque, quarum 1 *Changcheu*, 2 *Vusie*, 3 *Kiangyn*, 4 *Gnihing*, 5 *Cingkiang*. ultima hæc jacet in insula, quam *Kiang* fluvius efformat priusquam mare subeat; hoc fluvio, recensitoque supra canali circumcingitur tota urbis Regio, & quia tot locis aquis illis irrigua est, tota ejus planities ubertate soli ac fructuum multis aliis præstat.

Olim in monte prope *Vusie* stannum effodiebatur optimum, at sub *Hanæ* familiæ exordium mineræ omnes atq; fodinæ magna ex parte fuêre exhaustæ, exinde civitati nomen datum *Vusie*, quod absque stanno significat. Quinque illic sunt *Heroum* fana; reliqua magnitudine exsuperat, quod gentis auctori *Taipeo* dicatum, non ita procul à civitate *Vusie*. at non de nihilo quoque civitati *Gnihing* nomen est inditum, illud enim terræ gloriam sonat, quod hac de causa illi impositum est, quod ibi figlina arte vascula illa fiant, quibus ad diluendum epotandumque *Cha* suum tamquam aptissimis utuntur: idcirco autem ea Sinæ *Kiangsinensibus*, splendidioribus licet, magisque diaphanis præferunt, quod saporem aliquem ac odorem à Sinis expetitum potui illi tribuant; unde maximi apud eos fiunt, totaque civitas eo in opere plurimum occupatur: quædam ex iis vasculis magno veneunt pretio, ac Estremosia illa Lusitaniæ aut superant, aut æquant.

Vascula Cha optima in Gnihing.

Montes. *Sie* mons est ad ortum *Vusie*, ex quo stannum effodiebatur.

Prope *Kiangyn* mons visitur *Chin*, fabulosa Sinarum historia inclytus; siquidem ibi mulierem à cerva partu editam volunt.

Flumina. *Leang* rivulus ex parvo colle *Hoei* profluit in lacum prope *Vusie*; ejus origo fonti debetur, qui *Hoei* dictus est, cujus aquæ apud hanc gentem secundum obtinent præstantiæ locum, atque ego ipse adeo bonam hanc aquam meo etiam experimento comperi, ut credam Sinas minimum hic aberrare à vero: hac de causa etiam à magnatibus ubique expetitur, cum plurimæ naves isthac transeant, vix ulla est quæ jam in vasis paratam vilissimo pretio non emat, quamvis, si tantum ubi morari libeat, cuivis quantum lubet, haurire liceat: ad Provincias maxime remotas hinc devehitur, imo in Regiam ipsam usque *Peking*, eam enim pro potu *Cha* conficiendo maxime rentur aptam, ac eam ob rem coëmere solent.

Sexta Urbs
CHINKIANG.

M. Pauli Veneti Cingiam. HUjus urbis locum ac nomen *M. Pauli Veneti Cingiam* fuisse, ejus scripta legentibus luce meridiana clarius innotescet: jacet enim urbs ad ripam *Kiang* fluminis, ad ortivam partem canalis arte facti, qui in *Kiang* fluvium deducitur; ex altera parte canalis, qua nimirum occidentem spectat, in ipsa ejus ripa suburbium habet nihilo ipsa urbe aut infrequentius aut minus: lapidei pontes quidam urbem ipsam cum suburbio nectunt, superatis pontibus ac cataracta canalis in magnam sese latitudinem diffundit, & ex *Kiang* fluvio aquas, simulque æstum maris amittit.

Quanta ibi toto anni tempore navium copia sit, dici vix potest: quæcumque enim ex *Chekiang* Provincia, reliquisque orientalibus urbibus adveniunt, quæ *Pekinum* aliove tendant, hic subsistere coguntur, ut malos erigant, ac vela comparent: huc usque enim illis uti non possunt ob nimiam pontium intercurrentium multitudinem: ex hac vero urbe ad Regiam *Pekinensem* usque

usque nullus omnino pons admittitur etiam in canali arte facto, nisi sublicius ac mobilis. Ipsa urbs ex re imposito erudito apud eos nomine vocatur *Kingkeu*, quod tantumdem est, ac si Regiæ os diceres, quod nimirum ex hac urbe in regiam usque paratæ semper procedant naves; unde perfacile inferre est, quanta hic sit mercimoniorum copia, atque opportunitas. Circa hanc urbem colles quidam sunt amœnissimi, in quibus idolorum fana ingentia ac magnifica: in uno ex iis ex solido ferro turrim, supra basim etiam ferream exstructam, vidi: ejus altitudo triginta plus minus cubitorum est, forma pyramidalis, tota ab imo ad summum variis figuris, ac præsertim lauris decorata est.

Turris ferrea.

Commendatur hæc urbs à præclarissimis Medicis, qui inter Sinas maxime excellunt: cerasis etiam sat bonis abundat Regio; tres tantum numerat civitates, 1 *Chinkiang*, 2 *Tanyang*, 3 *Kintan.*

Montes.

Kin mons insulam efficit in *Kiang* fluvio ad Barrolybicum urbis; in eo magnifica aliqua sunt idolorum fana, ac monasteria sacrificulis referta. Mons hic tum natura, tum arte cultus summopere amœnus est. in eo fons aquæ scaturit apud Sinas laudatissimæ; fons *Chungleang* vulgo dicitur.

Septima Urbs

YANGCHEV.

Situs ac nobilitas.

Superato *Kiang* fluvio ingens cataracta occurrit ad castrum *Quacheu*, quæ canalis manu facti initium est, per quem ad hanc nobilissimam *Yangcheu* urbem pervenitur: est hæc urbs emporium frequentissimum, ibidemque opulentum Imperatoris telonium est. quamvis autem mercium omne genus ac varietas minime desit, salis tamen distractione maxime ditescit, quà enim urbs ad ortum vergit salinæ sunt frequentissimæ, in quibus sal eodem modo omnino conficitur, uti in Europa multis locis ex aqua marina, unde & ditissimi ac frequentissimi hic ejusmodi mercatores sunt, qui salem per mediterraneas Provincias divendunt; ac proinde tota urbs maximis ac superbis horum ædificiis adsurgit: eam secant plurimis in locis canales aqua dulci constantes, qui quatuor & viginti lapideis ac plurium arcuum pontibus coronantur, quibus minores magno numero non adscribo. extra urbem ad occasum canalis arte factus eam à suburbio separat, quod ad integrum milliare Germanicum extendebatur; sed hoc Tartarico bello totum conflagravit.

Mulieres venales.

Quod hanc urbem fœdat infamatque, venalis ibi fœmineus sexus est, quamplurimi enim in ea degunt, qui puellas parvulas emunt, eas delicate enutriunt, voce ac instrumentis fidibus præsertim canere, carmina componere, scite pingere, ac callide latrunculis ludere, similesque plures artes eas edocent, tum deinde magno pretio venales pro concubinis magnatibus offerunt. Gaudet *Yangcheu* aëris temperie molliori, amœno ac feraci solo, incolis plurimum voluptati ac delitiis deditis. parent urbi civitates decem: 1 *Yangcheu*, 2 *Ychin*, 3 *Taihing*, 4 *Caoyeu* ⊙, 5 *Hinghoa*, 6 *Paoyng*, 7 *Tai* ⊙, 8 *Jucao*, 9 *Tung*, 10 *Haimuen.* Sub *Yvo* Imperatore ad Provinciam *Yangcheu* pertinuit, *Teu* ac *Nieu* stellarum Dominio subdita fuit. sub potestate erat Regum *U*, & postea *Yve*, quo debellato eam *Çu* Rex occupavit, *Hana* familia *Kiangtu* dixit, hodiernum nomen urbi dedit primus *Sujus*, *Tangæ* familiæ eam *Pangcheu* appellare placuit.

Qualitas.

Montes & flumina.

Nihil hic de fluminibus, montibusque admodum notatu dignum occurrit, præter lacum *Piexe*, ad cujus principium *Caoyeu* civitas sita, ubi & arte factus canalis lacum subit, ex quo & suas haurit aquas, & ne naves lacum ipsum trajicere cogantur, ad illius ripam ex quadrato sectoque lapide canalis structus est, ad sexaginta stadia; opere sane magnifico planeque admirando, cum difficillimum ibi sit vel conjicere, unde tot tamque ingentes lapides albi adducti sint, cum tota circumquaq; Regio montibus careat.

Octava Urbs

HOAIGAN.

Amplitudo urbis.

Duplex est, non una tantum *Hoaigan* urbs, utraque tamen continuata serie habet mœnia. quæ ad Austrum vergit proprie *Hoaigan* dicitur, quæ ad Barrapeliotem *Tenching*; auget harum magnitudinem suburbium alterius ad miliare Germanicum ex utraque parte canalis protensum. per hunc canalem *Croceum* ingrediuntur. in eo tanta passim hominum turba visitur, tanta rerum omnium abundantia, tanta mercatorum ultro citroque commeantium frequentia, ut multis efformandis urbibus hæc omnino sufficerent.

Sedem

In ea Prorex. Sedem habet in hac Prorex curator annonæ Imperatoriæ, qui ſeptem ex Auſtralibus Provinciis cum ampla poteſtate præeſt: curæ illius incumbit, annonam reliquaque victui neceſſaria debito tempore ex Provinciis evocare, quæ regiis navibus pœne innumeris *Peking* verſus devehuntur: ubi ad hanc pervenere urbem, Prorex omnia inſpicit, ac excutit, probeque examinata dimittit in Regiam. Sunt etiam in ſuburbio telonia duo: alterum, in quo portoria mercium; alterum, in quo navium non regiarum, juxta cujuſque menſuram ac magnitudinem perſolvitur; quod pretium ad canalis cataractarumque inſtaurationem, ac ſarta & tecta omnia ad catadupas conſervanda deſtinatum eſt, licet non exigua inde argenti ſumma ipſi Imperatori cedat: *Catadupa notabilis.* catadupæ enim in hoc canali ad Boream urbis tres ſunt; at prima *Hoai* fluvio proxima difficillima omnino eſt, ex ea enim aqua ingenti vi ac impetu decidit ex altiori *Hoai* fluvio prorumpens, quem ne totam circumjacentem regionem ſubinde obruat, magnis congeſtis aggeribus coërcent; catadupa inſuper ſtructa, quam *Tienſi* vocant, hoc eſt è cœlo volantem, quibus verbis ingentem illam aquarum vim, atque ex editiori loco præcipitem lapſum explicant: ut naves hæc loca ſuperent, maximæ ſæpe ſunt difficultates. Hinc aliquot centena virorum capita Regio ſtipendio ibi aluntur, qui in tempore præſto ſint, ut remulco rotarumque auxilio navem adducere poſſint, quamvis neque ita ſine magna difficultate aquæ impetus vinceretnr, niſi adductu ſequenti aqua quoad fieri poteſt detineretur, alia ibi extructa cataracta.

Situs. Jacet urbs *Hoaigan* loco paludoſo, oryzæ tamen, ac tritici feraciſſimo. urbs non modo nobilis, ſed & dives, magnificis operibus tum publicis, tum privatis ornata: tota Regio fluminibus diviſa, lacubuſque irrigua eſt. in ea ſunt civitates decem: 1 *Hoaigan*, 2 *Cingho*, 3 *Gantung*, 4 *Taoyven*, 5 *Moyang*, 6 *Hai* ⊙, 7 *Canyu*, 8 *Pi* ⊙, 9 *Sociven*, 10 *Ciuning*.

Sub *Yvo* Imperatore fuit Provinciæ *Yangcheu*, ſub conſtellatione *Teu*. Primum ſectavit ad Regem *U*, dein *Jue*, mox *Çu*, ſub *Cina* familia tantummodo civitas erat hæc urbs, dicta *Hoaiyn*, *Hana Linhoai* dixit, hodiernum nomen ac dignitatem à *Sunga* habet familia. Coturnices ac phaſianos plures vidi in hac regione quam uſpiam alibi. Fana etiam plura obtinet ac magnifica, quodque alibi raro reperire eſt, quatuor habet altiſſimas turres ex iis, quibus ſimiles alio loco deſcripſi.

Montes. Mons eſt unicus notatu dignus, qui in mari exſurgit prope civitatem *Hai*, *Yocheu* dicitur. in eo ſtupendum ſuperbumq; idolorum fanum eſt, cum adjecto ſacrificulorum monaſterio, ad quod ex tota Sina plurimi conveniunt advenæ, ſuperſtitioſis illis Sinarum ritibus addicti; dicitur hæc inſula auri habere fodinas.

Flumina. *Xeho* lacus ingens piſcibus abundans, terras *Moyang*, *Canyu*, *Hai* & *Gantum* irrigat.

Hung lacus & palus ingens ad urbis ortum, in eo naſcuntur cannæ illæ paluſtres altiſſimæ, quibus lignorum loco tota utitur regio. nam aliis lignis, planiſſima tota hæc terra, ac fere arboribus caret.

Salina. Haud procul inde ſalis campi ſunt, ubi producitur affatim.

Nona Urbs

L V C H E V.

Situs. Lucheu urbs peramœna ac fertili agro ſita, octo civitatibus jura dat, quæ omnes fere celeberrimi *Çao* lacus ripam occupant: qui non modo indigenas ſuos aſpectu jucundo recreat, ſed & piſcibus alit, campoſque ita aquis ſuis fœcundat ut magna ubique ſegetis ac frugum ſit luxuries. civitates ſunt: 1 *Lucheu*, 2 *Xuching*, 3 *Lukiang*, 4 *Vuguei* ⊙, 5 *Çao*, 6 *Logan* ⊙, 7 *Jugxan*, 8 *Hoxan*. priſcis temporibus eodem, quo ſuperior, loco ſtatuta; ſub *Cheva* familia tota hæc regio Regnum fuit ſui juris, *Lúçú* Regnum dictum, illud paulo poſt *Çu* Reges occuparunt; ſub *Hana* Imperatoria familia, *Lukiang* nomen habuit, hodiernum nomen dedit *Sujus* Imperator. Hoc vel maxime urbem apud Sinas celebrem reddit, quod ad ejus orientale latus *Tangus* regulus *Kiéúm* Imperatorem prælio fuderit, imperiumque occuparit.

Commendatur urbs tum à præſtantia, tum copia herbæ *Cha*, quam ſuo loco paulo poſt deſcribam opportunius; ibi quoque optima papyrus fit: duo etiam nobiliora fana numerat, & pontem auguſtum prope *Logan*.

Montes. In *Çao* lacu mons eſt *Cu*, hoc eſt orphanus, quia ſolus ibi ſtans inſulam efficit.

Prope *Lukiang* mons eſt *Taifu*, ſylvis amœnus, ad magnum ſpatium terrarum duplicatis verticibus procurrens.

Kiuting mons, ex *Toaxu* libris nominatus ordine decimus octavus, est prope *Çao* civitatem.

Flumina. *Çao* lacus ingens, & *Pe* lacus minor coëunt prope *Lukiang*.

Decima Urbs
GANKING.

Nobilitas ac commoditas urbis. AD Borealem ripam magni *Kiang* fluminis jacet *Ganking*, quæ inter nobiliores hujus Provinciæ urbes censetur, mercimoniis opibusque florens: omnia enim quæ ex aliis regionibus *Nankinum* advehuntur, hanc primam urbem obviam habent; cumque trium Provinciarum confinia claudat, sitque ad bellicas expeditiones aptissima, suo gloriatur Prorege, qui à Provinciæ Præfecto alius est: hic magnum alit militum præsidium in munimento *Haymuen*, quod *Poyang* lacum & *Kiam* fluvium propugnat, ubi *Tanga* familia ferream erexit columnam tres perticas altam, debitaque proportione crassam ac solidam, nec ex diversis partibus, sed una tantum constantem.

Hæc regio tota aprica & amœna est, solumque fertile: sex in ea recensentur civitates, 1 *Ganking*, 2 *Tungching*, 3 *Cienxan*, 4 *Taihu*, 5 *Sosung*, 6 *Vangkiang*. Hæc olim regio *Von* dicta à *Çu* rege subjugata, à *Tanga* familia dicta *Jucheu*, à *Sunga Ganking*.

Montes. Prope *Tungching* mons est *Feu*, ex quo fons aquæ decidit ad altitudinem ducentarum perticarum. jacet ad ripam *Kiang* fluvii, intus cavernosus est, multisque antris obscuris cavus.

Siaocu mons, circa *Sosung* duos habet altissimos vertices, per quorum subjectam vallem mediam *Kiang* fluvius sibi sternit iter. in altero vertice ingens visitur idolorum fanum & cœnobium.

Flumina. *Kiang* fluvius, ubi *Sosung* civitatis fines attingit, insulam *Sanglo* efficit.

Undecima Urbs
TAIPING.

KIang fluvius ac lacus *Taiping* urbis territorium secant, ac rigant: regio tota partim montana, partim campestris: magna, ut alibi, soli est fœcunditas. regit civitates tres, 1 *Taiping*, 2 *Vuhu*, 3 *Fachang*, inter eas *Vuhú* nobilis ac dives, nam in ea telonium est, jacetque in Insula, quam in duos divisus ramos *Kiang* efficit, qui in unum denuo coëunt versus *Nanking*.

Olim *U* regni fuit, tum *Jue*, mox *Çu*, *Cina* familia *Chang* regioni adnumeravit, *Hana* familia *Tanyang* dixit, *Tanga* vero *Nanyú*, *Sunga* prius *Pingnan*, tum deinde *Taiping* dixit, quod nomen etiamnum hodie retinet.

Montes. *Tienmuen* mons ad urbis Notolybicum vergit, cœli porta vocatur, namque ibi à duobus collibus coarctatur *Kiang* fluvius, qui per illos fluit medius.

Hiao lapis, insula est, lapidea tota ac cavernosa, ex topho lapide constare videtur; nomen illi ab innumera noctuarum multitudine quæ in lapide hoc nidulantur, & degunt.

Flumina. Nihil de fluminibus hic singulare occurrit, præter lacum *Tanyang*, cujus magnitudo trecentorum stadiorum esse dicitur. ad urbis Notapeliotem incipit, inde ad *Liexui* civitatem excurrit.

Duodecima Urbs
NINGQVE.

SEx civitatibus hujus territorium constat: 1 *Ningque*, 2 *Ningque*, 3 *King*, 4 *Taiping*, 5 *Cingte*, 6 *Nanling*. ipsa urbs *Von* amni vicina, qui eam ad ortum præterlabitur, deducitque naves in *Kiang* fluvium magnum. Tota regio montibus aspera est; intra ipsa mœnia pulchri amœnique sunt colles, luci, eximiaque ædificia; castanearum nucum, ac pyrorum ingens numerus; papyrique magna illic conficitur copia ex contusis, maceratisque aqua arundinibus, earumque foliis. Prope *King* civitatem fanum visitur magnificum; odoriferi cordis vocatur, hoc enim nomen Sinicum *Hiangsin* sonat: est illud quinque virginibus dicatum, quæ cum à latronibus raptæ essent, mori maluerunt, interficique à raptoribus, quam pudicitiæ suæ facere jacturam.

Montes. Intra mœnia *Lingyang* mons, seu potius amœnus est collis.

Ki mons, prope *Ningque* civitatem, ita aspectu jucundus est, ut passim incolarum dicatur deliciæ.

Circa *Taiping* mons est *Lugmuen*, densis obscurisque lucis opertus, rara ex eo medicamenta colligere feruntur Botanici.

Deci-

Decimatertia Urbs
CHICHEV.

CHicheu urbs in Australi *Kiang* fluminis ripa sita, quamvis plurimis montibus extuberet circumcirca, nec multam habeat planiciem, dives tamen est, deque necessariis omnibus illi abunde prospectum est; quod si quid desit, facile vicinum flumen *Kiang* subministrat omnia: regit urbs civitates sex, 1 *Chicheu*, 2 *Cingyang*, 3 *Tungling*, 4 *Xetai*, 5 *Kiente*, 6 *Tunglieu*. Fana in ea sunt quatuor nobilissima.

Olim *U* regni fuit, mox *Júe*, deinde *Çu*, *Leang* rex *Nanling* dixit, *Suius Cieúpú*, hodiernum nomen jam inde à *Tanga* habet familia.

Montes. *Hing* mons est prope *Tungling*. à prunis Armeniacis nomen habet, quibus abundat.

Kieuhoa mons, sive novem verticum, totidem enim constat, ac repandi floris figuram repræsentat.

Decimaquarta Urbs
HOEICHEV.

AVstralissima hujus Provinciæ urbs est *Hoeicheú*, quæ regum tempore eundem, quem prior, nacta est locum & ordinem; nomen illius à *Sunga* Imperatoria familia est: regio ejus montibus abundat, & *Kiangsi* ac *Chekiang* Provinciis finitima est; regit civitates sex, 1 *Hoeicheú*, 2 *Hieúning*, 3 *Vuyuen*, 4 *Kimuen*, 5 *In*, 6 *Cieki*.

Mercatores sagaces. Inter ditissimas hujus imperii urbes etiam hæc censetur: mercatura enim hic, si uspiam alibi, maxime floret; cœli temperie fruitur commodissima; incolæ industrii sunt ac sagaces præsertim in commerciis, vix ullum apud Sinas celebre emporium est, quod ab illis non sit frequentatum, imo vix ulla domus collybistica aut pigneratitia, in qua hujus urbis cives primum fere non occupent locum, ita ab usurariis expetuntur tum ob rerum ac mercium notitiam, tum ob industriam. gens parca est, victuque parabili, & in usu rerum minimo contenta, in commerciis tamen audax ac animosa.

Atramentum Sinicum. In hac etiam urbe præclarissimum fit atramentum Sinicum, quod non uti nostrum liquidum, sed in massulas oblongas parallelogrammicas coactum, easque solidas, veluti rubrica est, pulchris florum, animalium, larvarumque formis insignitum, litteris etiam ornatum, quibus in atramenti laudem carmina quædam explicant, & artificis nomen inscriptum est: est enim atramenti conficiendi apud Sinas studiorum amantes, ars liberalis, uti & reliquæ omnes, quæ ad studia pertinent; atramento hoc eodem fere modo utuntur, quo nostri pictores coloribus: terunt enim in lapide lævigato, aquaque diluunt, ac penicillo incto characteres suos depingunt potius quam scribant. In hac eadem urbe præclarissimæ fiunt omnis generis capsulæ, glutine illo Sinensi illitæ, quæ cæteris alibi factis præferuntur. reperitur hic quoque terra illa, quæ pro vasis porcellanis adhiberi, atque hinc in *Kiangsi* devehi solet.

Sunt & in hujus regionis montibus auri, argenti ac cupri fodinæ.

Cha folium quale. Folium *Cha* nominatissimum nusquam alibi, quam hic præstantius est. id in gratiam curiosi lectoris, ac Botanices studiosi brevibus describam:

Foliculum est omnino illi simile, quod rhus coriaria profert, imo illius quandam esse speciem tantum non mihi persuadeo, non tamen sylvestre illud, sed cultum est, non arbor, sed virgultum est, quod in ramulos varios, aut virgulas potius sese diffundit, nec flore admodum differt, nisi quod hujus albedo nonnihil magis in flavedinem declinet; æstate primum florem emittit levi odore fragrantem, sequitur bacca viridior, mox nigricans: pro potione *Cha* coquenda expetitur folium primum vernum, ac mollius, quod studiose ac sigillatim unum post alterum manu carpunt, mox in ferreo cacabo tenui ac lento igne aliquantulum calefaciunt, deinde supra stoream subtilem ac lævem manibus propellendo involvunt, atque involutum iterum exponunt igni, ac denuo confricant, donec intortum rursus & conglomeratum plane siccum fit: quod servant in vasis plerumque stanneis ab omni humiditate diligentissime & evaporatione custoditum; hoc cum in ebullientem aquam conjicitur etiam post diuturnam asservationem, ad pristinum virorem redit seque expandit, aquam odore suavi, si optimum est, saporeque non ingrato, præsertim ubi adsueveris, ac colore subviridi inficit. Multis hujus calidi potus vires ac virtutem deprædicant Sinæ, qui eo noctu & interdiu frequentissime utuntur, hospitesque excipiunt.

piunt. tanta autem ejus varietas, ac præstantiæ discrimen est, ut libræ pretium apud ipsos Sinas ab obolo ascendat ad duos pluresque aureos: Illi potissimum adscribitur, quod Sinæ podagram ac calculum nesciant; post cibos sumptum omnem indigestionem ac cruditatem stomachi tollit: maxime enim concoctionem juvat, quin & ab ebriis adhibitum levamen iis, novasque ad potitandum vires affert, adeoque & crapulæ omnes molestias levat, siquidem exsiccat & abstergit superfluos humores, ac vigilare cupientibus somniferos vapores expellit, oppressionemque somni studiis vacare volentibus arcet. varia apud Sinas habet nomina; juxta varia loca, eamque, quam obtinet, præstantiam hujus urbis præclarissimam *Sunglocha* vocari solet. pleniorem si quis illius descriptionem desideret, consulat Gallice editum *R. P. Alexandrum de Rhodes*, qui illud fusius describit, de regno *Tunking* parte 1, cap. 15.

Montes. Maximus hic mons ille est, quem *Hoang* vocant ad urbis occasum, in eo viginti quatuor numerantur rivuli, altissimi vertices triginta & duo, & ex cavernis decem & octo antra obscurissima.

Ki mons prope *Hieuning* est, unde eminet vertice ad centum eoque amplius perticas: pons lapideus vallem profundissimam nectit.

Flumina. *Singan* flumen prope ipsam urbem transit, ac inibi ad occasum oritur, quatuorque dein rivulis augetur, quorum unus ex urbis montibus, alter ex *Hieuning*, tertius ex *Vuyen*, quartus ex *Cieki* profluit. flumen hoc per valles & saxa præceps decurrit, usque ad *Singan, Chekiang* Provinciæ civitatem, quo in itinere trecentas & sexaginta catadupas seu aquæ præcipitia numerant, superatu difficillima est illa, quam *Luicung* dicunt prope urbem *Hoeicheu*.

Prima Civitas major
QVANGTE.

MAjores civitates sunt, quas non *Fu*, sed *Cheu* Sinæ vocant, aliasque sub se habent minores *Hien* dictas. Ex his quatuor sunt in hac Provincia. Prima *Quangte*, nobilis plane, ac serici copia dives: *Montes.* regit hæc aliam civitatem *Kienping*; montibus utraq; magnis, sed amœnis contigua; illustriores ex iis sunt *Heng* & *Ling*; ille ad occiduam partem civitatis altissimus nubes transcendit, in vertice tamen perennis aquæ fontem habet; *Ling* vero mons altitudine nihilo inferior, collem habet maxime difficilem & acclivem, quindecim stadiorum spatio, ad quem spelunca, in cujus aditu sacrificuli cujusdam lapidea statua est, quem in eam mutatum fingunt.

Secunda Civitas
HOCHEV.

HOcheú civitas aliam sub se habet *Hanxan* dictam, ex eo nota, quod sacrificulus ille Tartarorum expulsor isthic latronem egerit.

Tertia Civitas
CHVCHEV.

REgit hæc alias duas, *Civenciao* nimirum, & *Laigan*, cujus regionem *U* lacus ad *Civenciao* ortus & ad *Laigan* procurrens, fœcundat: montes includit non paucos, quorum nomina habent mappæ.

Quarta Civitas
SIVCHEV.

QUatuor illis civitatibus hæc etiam jus dicit *Siao, Tangxan, Fung*, & *Poi*: ipsa *Croceo* fluvio vicina est qui hanc regionem mediam secat. est autem hujus Provinciæ maxime remota ad Septentrionem, locus omnino maximi momenti, quippe qui quatuor Provinciarum finitima contineat. ad civitatis *Suicheu* Barrepeliotem pons visitur aquis innatans, ex quinque & triginta magnis navibus constans, eas ingentes ferreæ catenæ colligant; alius quoque pons minor supra *Pien* fluvium est: celebris etiam ex eo civitas, quod *Hanæ* Imperatoriæ familiæ auctor, capta civitate *Poi*, inde ad occupandum Imperium gradum fecerit.

Flumina. Prope *Fung* civitatem *Ta* lacus est, ad quem *Lieupangi* mater rustica à spiritu compressa fertur, ac deinde *Hanæ* familiæ auctorem enixa. Est ibi *Su* amnis memorabilis ad civitatem *Poi*, in quem sub finem *Chevæ* familiæ novem cuprea illa vasa Sinicas novem Provincias exprimentia, ab *Yvo* fusa antiquissimo Imperatore, demersa feruntur, & omni adhibita diligentia à *Cinæ* familiæ auctore nunquam inveniri potuerunt. tantæ autem hæc vasa fuere æstimationis, ut qui illa obtineret, vulgo Imperator haberetur, uti fusius deduco in mea historiarum epitome.

DECI-

DECIMA PROVINCIA,

CHEKIANG.



Hekiang Provincia solis duabus Regiis cedit nobilitatis insignibus, quamvis olim ipsa, præcipue sub *Sunga* familia, etiam Regia fuerit, cæteras autem longo superat intervallo, non quidem spatii amplitudine, sed feracitate, amœnitate, divitiis. Undecim ingentes urbes, quasi totidem Provincias, obtinet, vel una ex illis *Hancheu* ad constituendum regnum integrum satis esse possit: regunt hæ undecim urbes civitates tres supra sexaginta, quibus oppida, castella propemodum innumera, pagosque frequentissimos haud adnumero. *Termini.* Provinciæ termini sunt ad ortum mare, per quod est angustissimus trajectus in *Japoniæ* insulas, quem obsecundante vento intra diei spatium, aut paulo amplius enavigare se ajunt, ex *Ningpo* nimirum promontorio: à meridie & Notolybico *Fokien* Provinciam respicit: reliqua claudit Provincia *Kiangnan*. Regio tota partim montana, partim campestris; cœli temperie, fontium scaturigine, fluminum ac lacuum aquis copiosis læta; rerum denique omnium ubertate varietateque felix ac beata: plures habet montes in australi & occidentali Provincia, sed cultos omnes atque amœnos, nisi qua hinc inde rupibus ac saxis horrent, ex quibus etiam multam fabricandis navibus, domibusque aliisque operibus petunt materiam. Vbique communia sunt nemora ac sylvæ mororum. Bombyces tot alit, ut non modo regioni suæ, totique *Serici copia ac ratio.* Sinæ abunde prospiciat de sericis omnis generis pannis, sed & vicinæ *Japoniæ* ac *Philippinis* insulis, imo & Indiæ, Europæque terris remotissimis; qui panni hic præ cæteris totius Sinæ optimæ notæ, adeoque vilis pretii, ut facilius hic sit decem vestibus sericis induere, quam laneis quibusvis unum apud Europæos. Moros hic, ut apud nos vites, quotannis putare solent, nec in altas arbores eas excrescere sinunt, minorum folia præstantiorem byssum ac filum producere longissimo tot annorum experimento edocti, atque hinc primam texturam fili à secunda optime distinguunt: ea est quæ à vernis illis molliusculis ac delicatioribus foliis, quibus bombyces aluntur, prodit; altera ab æstivis ac durioribus: tantam operis mutationem affert vel sola cibi varietas in subtilissimis illis animalculis: ex hujus rei ignorantia sæpe suspicatus sum evenire, ut sericum, quod in Europa concinnatur, fere Sinico crassius ac rudius sit: distinctionem porro inter primam ac secundam productionem hic noto, quia plerisque nostratibus etiam mercatoribus video esse ignotam, cum tamen apud Sinas, diversissimum sit utriusque pretium; optima itaque fila Vere, rudiora Æstate neunt bombyces, eodem tamen utraque anno. Vermiculorum horum cultura eadem omnino est, totque subjecta molestiis, tantamque exigens diligentiam, quanta adhibetur in quibusdam locis Europæ nostræ: unde falsum omnino ac fabulosum, sericum hîc omne à bombycibus in ipsis arboribus sponte sua, absque industria hominum ac labore, produci.

Tributum. Tributa, quæ Imperatori suo hæc Provincia exsolvit, in immensum excrescunt. oryzæ tributum est saccorum 2,510,299; byssi seu serici infecti libras pendit 370,466; serici confecti volumina 2574, præterea quater in anno naves regiæ ingentes, *Lungychuen* dictæ, singulari artificio elaboratis sericis onustæ in regiam tendunt: hæc serica auro, argento, imo & avium discoloribus pennis, draconibusque rara arte intertextis, miraque colorum varietate conficiuntur; illorum usu cæteris interdicto, Imperatori soli ac regiis serviunt, aut cui ille ex singulari privilegio concesserit, ut apud nos variorum ordinum cruces aut insignia gestantur. fœni aut straminis fasces tribuit 870,4491, salis pondera 444,769, præter communia duorum teloniorum vectigalia, quæ sunt in metropoli hujus Provinciæ, primum mercium in Boreali urbis parte, secundum lignorum in Australi: cum enim apud Sinas frequentissimus sit lignorum usus, quibus domos, naves, sarcophagos, sandapilas similiaque construunt, ac lignarii quidam ditissimi sint mercatores, non parum inde annui tributi Imperatori provenit. audivi ipsemet à viris fide dignis, annuum hujus Pro-

vinciæ vectigal quindecim superare milliones coronatorum, seu decies quinies centies centena aureorum millia. Liber, cui inscriptus est populi Sinici numerus, assignat huic Provinciæ familias 124, 2135, viros vero 4, 525, 470. Est autem gens hujus loci facilis ac comis, ingenio præstanti, idolorum cultui, ac superstitionibus dedita, unde & veritatem edocti, fidem synceram, Christianaque sacra facile suscipiunt, plurimique ex iis jam Christo dedere nomen fideique nostræ doctrina egregie sunt imbuti.

Gentis indoles.

Ubique omnia rivis, amnibus ac fluviis pervia sunt, arte aut natura deductis commodissimis alveis, credas in Belgio te, locisque ibi mari proximis versari, imo & illa ab his superari. Plerosque fluviorum alveos à Boreali parte emanantes ita ars humanis usibus accommodavit, ac si ab ipsa natura ad id essent elaborati, difficulter intelligi ac credi potest, quomodo ad id perficiendum vires humanæ sufficere potuerint: videre est ut plurimum latissimas profundissimasque fossas ad longissima terrarum spatia deductas, in utraque ripa quadrato sectoque lapide ab imo fundo munitas; pontes altiores plurimis arcubus sibi incumbens onus egregie sustinentibus, adeoque per totam omnino Provinciam qua pedibus, qua navigio patens iter, quamvis tota innumeris propemodum minoribus insulis intersecta sit, ac divisa. Rariora reliqua, quæ hic sunt, in particulari urbium descriptione reperies.

Prima Urbs seu Metropolis HANGCHEV.

Ne diutius Europæi Cosmographi in *Marci Pauli Quinsai* inquirenda, ac ridicule delineanda aberrent, hic ipsissimam illam dabo, cujus ne umbram quidem assecuta est Archontologia illa Cosmica, & si Deus votis faverit, transmittam fortasse cum tempore ipsum Sinicarum urbium ab ipsis Sinis longe ante Europæos impressum theatrum, numquam hactenus visum Europæ quod quidem sciam. Verum ut, quod nunc instat, agamus, certissimis imprimis argumentis probo hanc urbem ipsam esse *Quinsai Pauli Veneti*: hæc enim illa est, quæ à *Singui*, hoc est *Súcheú* quinque dierum spatio distat, si loquamur de progressu ac itinere exercitus, in quo constat *M. Paulum* fuisse, aliàs enim vix quatridui iter est; hæc illa est, quæ illius tempore regia erat Sinarum, quam Sinæ lingua erudita litteratorum *Kingsu*, communi hominum vulgarium minus exacte loquentium *Kingsai* dicunt, unde *Veneti* nomen *Quinsai* fluxit; notandum porro hic *Kingsu* dignitatis nomen esse urbibus regiis commune, non autem uni proprium ac singulare, siquidem vere Regiam significat, quamvis sæpe eadem urbs proprium alioquin habeat nomen, uti hæc urbs *Hancheu* dicitur, quæ sub *Sunga* familia dicta est *Lingan*, quia ejus familiæ decimus Imperator *Caoçungus Kin* Tartaros fugiens hic regiam statuit: atque idcirco *Veneti* tempore *Kingsu* vocitata est, quidcumque demum hic alii sentiant; hæc autem acta sunt ad annum à partu Virginis millesimum centesimum quintum & tricesimum. in eadem quoque urbe *Sunga* familia regnum tenuit, donec magni *Han* Tartari occidentales, *Kin* Tartaros orientales è *Catayo* ejecerunt, hoc est ex Borealioribus provinciis, atque ita tum debellati sunt, moxque victricia arma in regnum *Mangin* invexerunt, Australium Provinciarum scilicet occupatione cœpta. sed ut propius ad rem ipsam accedamus, hæc illa urbs est, quæ altissimos ac innumeros pœne habet pontes tum intra ipsa mœnia, tum extra in ipsis suburbiis, nec à vero aberunt multum decem etiam millia, quæ *Venetus* enumerat, si pontibus arcus triumphales accenseas, quos ob fornicis similitudinem potuit etiam *Venetus* in pontium habuisse loco, eodem modo, quo Tigrides Leones dixit; cum tamen ii minime hic uti fere in tota Asia non reperiantur. nisi velis eum non eos tantummodo qui intra aut extra urbem sunt, sed totius hujus territorii pontes esse complexum, ac tum quidem numerum illum suum, qui alias Europæis creditu videtur difficilis, facile etiam augere potuisset, tanta ubique pontium & arcuum triumphalium copia. accedit ad hujus rei confirmationem lacus quadraginta Italicorum miliarium, *Sihu* vocant, qui quamvis intra mœnia non sit, illa tamen ab occasu in Austrum longo tractu lambit, ex eoque inducti sunt in ipsam urbem complures canales; ejus porro ripæ ita templis, monasteriis, palatiis, musæis ac privatorum domibus omni ex parte sunt obsitæ, ut intra amplissimam urbem, non ruri versari te credas. ad hæc ripæ undique quadrato sectoque lapide erectæ sunt, latissima ambulantium commodo relicta via; viæ etiam quædam per ipsum lacum transeunt pluribus iisque altioribus

pon-

pontibus, sub quibus naves trajiciant, instructæ, quibus inambulantes totum lacum ultro citroque possint circuire, unde urbi accenseri hæc à *Veneto* facile potuerunt. Sed latinum Marci Pauli Veneti Interpretem fidelem non fuisse, in hujus saltem lacus situ describendo, suadet Italicum Itinerarium Veneti, quod, juxtà originale ab ipso Veneto scriptum, habet *M. Gio: Baptista Ramusio, nel secondo volume delle navigationi, & viaggi da esso raccolti.* nam lib.2, fol.45, cap.68, ubi describitur diligentissimè *Quinsai* à Marco Paulo Veneto ut sequitur: *Et è situata in questo modo, che hà da una banda un lago di acqua dolce, qual è chiarissimo, e dall' altra un fiume grossissimo.* Ecce lacum non intrà urbem, sed ad latus urbis ponit, uti etiam *fluvium* ingentem ad aliud latus, qui fluvius est, quem mappa nostra ostendit Cientang dictus, folio autem 46. ita dicit. *D'interno a questo lago vi sono fabricati bellissimi edificii, e gran palagi dentro, e di fuori mirabilmente adorni, che sono di gentilhuomini, e gran maestri. Vi sono anco molti tempii de gl' Idoli, con li loro monasterii, dove stanno gran numero di monachi che gli servono; sono anco in mezzo di questo lago due Isole, sopra ciascuna delle quali vi è fabricato un palagio con tante camere, e loggie, &c.* Et paulò post: *oltre di questo si ritrovano in detto lago legni, overo barche in gran numero, grandi, e picciole per andare a solazzo, e darsi piacere, &c.* Et infrà ait: *Et veramente l'andare per questo lago dà maggiore consolatione, & solazzo, che alcun' altra cosa che haversi possa in terra, perche giace da un lato a longo della Città, di modo, che da lontano stando in dette barche si vede tutta la grandezza, & bellezza di quella.* Quid clarius dici possit? aut quæ lacus, & urbis hujus melior, & exactior descriptio? unde omninò confirmatur *Hangcheum* nobilissimam *Quinsai*, & hunc amœnissimum lacum esse, *Si lacum* ut patebit ex illius descriptione inferius. Nos ad reliqua argumenta procedamus. hæc est illa urbs, quæ intra mœnia montem habet ad Australem partem *Chinghoang* dictum, in quo turris illa cum custodibus, ubi horarum spatia clepsydra metiuntur, & quot horis tabella exponitur, aureis sesquipedalibus litteris inscripta: hæc ipsa urbs est, cujus plateæ omnes quadratis sunt stratæ lapidibus; hæc quæ in paludoso jacet loco, pluribusque canalibus navium capacibus dividitur; hæc demum, ut reliqua prætéream, ex qua Imperator ad mare fugit per fluvium ingentem *Cientang*, cujus latitudo Germanicum excedit milliare, fluitque ad Australem urbis partem, ut nec hic omnino desit fluvius, quem *Venetus Quinsai* suæ adscripsit, inde in mare versus ortum prorumpit, à quo tantum omnino distat hæc urbs, quantum eam distare *Venetus* voluit. Addo urbis ambitum centum eoque amplius occupare milliaria Italica, si maxima suburbia annumeres, quæ ab omni parte latissime excurrunt, unde ad quinquaginta Sinica stadia conficies à Borea in Austrum recta obambulando, per frequentissimas plateas, in quibus nihil à populo domibusque vacuum reperturus sis: eodem fere modo ab occasu in ortum pergere licet. Cum ergo ex Sinica historia tempus, nomen, descriptio, magnitudo, cæteraque omnia hanc urbem esse *Quinsai* demonstrent, nullus amplius relinquitur dubitandi locus; sed plura tamen etiam de his dicenda sunt, ubi *M. Pauli Veneti Cugui, Quelinfu,* & *Fugui* attigerimus.

Sed unum addam, nimirum ipsum etiam nomen Regis à *Veneto* notatum, nostram de *Quinsai* opinionem non solum non reprobare, sed potius confirmare; nam *Venetus* Regem, qui ad mare fugit, *Fanfur* vocat, Tartarorum more addita littera R. unde alii Autores scripsere *Fanfu*, quod nomen omninò Sinicum est, estque illud quo omnes è familia, ac prosapia Regum in Sinis vocantur, nam 王 *Vuang* 府 *fu* Regio, Domum seu Regiam prosapiam significat, quo nomine etiam nunc Regii consanguinei vocantur. Ita autem hunc Regem vocabant Tartari, & non Imperatoris nomine, quia à Sinis Australioribus erat electus, postquam Antecessores illius jam omnes Boreales Provincias amisissent; Fuit autem hic Rex ex *Çunga* familia decimusquintus, & à Sinis cum esset in Regem electus *Tuiçúngus* dictus. At Tartari, ut dixi, nolebant Imperatoris nomine vocare, quia Imperii maximam ipsi habebant partem, & ex sua stirpe jam coronatum Sinarum Imperatorem, ac proinde *Vangfu*, hoc est Regulum, seu è regio sanguine tantum nominabant.

Cæterum hic præter innumeros, ut supra dixi, maximosque pontes passim arcus triumphales obvii sunt, ex quibus una sola urbis platea, quam majorem vocant, trecentos continet, magistratus bene gesti aut monumenta, aut civium ob indeptam dignitatem præconia quasi publica, aut ex ipso Imperatoris mandato ob præstitam

egre-

egregiam in Republica operam erectos, idque in plateis celebrioribus & frequentioribus locis, superbis saxorum molibus assurgentes, vario opere ac insigni arte cælatos; Gothica illis ut plurimum Architectura est; tres semper fornices continent, majorem in medio, ab utroque latere minores, per quos ut per portas amplissimas patet iter; utrimque leones aut alia ornamenta marmorea arcuum latera armant, supra undique larvæ, aves, flores, serpentes ita sculpti sunt, ut inspectantibus omnibus moveant admirationem; spatia à figuris vacua eleganter perforata sunt, subindeque minutioribus rebus seu sculpturis quasi in aëre pendentibus ornata: sæpe quidem ego miratus sum quo pacto ingentes ita lapides perforarint, ut etiam ex illis plurium annulorum quasi catenam efformarint: tribus plerumque totus arcus contignationibus distinguitur, à tergo & à fronte sibi omnino similis & æqualis, ut ex utraque parte eundem arcum videre te credas. tres hæ series Zophoris suis epistyliisque marmoreis ac coronicibus aptissime distinguuntur. in ipso operis fastigio, sub tecto deaurato cæruleo lapide aureis cubitalibus litteris inscriptum legitur Imperatoris nomen, sub cujus imperio erecta est moles: in medio lapis est planus ingentis magnitudinis, cui aureo aut cæruleo colore inscriptum nomen, patria, dignitas, carmina atque encomia illius, in cujus gratiam tota moles condita est. quod si hisce operibus publicis domus ab utroque latere responderent, nihil sane pulchrius reperiri posset, aut magnificentius excogitari ad splendorem urbium aut ornamentum. Quatuor etiam hæc urbs turres numerat majores, novizonias, seu novem contignationibus distinctas; idolorum fana tum intra, tum extra urbem infinita prope sunt multitudine, sacrificulorum esse feruntur ad quindecim millia: serici textores tum in ipsa urbe, tum suburbiis numerantur ad sexaginta millia, cum eisdem reliquæ Boreales civitates urbes, oppida, necnon & pagi referti sint: tantus autem ibi est hominum numerus, ut dicatur urbs absumere quot diebus decem oryzæ saccorum millia. saccus autem quivis tantum oryzæ continet, quantum centum hominibus die uno alendis abunde sufficiat; mille præterea porci indies occiduntur, præter vaccas, capras, oves, canes, anseres, anates aliaque hujusmodi animalia, cum tamen civium magna pars à carnibus abstineat, ex idolorum secta quodammodo perpetuum jejunium observantium: neque minor piscium copia, qui etiamnum vivi per totam urbem deferuntur venales, à quibus etiam sibi temperant abstemii illi Pythagoræi, nihil, quod vivum aliquando fuerit, attingere ausi.

Arcus triumphales.

Textores.

In hac eadem urbe Societas Jesu templum habet Deo dicatum, pro loci amplitudine splendidum atque magnificum, & in suburbiis duo sacella. hisce in locis per quadriennium rei ac fidei Christianæ excolendæ, quam potui, navavi operam, nec in urbe modo ista, sed & in vicinis civitatibus non exiguos relinquere coactus sum Christianis sacris initiatorum greges; à quibus ut ægre & invitus sum avulsus, ita faxit Deus, ut brevi ad meos una cum sociis, ac multiplici fœnore salvus & incolumis reverti possim.

Priscis temporibus hæc regio ad *U* Reges pertinuit, mox *Jue*, paulo post *Cu* Reges occuparunt, *Chin Cient'ang* dixit, *Suius* primum vocavit *Hangcheu*, *Tanga* familia *Juhang*, *Sunga Lingan*, *Taiminga* iterum *Hangcheu*: præest civitatibus octo, 1 *Hangcheu*, 2 *Haining*, 3 *Fuyang*, 4 *Juhang*, 5 *Lingan*, 6 *Yucien*, 7 *Sinching*, 8 *Changhoa*.

Nomina antiqua.

In hac regione ubique fere tigrides adsunt, quas *Marcus Paulus Venetus* leones forte per catachresim appellavit.

Funghoang mons ad urbis Australem partem est, in quo duo altissimi sunt vertices ex adverso sibi oppositi, tantæ altitudinis, ut cœlum ipsum contingere videantur, in utroque tamen idolorum fanum est, & turris novizonia.

Montes.

Xeceng mons in Boreali ripa *Si* lacus, in quo turris magnifica est, & idolorum fanum.

Tienmo mons circa *Lingan* incipit, est ex laudatis apud Sinas ordine trigesimus quartus, ingens omnino ac præruptus, sylvæ in illo sunt complures, amœni in vallibus oryzæ campi; ex eo infinita vis fungorum per totam Sinam defertur, quos sale conditos exsiccant, ac per totum annum servant; cumque eos coquere desiderant, prius aliquamdiu aqua macerant, atque ita denuo quasi recentes evadunt.

Fungi Sinici.

Mons hic ad octingenta stadia excurrit, dicitur *Tienmo*, hoc est cœli oculus, eo quod in duobus verticibus duos habeat lacus, quos oculos, quibus cœlum aspicit, vocant.

Cienking mons prope *Changhoa* est, in quo lacus non admodum magnus ducenta terræ jugera occupat, ex eo celebris, quod aureo-

Pisculi aurei.

aureolos illos pisciculos proferat, quos Sinæ *Kinyú* vocant ex re indito nomine. fulvi enim sunt coloris, certisque intervallis aureis quodammodo lineis intersecta cutis micat, totumque dorsum aureo veluti pulvere inspersum est, eorum magnitudo digitum non excedit, & tamen trifurcata, bifurcata, subinde etiam simplici & latiore cauda armati sunt, unde jucundi amœnique sunt aspectu, magno apud Sinas sunt in pretio, eosque studiose domi, aut in viridariis alunt pulcherrimis ad id adornatis vasis, iis subinde magnates manu sua cibum porrigere sunt soliti, ac quasi nossent, cui domino serviant, quamque suo conspectu voluptatem illi concilient, sæpe, cum adest, colludunt. Cum eo omnibus partibus, quas Sinæ expetunt, perfecti sunt, unius pretium ad duos tresve aureos quandoque ascendit.

Tiencho mons versus urbis occasum partim horridior, partim amœnus, collis illius quidam *Filaifung* dictus totus saxeus est, intusque cavernosus, in eo sunt splendida idolorum fana, ac cœnobia, ac supra tria sacrificulorum millia in iis degere feruntur, ex his quamplurimi perpetuo ac voluntario carcere adstricti cavernas inhabitant, quibus reliqui cibum subministrant, quem anachoretæ illi funi alligatum sursum adducunt, cum ad ipsas cavernas ascensus vix, ac ne vix quidem pateat. Eodem fere modo ab accedentibus spectatoribus stipem accipiunt, sæpeque sat lautam, hic enim locus toto anno ac præcipue mense Mayo frequentatur ab advenis ac hospitibus Sinis, quos credula superstitio eo allicit. *Filaifung* collis dicitur, quod volando venire significat, nomine ab Indo quodam sacrificulo desumpto, qui cum primum illum vidit, dixisse fertur; hic collis est, quem in India desideramus, huc profecto advolavit.

Flumina.

Si lacus celebris, qui lætitia indigenas & advenas beat, is primum hic sibi locum vendicat, quod in ejus orientali ripa urbs ipsa jaceat: relicta tantum via strata lapidibus septem stadia longa lacum inter & mœnia, commodissima ad deambulationem: lacus totus quadraginta stadia suo ambitu complectitur, undique vel mœnibus vel montibus cinctus instar amœnissimi theatri, ex quibus rivuli quidam ignobiles suo quique alveolo distincti delabuntur, circum ipsos montes, fana, palatia, cœnobia, Musæa, sylvæ, sepulchra hortique amœnissimi spectantur; ripæ lacus latissimis viis stratæ quadratis lapidibus, atque intra ipsum lacum viæ ex eodem deductæ sunt relictis pontibus ad transitum navium, ita ut totus lacus etiam pedestri itinere lustrari possit. Vias hasce utrimque arbores ad lineam collocatæ inumbrant, persicorum pomorum vel salicum sunt, ubique podia, meniana, similiaque pro deambulantium commodo continent: nescias sane, quid prius in illo laudes, naturæ an artis, quæ naturæ opus auxit aut superavit potius, miram elegantiam: aqua tota crystallina omnino, ac pellucida est, ut in ipso fundo etiam minutissimi scrupuli appareant; ubi circa ripas humilior est, *Lien* floribus contegitur; ex lacu navibus non patet exitus, per parvulos enim tantum rivos aqua emittitur ad Boream urbis, qua fossa ac canales replentur, in eo tamen quamplurimæ fabrefiunt naves, quæ inaurea palatia haud immerito dixeris, adeo coloribus variegatis, auroque splendidissimo nitent omnia, quæ omnem ad se trahunt vehuntque conviviorum, spectaculorum, ludorumque apparatum, adeo ut nihil omnino sit, quod non hic helluones, sympotæ, voluptatisque mancipia affatim reperiant: naves à rebus omnibus instructissimæ, lætæ ac securæ lacum perambulant, procul omni naufragii tempestatisque metu amandato, nisi quod forte ex largiori potu aut delitiis immineat. minime ergo mirum quod Sinenses hunc locum atque urbem hortum genialem, seu terræ paradisum vocent.

Lacus amœnissimus.

Naves delitiosæ.

Che fluvius huic Provinciæ nomen dat, eamque mediam fere secat; at prope urbem mutato nomine *Cientang* dicitur, & ubi originem ducit in *Hoeicheu* urbis montibus, *Singan*: hunc fluvium die decima octava octavæ Lunæ (ea in nostrum Octobrem incidit) stupendus ac vehemens maris æstus concitat ad ipsam usque urbem, ut vel hinc Philosophi copiosam* disputandi materiam haurire possint; toto quidem anno æstus magnus observatur, at hic & aquarum vi & violentia plurimum reliquos superat: ingentes enim ac montium instar ingrediuntur undæ, quæ fragorem ac murmur edunt maximum, naves omnes, quas transversas occupant, invertunt ac mergunt, demum adeo famosus est, ut ea die circa quartam pomeridianam tota civitas præfectique accurrant, ac maxime exteri, aut advenæ, si qui sint ut prodigiosam hujus diei æstus vehementiam coram oculis usurpent. unde facile conjicitur æstum maris, tametsi Lunæ periodis utcumque se accommodet,

Æstus maris singularis.

non à Luna tantum, sed & ab ipsa constitutione orbis nostri terraquei, varioque flexu & recessu littorum, imo & à vario stellarum aspectu atque influxu, subterraneisque exhalationibus ac qualitatibus inde ortis, dependere: cumque mense Octobri maxima fere fiat mutatio temporis, æstate autumnoque in hyemem paulatim declinante, totus quidem hic orbis noster videtur id quodammodo sentire, atque ipse turbari maris fundus, varie affectus pro varia positione climatum atque terrarum, uti in India videmus hyeme imminente Oceanum quasi solito magis irasci, arenamque adeo copiosam in littora evomere, ut portus fere omnes occludat, quos ineunte æstate iterum aperiri, detergique arenas videmus: id quoque circa promontorii Bonæ spei littora navigantibus, statis anni temporibus, quibus certæ cœli, ventorum, marisque tempestates sunt, longe magis fit manifestum. sed hæc meteororum auctoribus philosophorumque speculationi ac contemplationi relinquo.

Ad Boream urbis, ubi per cataractam aqua lacus emittitur, si quando ob nimias excrescat pluvias, templum idolorum superbissimum visitur *Chaoking* dictum, in quo assiduæ nundinæ sunt rerum præstantissimarum, rariorumque tum ex Sina, tum ex reliquo orbe allatarum, quæ omnia si cum cæteris hujus urbis minutiis describere velim, libro opus erit, quare hic ego manum nunc tollo de tabula.

Secunda Urbs
KIAHING.

Situs ac commoditas.

PEramœno ac fertili agro sita est *Kiahing* urbs, cujus territorium undique à lacubus arteque derivatis canalibus rigatur. bombycum etiam hic ubique adeo frequens est educatio, ut veris tempore nulla ab iis vacua sit domus. urbs ipsa jacet in aqua dulci, ac ædificiorum splendore, atque amplitudine, opibusque floret, intra ipsa mœnia derivati quaqua versum canales plurimis pontibus strati sunt, ripæque, ut supra sæpius diximus, solidis saxis ornatæ, navibusque per aquas, ac per eas pedibus iter est. Illud hic rarum, quod plateas omnes porticus eleganti opere structæ ambiant, sub quibus etiam pluvio cælo siccus tutusque ambules. Arcus etiam hic triumphales sunt plurimi, tum extra, tum intra urbem: ad occasum urbis in ipsa canalis ripa uno tantum loco, per quem navibus itur, quindecim è solido marmore quadrata mole extructi; ubi etiam pons visitur multis arcubus constans, septuaginta passus Sinicos longus; inibi novizonium illustre est. fossarum ripæ omnes quadrato sectoque lapide exornatæ, totque ad eas pontes, ut ipsemet ex hac urbe ad metropolim navigans, adnumeraverim nobiliores plurimorum arcuum quadraginta, nam minores innumeri occurrunt.

Regit hæc urbs civitates sex, 1 *Kiahing*, 2 *Kiaxen*, 3 *Haiyen*, 4 *Pinghu*, 5 *Cungte*, 6 *Tunghiang*. olim hæc urbs *Sucheu* urbi subjecta erat civitas, sub *Tanga* familia *Hangcheu* subfuit, deinde opibus ac magnitudine aucta sub *Taiminga* urbis dignitatem consecuta est, ac *Kiahing* dicta, cum antea *Siucheu* vocaretur. Nascitur per totam hanc regionem in stagnantibus aquis fructus figura rotundus, *Peci* Sinæ vocant, cujus magnitudo castaneam nucem haud multum excedit, pellis subtilissima pulli coloris nucleum vestit, cujus intus candidissima caro est plena succi, gratique saporis, durior est quam pomorum vulgarium, ac parumper acida; si simul cum hoc fructu cupream monetam ori immiseris, dentibus eadem facilitate, qua fructum, comminues, ac in pulpam comestibilem rediges, mira naturæ vi, mihique alias ipso experimento sæpe comperta. Capiunt in hujus urbis territorio autumnali tempore aviculas, *Hoangcio* dictas, quas vino illo suo ex oriza cocto macerant ac condiunt, ac per totum annum divendunt. Serici ac cancrorum præstantissimorum magna hic ubique copia.

Fructus Peci.

Hoangcio aviculæ.

Utai collis ad urbis Barrolybicum in lacu *Tiensing*, qui urbi pro fossa est, visitur: in eo quinque domus relaxandis animis à præfectis exstructæ, quas convivia celebraturi frequentant, inde colli *Utai* nomen, quod quinque altaria significat, nullus alius in plana hac regione memoratu dignus occurrit.

Montes.

Mare *Haiyen* civitatis fines attingit, ubi ingentes salis campi sunt, plurimumque salis conficitur.

Flumina.

Tertia

Tertia Urbs
HUCHEU.

Hucheu urbs nomen à *Tai* lacu habet, ad cujus ripam jacet, *Hu* enim lacum significat. Censetur inter urbes maximas, mercatura opibusque floret, ædium splendore, camporum, aquarum, ac montium amœnitate spectanda. Panni serici ingens hic fit copia. Præclarissimi concinnantur hic penicilli, quibus tota Sina ad scribendum utitur; *Cha* etiam folium, quod *Kiaicha* vocant, illic carpitur. Fana heroibus dicata sunt quinque, primarium est intra mœnia, quinque primorum Sinensium Imperatorum. Fuit olim *Hucheu* regio regnum sui juris *Tung* dictum, illud *U* reges occuparunt, dein *Jue*, tum *Çu*, *Cina* familia *Uching* dixit, hodiernum nomen dedit *Tanga*, *Sunga* vocavit *Chaoking*, *Taiminga Hucheu* restituit. Quanta illic sit serici vis, vel inde collige, quod vel sola civitas *Tecing* solvat pro decimis sericorum pannorum quingenta aureorum millia. sex civitatibus jus dicit: 1 *Hucheu*, 2 *Changhing*, 3 *Gankieo*, 4 *Tecing*, 5 *Hiaofung*, 6 *Uukang*.

Antiqua nomina.

Quarta Urbs
NIENCHEU.

Regio hæc ut plurimum montibus collibusque inæqualis est, unde hæc urbs cum reliquis hujus Provinciæ nec magnitudine, nec incolarum frequentia, facile potest comparari: prodest tamen illi, quod duo flumina navium capacia prope ipsa mœnia in unum coëant, celebris etiam est ac ditescit à papyri, quam distrahit, mercimoniis: cuprum hic in montibus effoditur, plurimumque colligitur gummi illius seu glutinis *Cie*, quod stillat ex arboribus, persimileque est lachrymæ terebinthi, æstate colligitur, purgaturque à Sinis, & quo volunt, colore inficitur: optimum est quod aureo flavescit, proximum quod nigerrimum; cum nondum siccatum est, venenatam quandam emittit exhalationem, cui non adsueti intumescunt ac pallent vultu, sed facilis est curatio; cum tinguntur arculæ tardius siccatur, nisi in humido sit loco, semel autem exsiccatum numquam amplius liquefit, quam vero res sit elegans, munda ac splendida, jam pridem didicit Europa ex capsulis quæ è Japonia atque ipsa Sina plurimæ fuerunt advectæ.

Gluten Sinicum.

Præest hæc urbs civitatibus sex, 1 *Nieucheu*, 2 *Xungan*, 3 *Tungliú*, 4 *Suigan*, 5 *Xeuchang*, 6 *Fuenxui*. Ipsa urbs olim *Sintú* dicta est, à *Tanga* familia *Locheu*, à *Sunga Niencheu*. Ad ripam fluminis amœnissimus collis est, in quo septizonium, ac idolorum fanum, quatuorque variis heroibus habet hic tractus dicatas ædes.

Ulum mons ad Boream urbem quasi ambit, duos inter se vicinos lacus continet: unius aqua pellucida est, alterius semper turbida.

Montes.

Fuchung mons est in valle *Kieuli*, per quam fluvius transit, in eo celebris admodum Philosophi *Niençúlin* fana ac aulæ conspiciuntur, quæ omnia in tanti viri memoriam à præternavigantibus adiri solent: ibi illum piscationi operam dedisse scribunt, cum se occultaret ne oblatas ab Imperatore summas præfecturas cogeretur admittere, ad quas Imperator demum sponte ad eum veniens invitavit, simulque in eodem paupere lecto cum eo somnum cepit; tanti olim etiam apud Sinas probos doctosque viros vel summi Imperatores æstimabant.

Philosophiæ æstimatio.

Quinta Urbs
KINHOA.

Huic urbi nomen fabula dedit: ajunt enim in monte prope hanc urbem Venerem stellam, cum alia quam *Vúniu* vocant (quod mulierem militarem sonat, Palladem dicerent Poëtæ) de flore quodam contendisse, & quia victrix fuit Venus, quam *Kinsing* sive auream stellam dicunt, inde *Kinhoa* urbi nomen factum, quasi Veneris florem dicas.

Urbs olim fuit ingens ac ædificiis splendida, sed his ultimis bellis à Tartaris, quibus egregie diu restitit, tantum non tota fuit combusta, modo tamen utcumque instaurata est, ac imprimis pons ingens ad occasum urbis, qui pristinum recuperavit splendorem. Ad *Lanki* civitatem etiam pons visitur navibus impositus, antiquo, quem Tartari incenderant, melior. Optimus hic totius Sinæ pro potu coquitur ex oryza & aqua liquor: pruna majora exsiccata cum reliquis communicat, ac præstantissimos petasones, qui toto hoc imperio maxime

maxime in pretio habentur. complures hic etiam Christi sunt cultores, templumque ibi inchoatum fuit meo tempore in *Lanki* civitate.

Regit urbs hæc civitates octo, 1 *Kinhoa*, 2 *Lanki*, 3 *Tungyang*, 4 *Yú*, 5 *Jungkang*, 6 *Vúy*, 7 *Pukiang*, 8 *Tangki*, quæ omnes partim in montana regione, partim plana sitæ sunt, oryzæ omnes feracissimæ. gens hæc præ Sinis reliquis audax est ac generosa, ab iis id abunde demonstratum contra Tartaros; at ea de caussa multa passa est ipsa regio, ab hostibus misere vastata.

Nomina antiqua. Sub regibus eodem, quo superior, loco habita est: *Leang* rex primus *Kinhoa* dixit, *Suius Vúcheú*, *Sunga* familia *Paoúú*, desumpto semper ab una è duabus illis stellis nomine, *Taiminga* familia rursum *Kinhoa*.

Flos Mogorin. Nascitur hic flos ille, quam in India Lusitani *Mogorin* vocant, (Latinum illius nomen nusquam reperio,) in parva nascitur arbuscula, flos albissimus *Gensemino* non absimilis, nisi quod plura habeat folia, odorem exhalat suavissimum *Gensemino* multo nobiliorem, adeo ut ab uno flore tota domus redoleat: est apud Sinas nec immerito in magna æstimatione, illiusque arborem ab hyemis intemperie in vasis ad id destinatis, diligentissime custodiunt.

Sebum in arboribus. Quod mihi hic sæpe admirationem movit, pinguedo quædam est ex arboribus nata, ex qua veluti ac sebo optimæ atque albæ fiunt candelæ, quæ manus non inficiunt, etsi tangantur, nec fœtorem exhalant dum extinguuntur, à Sinis *Kieuyeu* vocari solet; arbor sat magna est, pyros nostrates & foliis & forma refert, florem album emittit, ut cerasi, florem excipit bacca rotunda omnino, ceraso mole æqualis, tegit hanc subniger & tenuis cortex, alba intus caro est, quæ, cum bacca matura est, disrupto cortice apparet: has baccas colligunt, ac aqua calida excoquunt, tum caro liquefit, at frigida iterum, omnino ut sebum solet, spissatur; nucleus dein remanet, hunc oleo plenum, ut olivas nos, macerant, & oleum non ad cibos, sed ad lucernas aptum exprimunt. hyberno tempore arboris folia, quasi cuprea essent, omnino rubescunt, amœnus mihi horum foliorum sæpe visus est conspectus, cum quasi integræ sylvæ rubræ appareant: demum folia decidunt, & quia pinguedine quadam prædita sunt gratissimum ovibus ac vaccis cibum præstant, ex quorum esitatione egregie pinguescunt.

Montes. *Kinhoa* mons trecentorum & sexaginta stadiorum, in quo stellarum fingitur fuisse contentio, est in *Taoxu* libris loco sextus & tricesimus, ad urbis Borealem partem.

Ad *Yu* mons omnium maximus est *Kiming*, quem ut conscendas, novem dierum iter est: in summitate palatium visitur.

Prope *Pukiang* mons est *Sienhoa*, in quo vixisse scribunt *Hoangtii* antiquissimi Imperatoris filiam, ac inibi ad mortem usque perpetuam virginitatem conservasse. Mira res dictu hæc apud Sinas, & antiquissima, si modo vera.

Circa *Jungkang* mons est *Fangnien*, ad quem per scalam lapideam patet ascensus, in summitate ingentem supra vallem pontem habet.

Flumina. *Ho* amnis originem habet prope *Cinyun* civitatem urbis *Chucheu*, inde urbem ad occasum præterfluit, mox ad *Lanki* civitatem tendit.

Sexta Urbs
KIVCHEV.

Kiucheu urbs ad orientalem ripam *Changyo* fluminis jacet, *Fokien* Provinciæ confinis est, ex qua in eam iter per montes est arduum admodum, ac difficile trium dierum spatio: *M. Paulus Venetus Fokien* Provinciam *Fugui* vocat, & hanc urbem *Cugui*. Tartari enim loco *Cheu*, *Gui* dicunt, unde facile ex *Kiucheu*, *Cugui* nomen à *Veneto* formatum: clarius id patet ex nomine urbis *Quelinfu*, ad quam superatis montibus *Venetus* venit, est enim ingens urbs, quam Sinæ etiam nunc *Kienningfu* vocant, de qua agam in sequenti Provincia. Est etiam hæc urbs *Kiucheu* hujus Provinciæ Australissima, unde eam *Venetus* ultimam in *Quinsai* dixit. Ex his ergo nostræ sententiæ veritas aperta satis & probata videtur, nec amplius Europæis dubitandum de *Catayo*, *Mangin*, *Quinsai* aliisque similibus ignotis hactenus locis, in quorum Geographica descriptione, delineationeque tanti hactenus commissi fuêre errores, & non pauci falsi *Venetum*, licet immerito, arguere sunt conati. maneat ergo *Veneto* suus honos ac laus, quam meritus est, licet hinc inde nomina Tartatorum more mutarit, cum Sinice ea illi minime pronuntiarent, sed de his plura adhuc infra.

Sub regibus hæc urbs veluti antecedens, variam habuit fortunam: *Cina* familia post totam Sinam occupatam *Taimo* vocavit,

Hana

Hana Singan, hodiernum nomen habet à *Tanga*; quinque præest civitatibus, 1 *Kiucheu*, 2 *Lungyeu*, 3 *Changxan*, 4 *Kiangxan*, 5 *Caihoa*.

Montes. *Lano* mons ad Australem urbis partem jacet, in *Taoxu* libris ordine octavus. *Civen* mons prope *Kiangxan* civitatem originem habet, inde ad trecenta eoque amplius stadia excurrit: per hunc ad *Fokien* iter est, ubi multi iique difficiles superandi montium vertices, maxime autem præruptus ac arduus *Sienhoa* dictus, quem ad cochleæ modum gradibus trecentis & sexaginta ad faciliorem ascensum elaborarunt, totidem enim plana lapidibus strata in eo reperiuntur: in vertice magnificum idolorum fanum est, ac tabernæ non paucæ, ubi cibus potusque pro viatoribus parata semper annona est.

Serpentes ac tigrides minime noxii. Prope *Caihoa* mons est *Cutien*, in quo tigrides, ac serpentes minime noxii vivunt: illæ, cum alibi in circumvicinis regionibus ferocissimæ sint, hic ita mansuescunt, ut nulli omnino noceant; serpentes vero veneno carent.

Flumina. Prope *Caihoa* lacus parvus est, *Pehiai* dictus, ab albis cancris quos producit, *Pehiai* enim Cancrum album significat.

Septima Urbs
CHVCHEV.

INgentes ac densos montes includit hæc Regio, inter quos valles quam plurimæ oryzæ feracissimæ, cumque difficulter educi possit, vilissimo ibi emitur pretio. Urbs ipsa *Chucheu*, populo satis frequens, ad ripam *Tung* amnis jacet, per quem ad mare usque navibus patet iter. Luci ac annosæ pinorum sylvæ hic imprimis circa prærupta ac nemorosa loca spectandæ sunt, ex quibus materiam pro domibus navibusque fabricandis petunt Sinæ: ajunt ad civitatem *Sunghiang*, (hoc est pinorum terram) tantæ molis reperiri arbores, ut octoginta hominum amplexum earum crassities superet, imo & esse, quæ intra trunci cavitatem octo & triginta homines capiant. Jura dat civitatibus decim, 1 *Chucheu*, 2 *Cingtien*, 3 *Cinyún*, 4 *Sungyang*, 5 *Suichang*, 6 *Lungciven*, 7 *Kingyven*, 8 *Junho*, 9 *Sivenping*, 10 *Kingning*. Tria habet nobiliora fana: vasa lutea ex paulo crassiori quam porcellana terra, ibi fiunt ad plebejorum usum. Regum temporibus pœne eandem sortem ac locum cum superiori habuit: *Tanga* familia *Hocheu* dixit, *Taiminga* hodiernum dedit nomen.

Montes. *Hoçang* mons ingens, in *Taoxu* libris ordine decimus octavus, trecenta occupat stadia; ejus altitudinem ad mille perticas scribunt pertingere Sinæ Geographi, verticemque nullis meteororum varietatibus esse obnoxium, à tonitru & pluvia securum; incipit prope *Cinyún*, & ad mare usque sese extendit. in reliquis montibus nil admodum est notatu dignum.

Flumina. *Lung* torrens ad occasum *Suichang* incipit, inde urbem ad Austrum attingit, ubi *Tung* torrentem excipit, & fit *Vonxa* fluvius.

Arundines seu cannæ Sinicæ. *Luyeú* rivus prope *Kingning* magnis arundinum seu cannarum sylvis virescens, Sinæ eas communi nomine *Cho* dicunt, licet quamplurimæ earum sint species, Lusitani in India *Bambu* vocant, aliæ aliis majores sunt; harum omnium durities prope ferrea est, adeoque sæpe crassæ sunt, ut duabus tribusve manibus stringere nequeas: quamvis autem intus vacuæ sint, suisque nodis articulisque distinctæ, firmissimæ tamen sunt, ac securissime imposita onera sustinent; altitudo sæpe trium aut plurium cannarum est, minores aliæ mediam perticam haud excedunt, aliæ sunt trunco ac ligno viridi, aliæ nigerrimo, atque hæ plerumque solidæ, quales in India *Bambu* marem vocant. Amœnissimum adspectum præbent tum folia oblonga forma gladioli, summitatibus nonnihil inflexis atque incurvis: tum quia toto anni tempore virides sunt; licet autem adeo duræ sint arundines, facile tamen in licia tenuissima, ac veluti membranulas ab artis peritis dissecantur, ex quibus storeas, capsulas, pyxides, pectines aliaq; similia utensilia minutissima subtilissime contexunt. Ex eisdem domos suas facile construunt, iisque pro ædium minorum postibus utuntur, ex tenuioribus hastilia fiunt cuspide præferrata, atque ad sexcentos alios usus, quorum nimis prolixa esset narratio, adhibentur. Ad aquarum canales, ductusve struendos, cum à natura perforatæ sint, aptissimæ sunt: ac pro tubis opticis longioribus ob levitatem, rectitudinem, crassitiem ac firmitatem excellentes prorsus ac singulares. Cum recens hæc canna absecta comburitur, aquam emittit, uti ligna omnia, plurimum à Medicis expetitam: epota namque putrescentem sanguinem, locoque motum vel casu, vel percussione, è corpore expellit:

tenera ac primum nata, priusquam folia emittat cum carne adhibetur pro cibo velutì rapæ, aut cocti cardui, quin & aceto macerata toto anno servatur tamquam condimentum, seu obsonium ad delicias, non secus ac minores apud nos cucumeres, aut fœniculum.

Octava Urbs
XAOHING.

Situs ac pulchritudo urbis.

Xaohing urbs magnitudine metropoli cedit, nitore superat: celebris est à virorum in ea eruditorum ac litteratorum numero, ingeniorumque præstantia. Situ jacet commodissimo, in medio aquæ potabilis, *Venetam* urbem, si quæ alia refert, nisi quod aquarum aliarumque rerum omnium munditie longe exsuperet, tota albis, quadratis, sectisque constat lapidibus, Tiburtinis simillimis; nulla absque canali aut ductu aqueo platea est, utrimque viæ adstant latissimæ eodem lapide stratæ; domuum parietes eodem structi sunt, quod alibi apud Sinas insolens omnino, ac vix videtur; pontes ex eodem intra mœnia quamplurimos numerat, at majores etiam non pauci extra ipsam urbem sunt, debitis locis ac ordine ipsi canali ac aquæductibus superimpositi: per canalem hunc navigatur ad triduum ortum versus, ripæ utrimque quadrato illo lapide firmatæ, adornatæque sunt; exitus illius aggere lapideo obstructus est, ne aqua omnino effluat, atque alveum deserat, ibi ad adductum constituti sunt, qui naves attollant, ac in canalem sequentem promoveant: per hunc ultimum parvis navigiis ad *Ningpo* urbem patet iter, majores mare transeunt; quatuor autem hujuscemodi obices in hoc itinere superavi sæpius; ac prope hanc urbem non paucos vidi eosque magnificos arcus triumphales, ad quos construendos magna hic facilitas est: nam circa *Siaoxan* civitatem latomia est, ex qua maxima Sinarum pars suos lapides petit. Urbis ager maxima ex parte planus est, fluminibus aquisque irriguus. Urbs ipsa cumprimis nobilis, magnificisque operibus tum publicis, tum privatis ornata; aëre fruitur puro ac salubri; causidicos & causarum astutissimos patronos toti reliquæ Sinæ suppeditat, adeo ut vix præfectus sit ullus, qui artium harum peritum ex hac urbe apud se non habeat. Regit civitates omnino septem, 1 *Xaohing*, 2 *Siaoxan*, 3 *Chúki*, 4 *Juyao*, 5 *Xangyu*, 6 *Xing*, 7 *Sinchang*. Hodiernum nomen primum dedit *Sunga* familia. *Tanga Jucheu* dixit. Fana in ea quinque & *Novizonia* duo, sumptuosa omnia ac splendida.

Gentis indoles.

Montes.

Hoeiki mons ad urbis Notapeliotem vergit, undecimus ordine in *Taoxu* libris, à quo olim *Hoeiki* Provincia nomen habuit, quæ has orientales regiones includebat. *Suming* mons à quatuor cavernis versus cœlum apertis, Quatuor claritatum nomen obtinet; ex nominatissimis est ordine nonus; vertices in cœlum erigit varios, ad ducentos & octoginta. ejus altitudo duodeviginti perticarum millia æquare dicitur, ducenta & octoginta stadia occupat, circa *Juyao* incipit, inde *Ningpo* versus excurrit. Prope *Xing* civitatem mons est *Tanchi*, in *Taoxu* libris ordine vigesimus septimus: à rubro lacu nomen habet, illius enim aqua ad instar sanguinis rubet, *Tan* Sinis rubrum, *chi* lacum parvum significat. Circa *Sinchang* est mons *Vocheu*, ordine decimus quintus. Ibidem *Tienlao* mons ordine decimus sextus. Illud autem notandum, hosce laudatos montes in *Taoxu* libris ob superstitionem, multis ac splendidis idolorum templis, ac cœnobiis sacrificulorum famosos esse, in quibus tanta est sæpe ædificiorum frequentia, & sacrificulorum copia, ut merito inspectantes rapiat in admirationem.

Nona Urbs
NINGPO.

Ningpo urbs illa est, cujus promontorium olim Lusitani ob commercia frequentare soliti, nonnihilque corrupto nomine appellare *Liampo*: ex eo promontorio Japoniæ montes sereno cælo conspici posse volunt, at nimia in tabulis nostris satisque accurate discussa distantia aliud suadet. Sub *Jue* regibus *Jungtung* dicta, *Cina* familia *Hoeiki* Provinciæ adscripsit, *Tanga Mingcheu*, *Sunga Kingyuen*, *Taiminga Ningpo* dixit, quod placans undas significat: hujus aër maxima ex parte purus & salubris est, tota regio amœna & aprica, solum maxime fertile, præterquam qua saxis & rupibus horridius. Piscibus marinis tum recentibus, tum sole tostis abundat, ostreisque omnis generis, astracis etiam cancrisque, ex his multa toti imperio subministrat: toto anno mugiles, æstate ineunte piscem capiunt *Hoang* dictum, hoc est lu-

Qualitas.

Montes.

est luteum, à colore indito illi nomine, adeo vero tenellus est, ut extra aquam ne ad horam quidem maneat incorruptus; cum vero ob saporis suavitatem ac delicias ubique expetatur, glacie eum involvere, atque ita divendere solent, eam ob rem etiam hyberno tempore glacies servatur. Est hæc urbs commendata imprimis ab incolarum ingenio: non paucos enim singulis examinibus dat imperio doctores. Gens tota cibis salsis lubentissime vescitur, atque hinc de illius incolis dici ac jactari vulgo solitum, ne post mortem quidem eos corrumpi, cum adhuc in vivis existentes sale se adeo copioso condierint. Regit urbs civitates quinque, 1 *Ningpo*, 2 *Çuki*, 3 *Funghoa*, 4 *Tinghai*, 5 *Siangxan*. Ut autem præclarissima urbis ædificia tacitus prætercam, vel solum suburbium, quod Boream spectat, ad quatuor stadia extensum est; ad ripam Orientalem canalis arte facti, ubi non pauci triumphales visuntur arcus, duæque turres septizoniæ; ipsæ vero ripæ secto lapide ad viginti stadia septæ sunt; sub exitum, ne aqua in fluvium defluat, obice sustinetur, per quem naviculæ in fluvium adducuntur. Hanc urbem non raro adii, quod plurimos Christi cultui addictos numeret: in ea lacus duo, alter Lunæ, Solis alter nomine, longissimis pontibus superantur, licet tota urbs deductis undique canalibus, etiam navigiis ubique sit pervia.

Çuki etiam civitas multos continet, qui ab Idolorum vepretis ad læta Christi pascua accessere: in ea pons quidam est pilis lapideis & ligneis trabibus constans, perticarum centum longitudine; alter ibidem est altissimus, triplici arcu constans, totus ex solido lapide.

Montes. Prope *Çuki Lu* mons est, in quo superbum idolorum est fanum, quod gens superstitioni dedita frequentat, ut somnia fortunata, somniorumque certis præmissis ritibus petat explicationem.

Suming mons, de quo supra, ad urbis hujus Notolybicum usque pertingit.

Flumina. Prope *Tinghai* civitatem mare *Quonmuen* vocatur, in quo tersus lapis ad modum columnæ exsurgit, cum naves transeunt, nescio qua superstitione ducti nautæ aliquid in mare projiciunt, ni faciant, infelicem sibi futuram navigationem rati.

Qualitas.

Scribunt prope *Tunghoa* stagnum parvum, sed profundissimum esse, *Tapoi* vocant, cujus aqua, si probum civitas sit nacta præfectum, limpida prorsus evadat, ac pellucidior vitro, si malum, turbida & obscura. sed fides horum & similium penes ipsos sit scriptores.

Decima Urbs

TAICHEV.

Amplum hujus urbis territorium est, montibus scatens. sex in eo numerantur civitates, 1 *Taicheu*, 2 *Hoangnien*, 3 *Tientai*, 4 *Sienkiu*, 5 *Ninghai*, 6 *Taiping*. Ipsa urbs in monte exstructa est: Regum tempore modo *U*, modo *Jue* fuit, *Cina* familia *Minchung* adscripsit regioni, *Hana Changgan* dixit, *Tanga Haicheu*, & mox *Taicheu*, quod nomen ad hæc usque tempora mansit. In mari vicino squartiarum pelles colligunt easque, in Japoniam pro acinacum vaginis conficiendis, atque in totam Sinam magno quæstu transmittunt.

Montes. Ad urbis Australem partem *Caicho* mons est, in *Taoxu* libris ordine decimus nonus: prope *Hoangnieu* vero *Gueiyu* mons est, ordine secundus, in illo omnes lapides tum magni, tum parvi figura quadrati sunt, quæ res circa montes plurimum superstitiosos Sinas mire afficit. Prope *Tientai* est mons *Cheching*, qui ordine sextus est in *Taoxu* libris. hic totus fere rubescit. Ibidem in Sinarum montilogio *Taoxu* celeberrimus est ac ordine primus, omniumque, ut putant, felicissimus *Tientai* dictus, à quo ipsi nomen civitati adjacenti inditum. Quanta vero & quam magnifica in eo sint idolorum fana, quamque frequentia cœnobia, haud facile dixerim: hic degunt archimandritæ, seu sectæ, quam externam vocant, capita, ii nimirum, à quibus metempsychoseos errori dediti sua per totum imperium accipiunt sacra, uti qui internam seu moralem tantum transmutationem admittunt ex *Vutang* monte, de quo dixi supra. Montis altitudo ad duodeviginti millia perticarum ascendere creditur; occupat autem stadia octingenta.

Circa *Ninghai* ingens mons est, *Tienmuen* nomine, longus stadia trecenta. Ibidem in mari insula montosa prominet *Tohoan*, quod pretiosum circulum sonat ab optima navium statione ita dicta est, quæ tota ad instar annuli à montibus circumdatur, nullis fere ventorum turbinibus obnoxia, parvo quasi relicto ostio ad navium ingressum. Prope *Taiping* mons est *Fangching*, in quo victus ac prostratus *Jue* Rex privatam deinceps duxit vitam.

Undecima Urbs

VENCHEV.

PRope mare in ultima hujus Provinciæ parte *Vencheu* urbs sita est, ac quia in paludoso jacet loco, & magnitudine ac ædificiorum splendore nobilis est, ideo parva *Hangcheu* vulgo dici solet. navium hic maritimarum copiosissimus est numerus, maximaque incolarum ac mercatorum frequentia: navium enim in magno fluvio commodissima statio est, in quo ad urbis usque mœnia & ultra æstus marini vis percipitur.

Habet hæc urbs sub se civitates quinque, 1 *Vencheu*, 2 *Xuigan*, 3 *Locing*, 4 *Pingyang*, 5 *Taixun*. quarum regio magna ex parte montibus est impedita: at in Australi parte, antequam ad horridos *Fokien* montes pervenias, diffusam longe lateque habet planiciem feracissimam. Cæterum quod hanc urbem infamat, impudens gentis vitium est, & fœdæ ac nefandæ libidinis insolita consuetudo, adeo omni pudore abjecto in his etiam publice peccatur: quamvis autem præfecti nimiam hanc licentiam reprimere sint conati, uti olim lege *Scatinia* apud Romanos cavebatur, semper tamen ad ingenium rediêre. Ostrea illic parva; quod alibi insolitum, aqueis in campis sata crescunt. id hoc modo fit: hujus generis ostrea quædam contundunt, ac deinde guttatim per campos spargunt veluti semina, ex his ostrea deinde suavis saporis nascuntur. Fuit olim hæc Regio *Jue* Regum, mox *U* occuparunt reges. *Leangus Junkia* dixit. *Tanga* familia primum *Tungkia*, mox *Vencheu*, *Sunga Xuigan*, *Taiminga Vencheu*.

Sata ostrea.

Montes.

Ad urbis Notolybicum in flumine mons est *Cúyú*, totus ab aquis cinctus. Supra eum eximium idolorum fanum ac monasterium.


Prope *Suigan* mons est *Siennien*, in *Taoxu* libris ordine vigesimus sextus.

Yentang mons magnus prope *Locing*, in eo lacus est non admodum magnus decem nimirum stadiorum, vocatur *Yentang*, hoc est anserum balneum, quia cum anseres sylvestres pro varia anni tempestate terras mutent, illic transeuntes solent omnino subsistere.


Munimenta.

PRæcipua munimenta sunt, 1 *Chinxan*, 2 *Kinxan*, 3 *Tinghai*, 4 *Quo*, 5 *Ninghai*, 6 *Cioki*, 7 *Sinho*, 8 *Xetie*, 9 *Puontun*, 10 *Çumuen*, 11 *Tungchi*, 12 *Haigan*, 13 *Sining*, 14 *Haifung*, 15 *Nan*. quæ in maris littoribus à Sinis exstructa, contra *Japonum* præcipue incursiones, & ad omnem maris custodiam sunt. Insulæ etiam multæ in mari agricolis & piscatoribus sunt frequentes: omnes illas magnitudine ac incolarum frequentia superat *Cheuxan*, ad quam *Lu* regulus Tartaros fugiens se cum aliis multis recepit; ad eum quamplurimi confugere Sinæ, adeoque ita modo hominibus incolisque referta esse scribitur, ut duo & septuaginta numeret oppida, omnia fere circa maris littora, ubi flumina vel maris recessus commodam faciunt navibus stationem. Sunt ibi jam classes navium non paucæ, & ab equitibus Tartaris securus Rex: ita ex inculta olim insula regnum effectum est non contemnendum. à quo sibi Tartari metuentes, ne in continentem forte erumpant, magnum in vicina civitate *Tinghai* alunt præsidium, & Sinicam sibi subditorum nautarum ac epibatarum classem. Hanc insulam etiam olim potens fuisse Regnum, *Changque* vocatum, scribunt Sinæ; at interdicto illi à Sinis omni commercio, nobilitatem omnem ac vires amisisse suas, adeo ut ultro Sinis sese insula tota subdiderit, quam tamen tum temporis, præter paucos rusticos ac piscatores, incolebat nemo; ab ipsis tamen Sinis eo religionis causa sæpe peregrinantibus superstitiose sæpius invisebatur; idolorum enim fanum, multosque sacrificulos ibidem degentes alebat insula, illisque locus hic nescio qua vi divina, altiorique virtute præditus videbatur.

UNDE-




FOKIEN
IMPERII SINARVM
PROVINCIA
VNDECIMA.
Cum privilegio Sacræ Cæs. Maj. & Ordd. Belgicæ Fœderatæ.
Stadia Sinensia quorum 250 uni gradui respondent
Milliaria Germanica quorum 15 unum Constituunt gradum
Notarum Explicatio.
Metropolis.
Vrbs.
Civitas major.
Civitas minor.
Fortalitia.
Aurifodinæ.
Argentifodinæ.
Ferrifodinæ.
Stanni fodinæ.
M. mons.
fl. F. fluvius.
T. Torrens.
L. Lacus.
Septentrio.
Meridies
Occidens.
Oriens.
KIANGSI
PARS.
CHEKIANG
PARS
QVANTVNG
PROVINCIÆ
PARS.
OCEANVS
SINENSIS.
I. FORMOSA, incolis PEKAN, Sinis LIEVKIEV.
Kienning
Xaouu
Yenping
Fochev
Tingcheu
Changcheu
Cinen cheu
Hinghoa
Foning
Vencheu
Excud: Ioannes Blaeu.



VNDECIMA PROVINCIA,

FOKIEN.



FOKIEN Provincia mari vicina, commodoque ad navigationes ac commercia loco sita, montibus ubique abundat, sed arboribus subinde ac sylvis amœnis, præcipue circa prærupta & nemorosa loca, tumulosque culturæ parum idoneos, ex quibus multam pulchramque fabricandis navibus aliisque operibus aptam petunt materiam: ubique fere aquarum ac fontium sunt scaturigines, quæ ad irrigandos agros oryza fere consitos ac feracissimos facili opera derivantur. ubi commoda planicies à natura deest, eam ars hominumque labor ac industria efformavit, obvii passim sunt montes, quos haud immerito viridia theatra dixeris, ad cochleæ modum aptati sunt plures gradus, velut scalæ, quibus à planitie una ad alteram patet aditus, oriza enim cum non nisi in aquis nascatur, planos omnino requirit campos, quod visu jucundum ac rarum est: sæpe etiam de monte in montem per canales aquas deducunt ad irrigationem necessarias; hos autem canales in ipsis montibus natos, arundines videlicet majores illas ac cannas adhibent. Ejusmodi montium cultura per totam fere Sinam usitata est, at nusquam frequentius quam in hac Provincia propter montium multitudinem.

Sinarum in montibus colendis labor.

Augent hujus Provinciæ divitias, rerumque in ea copiam frequentissima commercia, ac mercatorum sagacitas & industria; vix enim ulli alii, quam ex hac Provincia, mare enavigant Sinæ, aut contra regni leges exteras petunt nationes mercatores, qui Sinici Imperii ditissimas ac plurimas merces evehunt, exterisque, quas adducunt, commutant, aurum nimirum, muschum, gemmas, argentum vivum, sericos, cannabinos ac gossipinos pannos aliaque similia pretiosiora; ad hæc ferrum, cujus ibi copiosæ venæ sunt, chalybem, plurimaque ex iis affabre facta, fusaque instrumenta. Ex hac plerumque Provincia institores illi sunt, qui *Japoniam*, *Formosam*, *Philippinas*, *Celebes*, *Javam*, *Camboyam*, *Syonem* ac similia maris Asiatici, atque Indici loca & Insulas petunt, magnoque quæstu facto ac lucro patriam deinde repetunt, onusti argento, cariophyllis, cinamomo, pipere, sandalo, succino, corallio aliisque: quidquid enim fere à Sinis hactenus obtinuerunt exteri, id ex hac totum derivatum est Provincia, si illa tantummodo exceperis, quæ Lusitani Macaenses ex *Quangtung* habuêre, quæque in eam inde revexere Sinæ.

Commercia Fokiensium.

Quanta autem hic sit majorum etiam navigiorum (quæ *Changpan*, & *Pancung* vocant) copia, vel inde collige, quod Imperatori in Japones bellum meditanti pontem hæc Provincia obtulerit colligatis inter se navibus ex hac, in Japoniam usque, insulam fabricandum: nec dubium, quin reperturi omnino fuissent sufficientes naves, si modo vastum illud ac inquietum elementum, mare inquam, pati voluisset.

Navium ibi copia.

Ex hac Provincia, assiduis jam olim per totam Indiam navigationibus inclyta, *Marcus Paulus Venetus* Indiam ac domum repetiit suam: hæc enim illa est, quam *Fugui* vocat, à *Focheu* metropoli deducto nomine. quin imo Insularum *Eoi* maris ab hujus Provinciæ nautis, à quibus vectus est, eum hausisse notitiam, mihi admodum fit verosimile, à Sinis enim omnes illas lustratas regiones, ac enavigata esse maria, ex illorum historiis plurimisque aliis argumentis mihi certissimum est, & illis Indisque omnino evidens: imo & non obscura indicia Persicum eos adiisse Sinum, ac mare rubrum, quod Erythræum vocant; qua de re alibi tracto fusius. intermissa autem creditur hæc navigatio ob Lusitanorum metum, postquam illi magnam partem Indiæ felicissime occuparunt.

Reditus M. Pauli unde?

Sinarum navigationes.

Est hujus Provinciæ gens suis cupiditatibus & voluptatibus turpissimis addicta, ac utriusque libidinis vitio infamis, sagax juxta ac fallax: non una omnes eademque utuntur lingua, sed pro variis urbibus varia est, adeo ut una aliam ægre ac difficulter intelligat; litteratorum erudita locutio, omnibus aliis communis, minus hic quam alibi nota aut in usu est, magno tamen ingenio plerique sunt prædíti, Sinicæ eruditioni ac

Gentis indoles ac mores.

litteris multum operæ dant, multos eoſque præclaros ſingulis examinibus doctores obtinent: ſed & frequentes ex his terris infeſti per mare ſunt piratæ, reliquis quoque Sinis vulgo habentur crudeliores, neſcio quid priſcæ illius retinentes barbariei, ultimi quippe Sinarum legum morumque admiſere culturam. *Min* olim regnum, ſeu potius Dynaſtiæ variæ, quibus *Min* dynaſtæ imperitabant, huic regioni fuere adnumeratæ; cum autem hæc gens fere linguam characterumq; pronuntiationem à reliquis diverſam habeat, hinc minime mirum, ſi apud ſcriptores de rebus Sinicis (illos, inquam, qui ex hujus Provinciæ incolarum relationibus ſua litteris mandarunt) tot voces ac nomina occurrant, quæ Sinica nullo modo ſunt, imo & craſſiſſimis erroribus obnoxia, ex hujus præcipue gentis inſcitia, falſiſque aut imperitis narrationibus nata.

Fidei Chriſtianæ ibi propagatio.

Non parvum in hac Provincia incrementum fides Chriſtiana cepit, tametſi enim eam difficulter admittant primis congreſſibus incolæ, rationibus tamen, efficacibuſque argumentis convicti facile manus dant, eoque in fide firmiores, piique magis ſunt, quo fuere tardiores; hinc factum ut vix urbs aut civitas ſit in tota hac Provincia, in qua Societas JESU vero Deo conſecratum egregieque adornatum templum non habeat. E ſacra quoque divi Dominici familia patres in hac Provincia templum habent in pago *Tingteu*, qui ad territorium *Foning* civitatis pertinet, qui unicus ac ſolus locus eſt, qui hactenus per totam Sinam in partem laborum nobiſcum venit: faxit Deus, ut plures etiam Imperio Sinico ejuſmodi copiæ auxiliares adſint, quodque omnium & noſtrum & Sinarum Chriſtum agnoſcentium votum eſt, creſcant in mille millia!

Provinciæ limites.

Eſt hæc Provincia ex minoribus Sinici Imperii, limiteſque habet ad ortum, Notapeliotem & Auſtrum *Eoum* mare: Notolybicum verſus à *Quantung* clauditur: ad occaſum & Barrapeliotem *Kiangſi* fines attingit, reliqua *Chekiang* Provincia terminat. Octo urbes habet, civitates vero octo ſupra quadraginta: multa in ea munimenta ſunt ad maris tutelam, cuſtodiamque portuum ſtructa. Liber, cui totius Sinici populi cenſus inſcriptus, ait continere familias 509200; viros 1802677; oryzæ tributum eſt ſaccorum 883115; byſſi libras ſolvit 194; ſerici confecti volumina 600. maximum tamen tributum eſt ex navibus, ſolvitur enim hoc pro cujuſque capacitate, ac magnitudine, nec aliud in hac Provincia telonium eſt.

Numerus hominum. tributum.

Fruitur hæc Provincia aëre plerumque calidiori, puro tamen & ſalubri: multis magniſque irrigatur fluviis, variiſque maris Sinibus interrumpitur littus: circa littora maris quidem præcipue, at per totam quoque Provinciam, cum mari adjaceat, piſcium vis ingens eſt, cæterarumque rerum, quas fert mare: piſces tum ſiccos, tum ſale conditos, tum etiam recentes plurimos magno cum lucro mediterraneis terris ſuppeditat, fodinas argenti, aurique habere dicitur, ſed ſtanni tantum ac ferri hactenus fuêre apertæ, ad cæteras necdum hic pervenit hominum cupiditas ferreis legibus frænata.

Prima Urbs ſeu Metropolis
FOCHEÙ.

Nobilitas.

Eſt *Focheu* Metropolis nobilis imprimis; ædificiorum ſplendore præcipue publicorum, emporii ac mercatorum turmis, litteratorum multitudine, ſitu etiam reliquas fere hujus Provinciæ urbes ſuperat: ſolum quippe habet fertile, piſcoſum mare, navigabilia flumina; per ingens oſtium ad Auſtralia uſque mœnia ex mari ipſo magnis navigiis Sinicis patet aditus, ubi *Nantai* ſuburbium, ac pons plane ſuperbiſſimus ſupra maris ſinum eſt, cujus longitudo centum quinquaginta perticarum eſt, latitudo unius cum dimidia, ſeu ſeſquiperticæ: totus ex albo conſtat lapide, ſupra centum altiſſimos arcus numerat. hinc inde ad utrumque latus pontem armant ac ornant cancelli ac podia, debitiſque intervallis ſupra lapideas baſes ex lapide eleganti opere cælati leones: cum hunc pontem ſubinde pertranſirem, meliorem me nunquam antea vidiſſe, aut facile viſurum credidi, tametſi præcipuos Europæos pleroſque multo ante vidiſſem, at is qui ad *Sivencheu* eſt mutare me coëgit mentem ac ſententiam, uti mox dicam: huic autem qui ad *Nantai* eſt ſimilem eſſe prope *Focing* civitatem Sinæ ſcribunt, cujus longitudo centum octoginta perticarum ſit; quamplurimos alios pontes intra ac extra mœnia ſitos non adſcribo, eo quod plerique ſimiles, hoc eſt omnes peregregii ſint. Habet hæc urbs quamplurima heroibus & idolis dedicata templa, at illud quod ad Auſtralem *Nantai* pontis partem eſt, omnia & magnitudine & ſplendore ſuperat.

Pons egregius.

Hic terræ tractus primum ſub *Cheva* familia

Nomina vetera, & antiquitas.

milia à Sinis cognitus creditur: nam tum primum in libris Sinicis de illo fit mentio sub *Min* nomine, non tamen Imperatori suberat, sed *Min* dynastis: primus qui eum subegit fuit *Cinæ* familiæ auctor, at quam mox jugum excusserunt incolæ, donec *Hiaoúús* bellicosissimus ac felicissimus *Hanæ* familiæ Imperator, omnino eum cum omnibus Australibus Provinciis in perpetuum Sinico subjecit Imperio, ibique regulum *Vúchúng* constituit, qui in hac urbe regiam fixit sedem: *Cyn* rex *Cyngan*, *Suius Mincheu* urbem vocavit, *Tanga* familia *Kiencheú*, mox *Focheu*, quod nomen deinceps tenuit *Taiminga* familia: præest urbs civitatibus octo, quarum 1 *Focheu*, 2 *Cutien*, 3 *Mincing*, 4 *Changlo*, 5 *Lienkiang*, 6 *Loyuen*, 7 *Jungfo*, 8 *Focing*.

Nobilitas.

Conficitur in hujus urbis territorio vis magna albissimi sacchari, eaque est urbs prima, in qua illud fit, ex orientalibus provinciis: ex quo, meo quidem judicio, liquidò patet, hanc urbem esse *Veneti Fugui*; tametsi non habeat fluvium illum ingentem, qui mediam secet, habet tamen eum, qui ad mœnia usque pertingit, intraque ipsam urbem censeri potuit, quia amplum in ipsa ripa obtinet suburbium.

Fructus Lichi. *Pons egregius.*

Maxima etiam est in australibus hujus Provinciæ partibus, & præcipue in hujus urbis territorio, copia fructus illius quem *Lichi* vocant, Lusitani *Machaenses Lichias* dicunt; nascitur in magnis procerisque arboribus, quarum folia lauri imitantur, è ramorum summitatibus racemi prodeunt, in his ut in uvis fructus est, sed rarior, ac longioribus pedunculis dependet: fructus figura omnino corculum refert, magnitudine nucem æquat juglandem, parvum strobulum seu nucem pineam repræsentat, squammoso sed non adeo crasso cortice, nam ad membranæ tantum crassitiem accedit, adeoque vel sola manu facile detrahitur: intus succulentus est nucleus albi coloris, saporis ac odoris rosacei suavissimi, cum maturus est fructus purpurei est coloris, videnturque ipsæ arbores purpureis circumquaque quasi cordibus ornatæ, amœnissimo adspectu astantium oculis arridere; os seu calculum caro intus ambit, ac circumdat, qui quo mole minor est, eo censetur fructus melior ac præstantior: recte hunc fructum regem fructuum dici posse, sæpe ego mecum cogitavi, qui quasi esui ac spectantium voluptati natus tantum esset, ita delectat, ut nunquam satiet, ejus nucleus ad instar tragematis cujusdam rosacei congelati, ut vulgo vocant, mihi quidem sæpe visus est, atque ita in ore fere liquescit.

Alter fructus Lungyen.

Alter etiam fructus quidam rotundus est, cortice superiori haud absimilis, *Lungyen*, hoc est draconis oculum vocant; superiori mole non æqualis est, paulo minor ac rotundior, ut cerasa fere nostra majora, pelle tamen aliquantulum *Lichi* duriori, magisque squammosa constat. Vtrumque etiam Sinæ exsiccant, & ex hac Provincia per totum imperium ad delicias etiam siccus distrahitur, nullo tamen modo cum recentibus comparari potest, cum suavissimus ille succus totus fere exhalarit; ex *Lichia* etiam exprimitur liquor, quem vinum Sinenses vocant, suave satis, sed rarius.

Fructus Muiginli.

Est & fructus in hoc territorio, quem Sinæ *Muiginli* vocant, hoc est pulchræ mulieris pruna, eaque magna sunt ac præclara, quæ Damascena illa magnitudine ac præstantia superant, figura rotunda magis sunt quam elliptica aut ovali.

In hac eadem urbe Societas JESU sedem seu residentiam, ædem sacram, magnumque habet Christianorum numerum, ne vero in hac descriptione ubique templa nostra adnotare cogar, ut compendio studeam, nomen JESU urbibus ac locis, ubi templa nostra sunt, adscribi curavi, quæ facile hoc modo sese offerent oculis lectoris curiosi aut spectatoris.

Montes.

Ad Australem urbis partem collis est *Keutai*, ad quem desinit pons ille, de quo supra locutus sum, in eoque est idolorum fanum plane magnificum, *Nantai* nomine.

Siúe Fung mons altissimus atque ingens ad urbis Borealem partem incipit, inde civitatum *Cutien*, *Mincing*, *Loyuen* regionem ingreditur.

Fang mons ad Austrum urbis est, in quo vallis est quadraginta stadiorum, circumquaque in collibus aurea, ac citrea, eaque quæ limonia vocant, poma profert.

Prope *Cutien* civitatem mons est *Uhoa* seu quinque florum, ita dictus à quinque altissimis, æqualibusque verticibus, quorum quemlibet mille perticas altum scribunt.

Circa *Jungfu* mons celebris ac altissimus est *Caocai*, in *Taoxu* libris ordine septimus, sylvis annosis amœnus, famosusque idolorum monasteriis.

Flumina.

Min flumen ad urbis Notapeliotem manat, ejus origo est in confinibus *Chekiang* Provinciæ, prope civitatem *Lungciuen*, inde *Puching* præterfluit, mox *Kienning* urbem,

bem, ac *Jenping* & *Xuikeu* oppidum, inde immensa aquarum mole auctum metropolis territorium ingreditur, ac dein mare subit. Ex *Puching* ad oppidum usque *Xuikeu* per valles ac saxa ingenti impetu ac violentia volvitur, inde placidissimum flumen est, & quantumcumq; violentum, enavigatur tamen à Sinis consueta illorum industria ac parvarum navicularum raro artificio: hæ enim naves clavum, ut aliæ, non habent, sed duos longissime porrectos, ad puppim unum, ad proram alterum; his per saxa ac scopulos prominentes facillime, ac velocissime naves, ac si fræno equos continerent, dirigunt. Bis hoc iter peregi descendens scaphis istis non sine aliquo horrore, cum sæpe inter saxa vix tantus sit canalis, ut ad scapham ipsam capiendam videatur sufficere, atque illa undiq; navim cingere videantur, unde & non rara illic naufragia accidunt; ex hac autem navigandi difficultate nautarumque industria inter Sinas natum diverbium cum ajunt: nautas esse ferreos, naves vero papyraceas, eo quod tenuibus ac minime resistentibus constent asseribus, imo ne clavis quidem compaginatis, sed vimine quodam lentissimo; unde tametsi in saxa impingat navis, sæpe tamen minime rumpitur, quia vix resistit. Quanto autem impetu ac vi proruant hi torrentes, vel ex eo satis intelliges, quod ex *Puching* ad metropolim usque iter absolvatur triduo, & ad ascensum quindecim omnino dies necessarii sint.

Secunda Urbs CIVENCHEV.

CIvencheu urbs magna est, mercimoniis opibusque florens; ædificiorum, templorum, compitorumque splendore, majestate, ac pulchritudine ingens spatium complectitur; plateæ omnes lateribus duplici quadratorum saxorum serie clausis stratæ sunt nitidissime; si usquam alibi domus hic elegantes, ac magnificæ sunt, & ut reliqua sumptuosa ædificia, ac quamplurimos ubique arcus triumphales taceam, fanum idolorum *Caiyuen* memoria sane & admiratione dignum est, quod in medio duo septizonia claudunt, quorum quodlibet centum viginti sex perticas altum est, inter duas enim zonas ad undeviginti perticas numerant; podia autem ac meniana singularum zonarum ita prominent, ut undique circuiri turres ab exteriori parte possint;

Fanum mirandum.

ex meris omnia lapidibus ac marmoribus constant: intra ipsam turrim in qualibet contignatione cuprea vel marmorea erecta est statua idoli *Fe*, quæ omnes statuæ adeo eleganter ac affabre sculptæ sunt, ut jactent ipsimet Sinæ, non ab homine aliquo efficta, sed à quodam ex illis, quos numquam mori dictitant, atque immortales seu *Xinsien* vocant.

Urbs ipsa mari adjacet, locumque amœnissimum occupat, & ad mœnia usque per maris Sinum naves maximas admittit, & ab utraque quidem urbis parte: jacet enim urbs in promontorio undique aquis cincto, præterquam ad Boream & Notapeliotem; ultra aquas vero in ipso littore oppida habet populo ac mercibus frequentissima, præcipue eo in loco, qui ad Barrolybicum vergit, *Loyang* dictus, qui magnis utique civitatibus comparari potest, ubi pons ille incipit ejusdem cum loco nominis, cui an par, aut secundus detur in orbe, qua patet universo, haud immerito dubitem. de eo ita inquit Sinicus auctor: jacet *Loyang* pons ad urbis Barrolybicum supra *Loyang* flumen exstructus, dicitur etiam *Vangan Pons*, hunc ædificavit urbis præfectus dictus *Çaijang*, ejus longitudo ultra trecentas & sexaginta perticas protenditur, latitudo autem sesquiperticam obtinet, priusquam pons structus esset, navibus patebat transitus, sed quotannis propter æstus vehementiam quam plurimæ cum ipsis vectoribus mergebantur; optabat *Çajangus*, ut hominum ac præsertim suorum saluti & incolumitati consuleret, pontem exstruere, sed cum ad hoc opus hominum vires nullo modo intelligeret sufficere, videretque maximam aquæ altitudinem fundamentis jaciendis minime aptam esse, invocato maris spiritu, petiit ut æstum contineret, obtinuitque (si credere fas est) postquam maria omnia fuere pacata, atque uno ac viginti diebus cessavit æstus, tum demum fundamenta jacta, insumptaque ad quater decies centena aureorum millia: hæc ille. Sed nos relictis fabulis ad pontem vere omni admiratione dignissimum veniamus: bis ego eum non sine stupore inspexi, atque accurate notavi omnia; totus ex eodem secto nigricanteque est lapide, nullum habet arcum seu fornicem, sed pilas ex lapidibus ingentibus structas supra trecentas, omnes maximi navigii figuram habent utrinque in angulum acutum desinentem, ut minus aquæ vim ac allisionem sentiant: in superna lapidum coagmentatione à pila ad pilam, quin-

Pons celeberrimus.

quinque iique omnino æquales lapides, spatium, quod in latum est, occupant: lapis quivis ad duodeviginti longus est passus meos communes, quos ibi modeste inambulans ad mensuram adhibebam; & duos omnino latus, ac totidem altitudo seu crassities obtinet; sunt ergo similes omnino & æquales ibi ingentes illæ lapideæ ut sic dicam trabes mille & quadringentæ: stupendum omnino opus, non ex eo tantum, quod pilis superimpositæ tot hujuscemodi moles sint, sed vel maxime quod tot tantæque, adeoque æquales uspiam reperiri exscindique potuerint: ne vero transeuntes è ponte delabendi ullum subeant periculum, podia ex eodem lapide utrimque cum leonibus suis basibus insistentibus adstructa sunt, similiaque plura addita ornamenta: sed notandum, me illic tantum describere pontis hujus partem, eam nimirum quæ est inter *Logan* oppidum & castellum supra ipsum pontem ædificatum; illo enim superato alia pars pontis sequitur superiori haud multo minor, cætera totus æqualis. Quod ad sumptus attinet, parvi hi forte censebuntur ab Europæis pro tanto opere; verum illud hic considerandum est, maximam operarum partem apud Sinas gratis servire debere cum publicum quid exstruitur, eorum vero, quibus stipendium solvitur, adeo exilis est merces, ut unius Europæi stipendium hic facile pro decem sit satis.

Ex hac urbe aliisque illi subditis locis naves frequentes & nunc & olim varia loca commerciorum gratiam petere solitæ, quæ res omnino persuadet, prope hic abfuisse *M. Pauli Veneti Zartem*, nam eam quinque dierum spatio à *Focheu* (quam *Fugui* vocat) distare asseruit, quantum omnino hæc urbs distat: scio quidem *Zartem* Sinicum nomen non esse, eam ob rem credibile est nomen id esse, quo Tartari atque exteri celebrem hic aliquem portum indigitabant; suadet hoc ipsum sequentis urbis descriptio, in qua multa inveniemus signa, quæ probant priscis temporibus hæc ab ipsis Christianis frequentata fuisse loca.

Zarte M. Pauli Veneti.

Jus dicit urbs civitatibus septem, 1 *Civencheu*, 2 *Nangan*, 3 *Hoeigan*, 4 *Tehoa*, 5 *Ganki*, 6 *Tunggan*, 7 *Jungchung*. Erat olim dynastarum *Min*, *Leangus Nangan* urbem dixit, *Suius* Rex *Venling*, *Sunga Pinghai* dixit, hodiernum nomen *Tanga* dedit familia. De oppido ac nobilissimo emporio *Canhai* huic urbi subjecto inter munimenta loquemur.

Paocai mons est, in cujus vertice eminet turris novizonia, quæ navigantibus pharum, ac certissimum littoris propinquantis signum præbet, ad Australem urbis partem visitur.

Montes rariores.

Tertia Urbs

CHANGCHEV.

Changcheu urbs hujus Provinciæ Australissima nomen à magno *Chang* fluvio obtinet, cujus ad ripam jacet occidentalem, marisque æstu eo usque prorumpente alluitur; ad Australem vero partem, ubi fluvius urbem etiam attingit, pons est vere magnificus totus ex secto lapide, ad sex & triginta altissimos & maximos porrectus arcus, tantæ latitudinis ut utrimque ædiculas cum tabernis institorum sustineat, in quibus assiduæ quodammodo celebrantur nundinæ, ubi quidquid vel apud Sinas eximium, vel ab exteris aliunde allatum est regnis, divenditur: ex nobilissimo enim *Hiamuen* emporio continuo ascendunt merces, ut suo dicam loco.

Pons celebris.

Habet sub se civitates decem, 1 *Changcheú*, 2 *Changpu*, 3 *Lugnien*, 4 *Nancing*, 5 *Changtai*, 6 *Changping*, 7 *Pingho*, 8 *Chaogan*, 9 *Haicing*, 10 *Ningyang*. Urbi huic nomen primum sub *Tanga* inditum familia reperio, ac tum primum civitatis eam donatam esse prærogativa: *Juena* paulo post familia urbem statuit, simulque civitatem *Nancing* ædificavit, quæ res omnino persuadet, locum hunc jam tum à plurimis navibus fuisse frequentatum, ac *M. Pauli Zartem* hic alicubi fuisse, accedit quod in hac urbe multa eaque luculenta reperta sint Christianorum vestigia, intraque ipsa mœnia sculpti lapides non pauci, quibus salutiferæ Crucis signum visitur impositum, atque etiam sanctissimæ Virginis Dei genitricis Mariæ, cum cælestibus geniis in terram prostratis imagines cum duabus pendulis lucernulis, imo & in præfecti cujusdam palatio reperta est pulcherrima crux marmorea, hanc obtenta ab eo facultate inde eduxere Christiani, ac in nostro urbis hujus templo summa cum pietate atque apparatu collocavêre. Vidi etiam unà cum sociis hic apud litteratum quendam volumen vetus, Gothicis characteribus diligentissime exaratum, adhibita fuit papyri loco tenuissima membrana; maxima Scripturæ sacræ pars Latine erat conscripta; tentavi librum ut con-

Monumenta Christianæ religionis.

conſequerer: at ejus dominus tametſi gentilis, nec prece nec pretio ullo adduci potuit, ut traderet, in ſua familia per multas jam nepotum progenies tanquam rariſſimum quoddam antiquitatis cimelium adſervatum illud aſſerens.

Eſt autem magna hæc urbs ac incolis frequens, ædificiorum ingeniorumque præſtantia inclyta; mercatores etiam induſtrios alit, ac potentes: gens alioquin indolis ſat fraudulentæ ac nequam, turpiſſimiſque voluptatibus dedita. In hujus ac ſuperioris urbis territorio uberrime proveniunt poma aurea nobiliſſima, mole ac magnitudine Europæis majoribus paria, odore, ſuavitate, atque amœnitate ea omnia longiſſimo ſuperant intervallo; nec arboris figura aut modus à noſtratibus multum diſcrepat,ſed fere par eſt, fructus vero in eo differt, quod comeſtus uvam omnino referat, quam muſchatam vocant, ejuſdem enim plane odoris ac ſaporis eſt, adeo ut ſuavius quidquam in hoc genere nec Italia hactenus, nec Hiſpania viderit aut guſtarit; ita vero hic fructus à natura eſt comparatus ut aureum ſuum denſioremque corticem facile dimittat, pulpa vero intra pelliculas, quibus veſtitur ac diſtinguitur,eadem facilitate in particulas ſuas dividitur: eundem fructum ſimul cum cortice inter aſſeres preſſum ſaccaro condiunt,totoque anno adſervant, neque Sinas ſuos tantum, ſed & exteros his deliciis paſcunt ac recreant.

Poma aurea præſtantiſſima.

Verſus urbis orientalem partem mons eſt *Cio* dictus, in quo lapidem eſſe ſcribunt altum perticas quinque, craſſum decem & octo, qui quoties tempeſtas imminet, titubat omnino ac movetur.

Montes.

Ibidem ſed urbi vicinior continuus cum hoc monte alius quidam eſt, *Kieulang* dictus, à cryſtallino fonte commendatus.

Quarta Urbs
KIENNING.

AD orientalem ripam *Min* fluminis jacet urbs *Kienning*, quæ metropoli quidem cedit nobilitatis inſignibus, at non item magnitudine, ingens omnino atque amplum habet territorium. in eo ſunt civitates ſeptem, 1 *Kienning*, 2 *Kienyang*, 3 *Çunggan*, 4 *Puching*, 5 *Chingho*, 6 *Sungki*, 7 *Xeuning*. Olim etiam ad *Min* dynaſtas pertinuit; *Tanga* familia *Kiencheu* dixit, *Sunga* hodiernum dedit nomen: hanc omnino tum ex nomine,tum ex loco *M. Pauli Veneti Quelinfu* eſſe jam ſupra inſinuavi. Hiſce ultimis bellis Tartaricis multum detrimenti paſſa eſt hæc urbs: cum enim ab illis defeciſſet, denuo iterata longa obſidione capta,totaque igni tradita eſt, omneſque qui intus reperti ſunt, internecione deleti: hoc incendium & Societatis JESU templum abſumpſit, & pulcherrimum pontem ſupra *Min* fluvium velociſſimum tantum non deſtruxit; erat hic tecto coopertus, utrimque domus ac tabernæ conſtitutæ, pilæ omnes ex ſecto lapide altiſſimæ, reliqua ex ligno, per eum ad fanum ſuperbiſſimum aſcenſus erat,ad alteram fluminis ripam exſtructum; hic pons antiquum denuo recuperavit ſplendorem, at pleraque urbis ædificia licet reſtaurari nonnihil cœpta ſint, multum abſunt ab antiqua pulchritudine, ac elegantia, tametſi exuſtæ Sinicæ civitates longe facilius reſtaurentur quam Europææ, cum ligneis ut plurimum domibus conſtent. Eſt & alius magnificus pons prope *Kienyang Choking* dictus adeo longus, ut in alterutro latere contineat officinas ſeu tabernas mercatorias tres ſupra ſeptuaginta; totus etiam hic tecto obductus eſt.

Eſt autem *Kienning* urbs emporium minime infrequens, merces enim omnes quæ per fluvium aſcendunt aut deſcendunt, hic tranſeunt: ubi ad *Pucing* civitatem pervenêre, exponuntur,ac à bajulis uſque ad *Kiangxan* civitatis pagum *Pinghu* dictum transferuntur, per altiſſimos montes ac valles, per quos tridui iter eſt, eodem modo ex *Pinghu* ad *Puching* aliæ reportantur; totum autem hoc iter, quantum humanitus fieri potuit, complanatum eſt, viæ omnes quadrato lapide ſtratæ ſunt, ubique oppida ac pagi conſtituti ad hoſpites excipiendos, merces cauponibus ante ponderatæ committuntur, illi accepto pretio per bajulos in aliam tranſmittunt partem, ubi ſine ulla moleſtia ſummaque fide ſua mercator recipit; ſi quid deperditum fuerit, caupo omnia tenetur ſolvere. Vix credent Europæi, ſi dixero hic ad decem millia bajulorum ſemper præſto eſſe,ut onus excipiant, quod & avide exſpectant, & aſſidue ultro citroque per altiſſimos hoſce montes eundo & redeundo vitam tolerant: in ferendis autem oneribus ſcitiſſimi ſunt Sinæ, ac ruſtici illic non parvum ſane ſtaticis noſtris ſpeculatoribus faceſcerent negotium ad cauſas inveniendas ac rationes,ſi viderent illos tormenta etiam majora ac ſimilia pondera ita vectibus

Sinæ optimi bajuli.

ctibus utrimque suspendentes, ut per arctissimas etiam montium fauces facillime transferant, ac licet præcedant alii, alii subsequantur, multisque passibus à pondere suspenso distent, ita tamen illud vectibus ac funibus ex æquo norunt dividere, ut quilibet æquale fere sentiat onus, seu paulo remotior sit, sive vicinior; hoc pacto ingentia marmora, atque integras etiam arbores facile videas humeris gestare Sinas.

Sinæ optimi bajuli.

Propter mercium transitum *P'úching* civitas telonium habet, ubi tamen minimum solvi solet tributi, quod ad viarum restaurationem, pontisque sarta tecta conservanda fere adhiberi solet; pons ille ex navibus compluribus invicem colligatis ad ortum *P'uching* civitatis visitur: duo numerantur nobiliora fana heroibus dicata in hac regione, ex his unum *Chúvencungi* est, qui Philosophiam *Cungfutii* adeo scite explicuit, ut classicus omnino habeatur auctor, illaque explicatione uti omnes ex Imperatoris mandato cogantur.

Montes.

Versus Barrapeliotem mons altissimus *Xin* est, ex quo supra omnes montes sol oriens ex mari conspicitur.

Prope *Kienyang* est mons *Vlung*, in quo quinque colles unum quendam in medio conclusum ambiunt; is lingua Sinica unio dicitur; illi vero quinque dracones.

Ibidem *Ciaoyuen* mons est in *Taoxu* libris ordine decimus tertius. at qui omnes superat & fama & magnitudine, est *Vuy* mons, prope *Çúnggan* civitatem: in eo sunt quam plurima idolorum templa, sacrificulorum monasteria, anachoretæ, inter quos non pauci etiam præfecti, qui rasis capillis idolis serviunt, spretis mundi opibus, ac dignitatibus, atque inter hæc dæmonum mancipia suos quoque Deus elegit servos, cujus rei eventus plane admirandus est. Erat inter sacrificulos illos veluti Archimandrita quidam, qui duplici fano erat præfectus, *Chang* dictus, hic jam ætate provectior fana sua in Dei veri templa convertit, idolis omnibus sua manu ac securi adhibita concisis in frusta, quorum loco in fano altero Christi Domini Servatoris, in altero Beatissimæ Virginis Deiparæ imagines constituit: cum enim adhuc juvenis sub alio quodam Archimandrita degeret, utque arcana sacra sectæ illius omnia perciperet, egregie inserviret, accidit, ut alter morbo oppressus & confectus senio paulatim morti fieret vicinior, interrogat itaque illum hic discipulus, num vere legem, quam sese hactenus docuerat, crederet ad salutem consequendam, aptam satis & sufficientem, nec ne? cui senex respondit: non fili, sed meliorem nescimus, at bono esto animo, post annos quadraginta aderit, qui tibi verum salutis iter ostendat: his dictis moritur; at *Changus* ultima magistri sui verba, velut cujusdam divinioris numinis oracula non contentus mandasse memoriæ, etiam diligenter scriptis consignat: haud ita multis post elapsis annis cum *Puching* civitatis præfectus Christianis sacris esset initiatus cum tota sua familia, sæpeque ad se ex *Kiening* urbe *R. P. Simonem de Cunha* ad obeunda religionis nostræ ex Christi legibus mysteria, Sacramentaque percipienda invitaret, accidit quandoque ut rebus omnibus sacris absolutis Patrem ad celeberrimum *Vuy* montem visendum deduceret, occurrunt ad excipiendum præfectum suum sacrificuli, inter quos primus fuit *Changus*, cumque inter loquendum de lege Christiana subinde incideret mentio, hæsit ille primum attonitus, tum deinde ita præfectum alloquitur: hæc profecto illa est lex, atque hic vir ille (digito Patrem monstrabat) qui mihi verum salutis iter ostendere debet, ut mihi magister meus dudum ante prædixit; inspicitur liber consignatus ad memoriam, & annus, quo hæc acta sunt, reperitur omnino ab illius obitu quadragesimus, quare nulla omnino injecta mora idola omnia dejicit, pedibusque ea conculcat, indignatione plenus, ac cum stomacho illis objiciens, quod tanto se tempore decepissent. In his ipsis locis plurimi jam sunt Christi cultores, multique anachoretæ, qui piam & communem inter se vitam degunt; & si hæc bella recentiora non obstitissent, hinc egregii omnino divini verbi præcones prodiissent, quod suo quoque tempore quin futurum sit cum ampla omnino messe, non dubitamus.

Mira prædictio.

Tú Leang mons prope *P'uching*, qui ex decem extremæ Asiæ montibus maximis unus est. De fluminibus nihil occurrit admodum singulare, præter nomina, quæ habentur in mappis.

Quinta Urbs

J E N P I N G.

PEr montes ac colles ab ipsa fluminis *Min* ripa paulatim ascendit hæc urbs, unde amœnissimo adspectu tota fere præternavigantibus ante oculos versari solet; ad

ad portam ortivam duo coëunt magna flumina, *Min* nimirum ac *Si*, quæ inibi lacum efficiunt, eapropter ex tota fere provincia naves excipit; non quidem adeo magna est urbs, at nihilo propterea minus elegans aut jucunda, ejus mœnia altissimos etiam montes transcendunt ab exteriori parte pœne inaccessos, adeoque fortissima urbs est, & totius provinciæ ut ita dicam clavis: illud etiam præ reliquis habet singulare, quod litteratorum lingua communi loquantur incolæ: nam ad hanc urbem ex *Nanking* deducta fuit colonia; illud etiam vix alibi reperias, quod ad singulas fere domos per canales ex montibus deductæ sint aquæ. Tria numerat nobiliora fana, ac pontes duos, supra quemlibet fluvium unum, qui ex navibus inter se colligatis constant.

Nomina antiqua. *Cynus* rex primus *Jenping* vocavit, *Tanga* familia *Kiencheü*, *Sunga Nankien*, & *Taiminga* iterum *Jenping*. præest urbs civitatibus septem, 1 *Jenping*, 2 *Cianglo*, 3 *Xa*, 4 *Yeuki*, 5 *Xunchang*, 6 *Junggan*, 7 *Tatien*. De *Xa* civitate vulgo dicitur argenteam eam esse, quod soli frugumque ubertate nulli prorsus cedat, olim hæc civitas in altera fluminis ripa sita fuit: at ab Imperatore destrui, ac omnino inhabitata relinqui jussa est, incolis ad aliam ripam translatis, eo quod priori in loco filius nescio quis patrem interfecisset, tale enim crimen tantam omnino mereri pœnam juxta Sinicas leges judicatum est: habet etiam hæc civitas pontem tecto coöpertum plane magnificum, cui multæ superexstructæ sunt institorum tabernæ. In ea & Societas JESU templum obtinet.

Montes. *Fung* mons est, qui totam fere civitatem *Cianglo* suis ambit collibus, ibidem ingens mons est *Pechang*, qui Provinciæ *Kiangsi* terminos non attingit tantum, sed & penetrat.

In territorio *Xa* civitatis mons est ingens ac præruptus, *Huon* dictus, in eo animal pilosum homini omnino simile reperiri scribunt.

Yüevang mons est, in quo *Jue* reges æstivos soliti fallere calores multis exstructis eo in monte palatiis, haud procul à civitate.

Sexta Urbs
TINGCHEV.

HUjus urbis territorium olim etiam ad *Min* dynastas pertinuit. *Cynus* rex *Sinlo* vocavit, hodiernum nomen *Tanga* dedit familia, sub qua civitas adhuc erat, nondum urbs; at *Taiminga* familia servato urbis nomine magno eam honore auxit, subjectis illi civitatibus octo, quarum 1 *Tincheu*, 2 *Ninghoa*, 3 *Xanghang*, 4 *Vúping*, 5 *Cinglieu*, 6 *Lienching*, 7 *Queihoa*, 8 *Jungting*. Scatet quidem montibus hoc territorium, attamen rebus omnibus ad vitam necessariis omnino abundat; maxime tamen insalubris est regio: in montibus qua densi magis ac crebri sunt, degit adhuc inculta gens & agrestis, suique juris tenax, Sinicis legibus minime parens: trium enim hic provinciarum in unum convenientes montes inaccessas ac profundissimas valles constituunt.

Montes. *Çúihoa* mons amœnus ac floridus; *Ninghoa* incolis magnas præbet delicias, præcipue Vere: huic similis est mons *Kin* sive aureus, ita ab aurifodinis dictus, quas aperuit *Sunga* familia; hic prope *Xanhang* est adeo pulcher, ut pictura amœnissima videatur; in eo tria parva sunt stagna, quibus si crudum ferrum mergatur mutatur in cuprum. *Fung* mons prope *Cinglieu* est altissimus, horridus prorsus & inaccessus.

Flumina. *Cingçao* stagnum unius jugeri, minimam habet aquæ altitudinem, ad ortum urbis est, circa illud arbores semper virides ac foliis vestitæ conservantur. Prope *Vuping* est lacus *Loxui* sive viridis aquæ, ita dictus à colore viridi, quo ita imbuta est aqua, ut omnia, quæ illa lavantur, eodem inficiat colore.

In flumine, per quod ad *Jenping* navigatur, catadupæ aquarum multæ sunt, & periculosissima syrtibus loca: duo præsertim prope *Cinglieu*, unus *Kieulung*, alter *Changcung* dictus; cum naves transeunt, ne cum aqua decidentes fractionis incurrant periculum, scite præmittunt nautæ aliquot straminis fasces, ad quos navis levius impingat, ac transeat.

Septima Urbs
HINGHOA.

EA est hujus urbis territorii præstantia, ut peramœno ac fertili agro in hac Provincia palmam referat, ipsa urbs pulchra est ac nitida, litteratorum etiam turmis & ingeniorum excellentia commendata: arcus triumphales numerat quamplurimos, ac in vicinis collibus non pauca sumptuosa sepulchra: quam vero ferax sit ager vel

vel ex eo collige, quod licet binas tantum sibi subditas habeat civitates, solvat tamen oryzæ saccos 72000 pro tributo regio; civitates illæ sunt, 1 *Hinhoa*, 2 *Sienlieu*. Ager totus pagis ac oppidis adeo refertus est, ut civitas una censeri possit totum hoc territorium: viæ hic omnes ita quadrato sunt ubique lapide stratæ, ut per sexaginta & amplius stadiorum longitudinem, unius etiam perticæ latitudinem servent, quibus nihil per totam Sinam vidi nitidius: pontes etiam duos, eosque magnificos urbs habet, ad Boream unum, ad Austrum alterum: serico tota abundat regio: Lichia fructus nusquam alibi melior; nec meliores tota Sina reperiuntur mugiles: fana heroibus dicata quinque numerat reliquis nobiliora. *Suius* rex hanc urbem *Putien* vocavit, hodiernum nomen *Hinghoa* à *Sunga* habuit familia, quod exsurgentem florem significat, postmodum eadem familia *Hingan* dixit, at *Taiminga Hinghoa* nomen urbi restituit.

Montes. *Hucung* mons Australem urbis partem tenet, in eo multa rara notant montilogi Sinæ, octo plana seu facies distinguunt, quibus cubum repræsentet.

Goching mons ad urbis Notapeliotem visitur, ad radices ingens est pagus seu oppidum, in quo ditissimi habitant mercatores, maximeque industrii, qui per totam Sinam sua exercent mercimonia. Plane hoc oppidum ædificiorum splendore ac magnitudine urbem æquare potest: mœnibus tamen, illiusque prærogativis ac titulo caret.

Flumina. Ad radices montis *Chinyuen*, ad Borealem urbis partem est lacus *Chung*, in cujus ripa palatium ingens erectum est decem constans aulis; in eo, quoties pluvia, aut tempestas imminet, sonus veluti campanæ auditur. in vertice montis *Hucúng* puteus est, *Puteus æstus particeps.* cujus aqua æstum marinum suo accessu & recessu refert; nomen *Hiai* est.

Octava Urbs
X A O U U.

Xaoúú urbs hujus Provinciæ Borealissima, olim ignobilis erat locus sub *Min* dynastis, primum sub *Tanga* familia mœnibus ac urbis titulo donata est, *Xaoúú* tamen nomen semper retinuit. habet sub se civitates quatuor: 1 *Xaoúú*, 2 *Quangçe*, 3 *Taining*, 4 *Kienning*, quia munito ac opportuno jacet loco, & in confiniis ad loca, ubi transitus difficilior est, munimenta quædam habet, quæ à civitatibus ubique, aut urbibus non differunt, nisi quod præsidium intus alant militare, alias eadem mœnium ac vicorum ubique forma est, tam in munimentis, quam ipsis urbibus: non enim distinguuntur hic munimenta, ut in Europa nostra, penes propugnaculorum ac figuræ formam aut multitudinem; quod hic adnotatum semel, ubique etiam de cæteris velim intelligi, licet in mappis passim veluti munimenta depingi curarim, ut à civitatibus non militaribus hac nota accuratius distinguerentur. Vocatur hæc etiam urbs Occidentalis Provinciæ clavis: placidus influit in eam *Ciao* rivus ex quo deducti rivuli plateas omnes pertranseunt: ad urbis Boream supra amnem *Çuyun* pontem habet magnificum, sexaginta tres perticas longum, superioribus non absimilem: fana etiam duo nobilissima sunt: texit hujus urbis plebs pannos præstantissimos ex crudo cannabo, qui æstatis tempore ob frigiditatem, & quia sudore madefacti non sordescunt, citoque siccantur, vulgo expetuntur & in pretio sunt.

Montes. Versus Notapeliotem mons est ingens, *Cietai* dictus, ad confinia usque *Tingcheu*, & *Jenping* pertingit, in eo fons est multis morbis salutaris.

Kinyao mons ingens quadringenta stadia habet in circuitu, *Kienning* & *Ninghoa* terminos attingit, incipit in regione *Taining*.

Civitas major
F O N I N G.

Tres sub se habet civitates, 1 *Foning*, 2 *Fogan*, 3 *Ningte*. in amplo diffusoque sitæ sunt territorio, sed plerumque montibus interrupto, nihil tamen etiam ibi rerum ad vitæ usus necessariarum deest. & *Foning* quidem pulchra ac magna est civitas, & quia mari vicina, multa inde commoda accipit. Cæterum montium itinera asperrima sunt, vixque pervia, præcipue ad partes Boreales ac Notapeliotem versus; ad occasum urbis mœnibus vicinus mons est argento gravidus, ut ajunt Sinæ Geographi: unum tantum heroibus ibi dicatum fanum est, sed, quod pluris æstimandum, nec Deo vero suum deest templum, quod in pago *Tingteu* dicto, uti supra memini, à religiosis è sacra D. Dominici familia recenter est ædificatum, idque solum ac unicum modo in Sinico habent imperio, cum

antea in *Moyang* alio pago etiam ſacellum habuerint in domo cujuſdam Chriſtiani, ſed hiſce bellis res tota periit: illud hic adnotare volui, ne mirentur lectores, ac mapparum inſpectores ubique omnia vero Deo dicata templa ſolius Societatis JESU nomine inſigniri, & non etiam aliorum; cum enim non niſi urbes aut civitates in meis depictæ ſint mappis, templum hoc, quod in pago eſt (quorum ob immenſum numerum, mapparum anguſtias, aliaſque rationes nullam in hoc meo opere facio mentionem) adſcribere non potui, ac plus ſatis eſſe judicavi, illud hic in ipſo textu, uti & alio loco adnotaſſe.

Montes.

Lungxeú mons altiſſimus, ad cujus radices civitas *Foning* jacet.

Hung mons ad Auſtrales partes magna etiam exſurgit altitudine.

Nankin mons ad Auſtrum *Foning*, in littore maris: ad hunc locum antiquiſſimis temporibus naves appellere ſolitas ſcribunt.

Talao mons ad Barrapeliotem *Foning*, triginta ſex altiſſimos attollit vertices.

Flumina.

Ex *Talao* monte rivus emanat autumnali anni tempeſtate, aqua coloris cœrulei eſt, ac tum temporis incolæ pannos illa lavando, eodem inficiunt colore.

Munimenta.

Emporia duo nobiliſſima.

ANte omnia *Ganhai*, & *Hiamuen* duo à Sinis dicta munimenta hic explicanda ſunt, quæ & ædificiorum ſplendore, & incolarum frequentia, & emporii celebritate non paucas ſuperant urbes.

Ex munimenta *Ganhai* Sinica navi vectus Philippinas petii inſulas, cum meum in Europam iter ac reditum ſum auſpicatus; ingens hic mercium ac Sinenſium navium copia eſt: portum enim habet ſat commodum, ac opportunam navibus ſtationem; ad fluvium eſt, quem maris æſtus retro ſæpe compellit. ad orientalem partem oppidi pons eſt plane magnificus, longus paſſus ducentos & quinquaginta, totus eſt ex lapide nigricante, in multos arcus porrigitur.

Eadem pœne intelligenda de *Hiamuen*, quod oppidum inſulam tenet non admodum diſſitam à continenti, *Ganhai* vero ipſi continenti adhæret: ex his in totam Indiam merces avehuntur, ex eaque aliæ novæ huc reducuntur. Hæc loca olim poſſedit magnus ille famoſuſque pyrata *Iquon*, exteris præſertim Hiſpanis, Luſitanis, atque Hollandis notiſſimus, qui ſæpe claſſem habuit ter mille magnarum Sinenſium navium: denique ad horum duorum locorum commendationem aliquid facit, quod ab Hollandis aliquoties inſpecta magnæ paſſim vocentur ac ditiſſimæ civitates, cum tamen inter tales à Sinis non numerentur.

Reliqua munimenta ad maris cuſtodiam ſunt, 1 *Pamuen*, 2 *Foning*, 3 *Tinghai*, 4 *Muihoa*, 5 *Xe*, 6 *Haikeu*, 7 *Vangan*, 8 *Chungxe*, 9 *Tungxan*, 10 *Hiuenchung*, 11 *Jungting*.

FORMOSA INSULA.

AD hanc Provinciam pertinet ampla illa, jamque ab annis aliquot ſat celebris Formoſa inſula, quamvis Sinis ſubdita non ſit, ſed ſuos habeat incolas, ſuique juris: hanc Sinæ *Talieukieú* vocant, hoc eſt majorem *Lieukieu*, ad diſtinctionem minoris; Luſitani intorto nonnihil corruptoque genuino vocabulo *Lequio* vocitant; Formoſæ nomen ego ab Hiſpanis inditum puto, quando in ejus Boreali promontorio, qua acumine ſuo in mare protenditur, munimentum *Kilung* exſtruxerunt. Prope eandem inſulam, in alia quadam inſula exiliori, *Taivan* dicta, Hollandi etiam munimentum habent, quod novam Zelandiam vocaverunt. eſt id caſtellum Teſſaragonum, cum quatuor propugnaculis more fere Belgico conſtructum; cæterum licet difficillima ibi, nec ſecura ſatis ſit navibus ſtatio, mordicus tamen illud tenent ac conſervant. Hiſpani vero ſuum illud munimentum *Kilung* aut ſponte ſua deſeruere, aut ab Hollandis ejecti, jamque muri omnes ac domus funditus ſunt deſtructæ. diſtat autem *Taivan*, exilior illa inſula, à Formoſa mediam plus minus leucam, jacetque ad Auſtralem partem, & à continenti ad quadraginta circiter milliaria Germanica remota eſt. Incipit autem ampliſſima illa Formoſa Inſula circa gradum vigeſimum primum Borealis Hemiſphærii, & ad quintum ſupra vigeſimum, aut paulo amplius protenditur: prorſus ut Sinica littora, ita hæc inſula fere Barrapeliotem verſus excurrit; olim à Sinis fuit habitata, at incolæ illius Sinicos mores jam omnino dedidicerunt, idem tamen iis cum Sinis corporis habitus eſt, eademque conſtitutio. mares proceri ſunt corpore ac robuſti, ſed inertes minimeque patientes laborum, ea de cauſſa optimi alioquin ſoli terra pleriſque locis inculta jacet, vixque tantum agri arant aut excolunt, quantum ad victum

cæte-

cæteraque vitæ uſui neceſſaria ſufficiat, quam victus inopiam ut utcumque ſublevent, ſubinde cervorum, quorum ibi non exiguus numerus, venationi indulgent. nullum agnoſcunt regem, aut gentis ſuæ caput, ſui quiſque juris ac liber degit, neque ita cum ſociis ſuis ac vicinis conveniunt aut pacem obtinent, ſæpe pagus in pagum alterum arma movet, ac bella gerunt cum vicinis. Comes aliquo modo ſunt & urbani in agendo cum hominibus, ab exteris minime abhorrent, niſi ab iis injuria affecti ſint: arcu & ſagittis armati facile adverſarii incurſum aut impetum prohibent, aut repellunt. Tentatum ſæpe fuit à viris religioſis, natione Hiſpanis, moduſne eſſet facilis eos ad fidem Chriſtianam convertendi, at ob gentis nimiam adhuc feritatem & barbariem, ut illi ajunt, parum admodum effectum eſt: & ſi qui ibi fidem noſtram admiſerint, ex iis maxime fuêre, qui ex Sinarum continenti illuc ad ſua peragenda mercimonia advolarant: cum quidpiam novi vident, aut quod illis arrideat, id ſummo cum judicii neglectu ſepoſito omni pudore petunt, ut pueri ſolent, & vel minima re conceſſa quam mox acquieſcunt: nudi omnes incedunt æſtivo tempore, hyeme male tecti ſunt. Mulieres ſtatura parvæ ſunt, inſita quadam naturæ verecundia virorum adſpectum ac familiaritatem fugiunt: plerique ex hac gente in altiſſimis montibus habitant, neminemque ad ſe accedere ſinunt, ipſimet ad ſua obeunda negotia deſcendunt.

Abundat hæc inſula cervis, apris, leporibus, phaſianis, columbis, vaccis, ſimilibuſque animalibus tam cicuribus, quam feris: vaccarum caro præ reliquis ibi ſuaviſſima eſſe dicitur, aprugna rarior ac inter delicias numeratur: ibidem magna gingiberis copia eſt, aquilæ lignum odoriferum, nuces Indicæ palmarum, muſæ aliique hujuſcemodi fructus. gleba ubique pinguis eſt, & ſi coleretur more Sinico, magnam promittit ubertatem ac luxuriem frugum. ſpatioſis ſponte ſua natis annoſiſque arboribus umbram facit ex apricis campis recedentibus, qui læto alias gramine vireſcere ſolent. Aurum ibi in montibus reperiri vix ullus eſt qui dubitet ex iis, ad quos aliqua hujus Inſulæ notitia pervenit; ſed ingredi eos hactenus nemo eſt auſus: ex montibus flumina ac rivi promanant, qui totam inſulam irriguam ac fertilem reddunt. Incolarum merces potiſſimum ſunt pelles cervorum, exſiccati illorum nervi, quæ Sinæ panni ac ſerici commutatione comparant: ſicci enim cervorum nervi maxime à Sinis ad lautitias ciborum, menſæque apparatum expetuntur, aqua enim hi macerati, coctique plane ſuaviſſimi ſunt, creduntque Sinæ victum hunc non nihil ad vitam diutius producendam conferre, opinione forte hac à longiſſima, quam prædicant, cervorum ætate ac vita orta, unde & ſuos illi immortales ſolent fere ita depingere: ſedet craſſiculus quiſpiam ac bene curata cute, cujus pinguis aqualiculus ſeſquipede extat, decuſſatis cruribus, adſtat ad latus dextrum cervus longævum animal, qui herum limis oculis benigno ſcilicet aſpectu ac influxu intuetur, à ſiniſtro latere ciconia eſt, incurvum, inflexumq; roſtrum verſus dominum ſuum porrigens, ipſe compoſitis intra manicas manibus veneranda canitie, longumque protenſa, pectore ſuperiore nonnihil aperto, quo pinguiuſculus magis appareat, magna veſtitus majeſtate ac decore, quod ſimulachrum alicubi pro idolo colitur, ac ſigno felicitatis à ſtultis hiſce gentilibus.

Idolum immortalitatis.

DVODECIMA PROVINCIA
QUANGTUNG.

Termini.



Obilissimæ ac ditissimæ *Quangtung* Provinciæ limites statuit ad occasum Provincia *Quangsi*, ad Barrolybicum ac Boream *Kiangsi*, à qua Provincia per continuos montes separatur: Barrapeliotem tenet *Fokien*, ubi altissimi montes ac *Ting* fluvius limes est, reliqua omnia mare claudit, quod non raros portus commodasque navibus stationes præbet. Numerat Provincia urbes decem, civitates vero tres supra septuaginta, quibus *Macaum* nobilissimum Lusitanorum emporium haud adscribo, ut de eo suo loco agam commodius: familias alere dicitur 48, 3360, viros vero 197,8022, tributum oryzæ quod pendit, est saccorum 1017,772. salis pondera 37380, quibus telonii ac navium tributa adscripta non sunt.

Rebus ad vitam tuendam necessariis satis abundat hæc Provincia, nec minus mercibus admodum pretiosis, quas aut sponte sua nascentes profert, aut arte conficit, atque hominum industria, reliqua facili opere ex reliquo accersit imperio: partim montana est, partim plana, præcipue qua ad Austrum vergit; oryzæ vero ac tritici adeo feraces obtinet campos, ut bis quotannis semen suscipiant, reddantque multiplici fœnore, neque enim ulla hyemis incommoda tota hæc sentit Provincia, adeo ut de ea vulgare Sinarum dicatur diverbium: Tria nimirum in hac Provincia plane esse insolita, cœlum sine nive, arbores semper virides, incolas spuentes sanguinem, quod numquam scilicet hic videatur nix, arbores numquam nudentur foliis, homines vero folio *Betel* ac *Areca* cum calce utentes ea, quæ salivam rubicundo inficiunt colore, assidue masticent, uti per totam passim Indiam in usu est, quamvis id ita esse suo olim tempore credere noluerit *Matthiolus*.

Si merces, resque quas venum exponit hæc Provincia, inspiciamus, vix quidquam in ea aut præclari aut pretiosi deesse comperiemus: incredibilis illic auri, gemmarum, unionum, serici, stanni, argenti vivi, saccari, cupri, ferri, chalybis, salis nitrici, lignorum aquilæ, aliorumq; odoriferorum vis reperitur: fusæ ex hoc ferro fistulæ pro bombardis, quod sane mirum, numquam dissiliunt in frusta, sed si nimium infarciantur pulvere, aut vim ignis nimiam alias ferre non possint, ut summum finduntur aperiunturq; aliquantum absque adstantium noxa, ex eo fortasse quod ligneo carbone illic liquefiat ferrum, qui lentitudinem illi aliquam conciliet ac viscositatem relinquat, non fossili, qui nimium induret ferrum, atque constipet.

Fructus quoque hic ubique plurimi sunt & præstantissimi, Europæi non pauci, poma granata, uvæ, pyra, nuces, castaneæ, at hisce terris proprii ac singulares musæ, nuces Indicæ, ananas, lichia, lungyen, poma demum aurea ac citria omnis generis etiam præstantissima illa, quæ paulo supra in Provincia *Fokien* descripsimus. Unum præterea genus est particulare *Yeuçú* Sinæ vocant, Lusitani *Jamboa*, Hollandi *Pompelmoes*, in spinosis arboribus, ut limonia poma solent, nascuntur, arbores tamen illis majores sunt, flores etiam similes omnino, albosque proferunt suavissimi odoris, ex quibus aqua etiam fragrantissima destillatoria arte elicitur; fructus autem citria omnia etiam illa maxima longe superat magnitudine, quippe qui capitis humani molem aut æquet, aut excedat; cortex reliquis pomis aureis similis est colore, pulpa interna rubescit, dulcedinem aliqua aciditate permixtam obtinet, uvamque sapore refert non omnino maturam, proptereaque ex eo etiam liquor pro potu exprimi solet, uti in Europa ex cerasis, pyris ac pomis pro sicera: suspensus domi fructus ad annum perdurat.


Jamboa limonia.


Gens hujus Provinciæ habilis est omnino ac industria, ac tametsi ad res novas excogitandas non ita ingenio prompti videantur, facile tamen quidvis ab aliis inventum aut arte effictum imitantur; vix quidquam ex Europa rarum ad Lusitanos aliosve allatum vident, quin quam mox assequantur artificium, sive ex auro illud sit, seu textum filis sericis, seu alia qualibet materia, figuras floresque omnes facillime exprimunt, modo etiam ex vitro suo (quod magna ex parte ex oryza conficiunt nostro longe tenuius ac subtilius, at tanto etiam fragilius) specilla quævis vitrea, etiam convexa & concava absque

Gentis indoles.

pa
ia.

is
es.]


QVANTVNG,
IMPERII SINARVM
PROVINCIA
DVODECIMA.
Stadia Sinensia, quorum 250 uni gradui respondent
50 100 150 200 250 300 350
Milliaria Germanica quorum 15 unum Constituunt gradum
5 10 15 20
Notarum Explicatio.
METROPOLIS.
Vrbs.
Civitas major.
Civitas minor.
Fortalitia
Argentifodinæ.
Plumbifodinæ.
Signum militare.
M. mons.
fl. F. fluvius.
A. Amnis.
T. Torrens.
L. Lacus.
QVANGSI
HVQVANG PARS.
KIANGSI PARS.
FOKIEN PARS.
TVNG-KING CONFINIA.
Tropicus Cancri.
Septentrio.
Meridies.
Occidens.
Oriens.
QVANGCHEV
Xaocheu
Nanhung
Hoeicheu
Chaocheu
Loting
Gucheu
Caocheu
Liencheu
Liucheu
Macao
HAI NAN.
Kiuncheu
Kiun Montes
Cum privilegio Sac. Cæsareæ Maj:
& Ordinum Belgicæ Fœder.
Excudit Joannes Blaeu.



absque attritione in scutellis, imo & vitra trigona fundunt, quæ licet ad perfectionem nostratium Europæorum non accedant, proxime tamen ab iis absunt, cum tamen ante adventum Patrum nostrorum ad Sinas vitri conficiendi modum atque artem penitus ut puto ignorarint: automata illa, quæ majoribus minoribusque rotis dentatis constant, etiam conficiunt, licet minora illa subtilissima horologia nostra rotatilia non ita adhuc capiant: ex auro ductili rarissimas, tenuissimasque miro artificio efformant catenulas, capsulas aliaque hujuscemodi, quam artem alibi me videre non memini, vulgo Hispani *obras de fila grana* vocant: ex glutine etiam suo *Cie* sexcentas rerum species efformant scitissime ac nitidissime, quodque mireris vilissimo omnia pretio veneunt, cum enim victus & amictus facile parabiles sint, opifices levissimo etiam lucro acquiescunt.

Proregis dignitas.

Quantung autem Provinciæ Prorex inter primos sui ordinis censetur: cum enim in extremis regni finibus sita sit, ac quam longissime distet à regia, totaque præterea mari alluatur, non raro itinera habet latronibus infesta, mariaque pyratis. hinc statutum ut *Quantung* Prorex, *Quangsi* etiam Provinciæ cum potestate præsit, (licet illa quoque, veluti cæteræ, suum habeat proregem;) imo eadem de causa, non uti alias solet, in ipsa metropoli sedem habet Prorex, sed in urbe *Chaoking*, quæ urbs *Quangsi* Provinciæ contermina commodiorem visa est offerre stationem. Metropolim tamen tenet magnus maris Architalassus, *Haitao* Sinæ vocant, qui pyratarum conatibus invigilet, quam ob rem magna plane pollet potestate.

Nomina antiqua.

Hæc etiam Provincia primum Sinicis parere cœpit Imperatoribus sub finem *Chevæ* familiæ, vocataque est *Nanive* regnum; nec diu tamen Sinis subesse voluit, ab illis namque deficiens non nisi suos *Nanive* agnovit reges. at *Hiaoúús Hanæ* Imperatoriæ familiæ omnes has regiones coram ipsemet præsens expugnavit, atque suo subjecit Imperio, exin Sinico Imperatori subfuere.

Anatum copia.

De anatum in hac Provincia copia, atque incolarum in illarum educatione industria, quam sæpe sum admiratus, haud abs re erit, quædam hic breviter perstringere: quamvis enim per totam Sinam passim alantur, nusquam tamen, quam hic copiosior proles est. Ova tepido furno aut fimeto dextre intrudunt, excluduntque absque matrum incubatione uti fertur de Ægyptiis: in naviculis magnas sæpe harum anatum cohortes alunt, quibus ad pabulum quærendum eas vel ad maris littora, vel fluviorum ripas transvehunt, ut æstu recedente ostrea, cancri, squillæ aliaque hujusmodi insecta marina aquis recedentibus in littore destituta, illis præda atque esca fiant: sæpius plurimæ concurrunt naves, plurimæque cortes inter se in ipsis aquis aut littore miscentur, noctu tamen aut vespere adventante quælibet ad naviculam suam, uti columbæ ad nidulos, revertitur, pelvi pulsata quasi signo receptui dato, in suam quæque navem redit. anates hasce sale etiam, ut diutius servari possint, condire solent, nihilque propterea suavitatis, aut soliti saporis gratissimi amittunt:

Ova salita.

Ova quoque anatum saliunt, sale cum terra argillosa misto, aut cretosa, ea coöperiunt, è qua per ipsam etiam testam ova illum imbibunt, quæ res apud Europæos nova omnino ac rara est, facileque Sinicum ostendit ingenium; solo enim sale aut muria immersa ova salsedinem minime admittunt; ubi creta aut argilla illita fuerint, ea imbuuntur, cibusque est non ingratus, imo & salubris, quippe qui & à Sinensibus Medicis ipsis ægris concedatur. reliqua singulis locis propria in particulari urbium descriptione reperies.

Rosa colorem mutans.

Non tamen hic prætereunda rosa Sinica est, illa nimirum, quæ diebus singulis bis colorem mutat, purpureaque modo tota, modo rursus omnino alba evadit; caret suavitate odoris, in arbore nascitur: illa colorum mutatio visa mihi quidem semper aliquod naturæ arcanum mysterium, quod mystis illis amplius discutiendum relinquo, quibus novas jam de colorum natura, lucisque incidentia & reflexione sententias cudere adlubescit.

Prima Urbs seu metropolis
QVANGCHEV.

Nomina antiqua.

HUjus nobilissimæ urbis territorium olim ad *Nanive* Reges pertinuit, locusque tum erat ignobilis ubi modo metropolis est, & *Jangching* dicebatur; *Hiaovus* omnibus Australibus provinciis debellatis, hoc in loco dilatato aliquantulum pomœrio *Quangcheu* urbem statuit, in eaque regulum constituit feudatarium. *Cynus Sinhoei* dixit, *Suius Fancheu*, *Tanga* & *Sunga* familia eodem nomine *Cinghai*, at *Taiminga* antiquum *Quangcheu* nomen restituit. Includit hujus urbis territorium civitates quindecim, quibus *Macaum* Lusi-

 tanorum

tanorum haud adnumero, licet in hoc etiam territorio sita sit, 1 *Quangcheu*, 2 *Xunte*, 3 *Tungúon*, 4 *Cengching*, 5 *Hiangxan*, 6 *Sinhoei*, 7 *Cingyüen*, 8 *Sinning*, 9 *Çunghoa*, 10 *Lungmuen*, 11 *Sanxui*, 12 *Lien*, 13 *Jangxan*, 14 *Lienxan*, 15 *Singan*.

Urbis termini. Ad ortum, Boream ac occasum hanc regionem montes claudunt, reliqua vero ipsa maria; ubique copiosis aquis irrigua est, amœnas feracesque hinc inde obtinet planicies. Ipsa metropolis non sua tantum magnitudine celebris est, quippe quæ ad quatuor Germanica milliaria suis cum suburbiis occupet, sed & publicorum ædificiorum splendore, incolarum frequentia, atque ipso situ nobilis; tametsi enim à mari aliquanto distet spatio, navium tamen majorum ad ipsa usque urbis mœnia capaces habet alveos, quibus undique latissime cingitur: porta una, eaque Borealis in continente est. emporii magnitudini respondet mercium copia, mercatorumque concursus, ex quibus opes ac commoda nascuntur: merces ex hac urbe quotannis evehuntur innumeræ, & ab exteris advehuntur, soli Lusitani qui *Macai* degunt, ingentes hinc divitias hauriunt: *Divitiæ.* bis enim illis quotannis illuc ad nundinas proficisci, ac morari illarum tempore licet; mille trecentas omnis generis sericorum pannorum arcas hisce temporibus secum deducere consueverant, quælibet arca centum & quinquaginta continebat serica volumina, panni rasi, damasceni, aliorumque hujuscemodi: efferebantur quoque more solito auri, ut vocant, panes bis mille quingenti, quilibet decem *Toel*, ut ajunt, appendebat, singuli autem *Toel* tredecim regales Hispanicos seu Philippicos æquant pondere, adeoque panis quilibet aureus tredecim plus minus fuit unciarum. Muschi tum congerere soliti libras octingentas: hisce byssum sericumve non laboratum, aurea fila, lapides pretiosos ac gemmas, uniones, multaque alia haud adnumero. Neque Lusitani tantum, sed vel maxime *Siones*, *Camboiani* aliique viciniores hanc urbem frequentant, unde tanta navium illic multitudo est, ut integram materiæ sylvam videre te credas, ex quibus facile est de urbis opulentia formare judicium; atque hæc eadem intelligenda sunt de nobilissima civitate *Hiangxan*, in qua præcipui ac ditissimi habitant mercatores.

Macai descriptio. *Macaum* haud dubie inter nobilissima totius Indiæ emporia jam pridem est numeratum, de quo tacere hic fere præstat, quam nimis pauca dicere; quia tamen ab aliis hæc fusius deducta sunt, brevibus, quæ hic necessaria, perstringam. Jacet hæc civitas in exigua peninsula insulæ majoris, in ipso promontorio fortissimo ac viribus humanis bene inexpugnabili loco, undique mari cincta, si Borealem terræ quasi linguam excipias; mare circumcirca habet minime altum, unde navibus vix patet accessus, nisi per ipsum portum, ad quem egregium munimentum est: illud naves tantum non radere coguntur, cum portum ingredi volunt, ubi complura præclara atque insignia sunt majora tormenta, nusquam enim plura aut meliora, quam hoc in loco conflari existimo: hic enim funduntur assidue nova ex Japonico ac Sinico cupro, atque hinc toti Indiæ provideri solet. *Macaum urbs munitissima.* Qua vero terra patet iter, nulla prorsus arbor, nullum impedimentum est, sed omnia oculis atque ictibus pervia; duo tantummodo egregie etiam munita castella sunt in vicinis collibus ædificata, quæ non parum roboris ac securitatis ab hostibus ipsi urbi præstant. Ubi nunc urbs est, olim idolum erat *Ama* dictum, & quia optima ibi navium statio est, quam Sinæ *Gao* dicunt, hinc *Amacao* ortum est nomen, cnm alias dicendum fuisset *Amagao*; hic itaque hactenus incultus locus ab Lusitanis excoli & habitari cæptus est, ipsis concedentibus Sinis, atque ultro annuentibus: unde non ita multo post in celeberrimam hanc ac frequentissimam evasit civitatem, propter multiplex rerum omnium, quæ vel ex Europa, vel ex tota India Lusitanis navibus feruntur, & ex Sina advehuntur commercium: quamvis autem ab emporii celebritate, incolarum ac domorum, præcipueque monasteriorum cumprimis visenda sit civitas; maxime tamen illam extollit, quod non tantum in ultimum illum orbem immensa hominum cupiditas negotiatores illos detulerit; verum etiam ne latius paterent Lusitanici Imperii fines, quam illius Christianæ religionis propagandæ ardor, confluxere ad hanc civitatem religiosi viri, sacerdotesque non pauci, qui vel Lusitanorum in rebus divinis curam gerunt, vel exteros indigenas ad Christum adducendos suscepere; quinimo hinc fere omnes illæ inclytæ prorsus ac nobilissimæ expeditiones rei Christianæ in *Japoniam*, *Sinam*, *Tungkinum*, *Cochincinam*, *Camboyam*, *Laos* ac cæteræ exortæ sunt, Lusitanorumque mercatorum eleemosynis adjutæ omnino ac promotæ, quod genus pietatis in hac maxime civitate floruit,

floruit, unde haud immerito Lusitaniæ Reges eam urbis titulo ac prærogativa donarunt, ac Sedis Apostolicæ authoritate accedente præsulem illis impetrarunt, quo rerum ibi divinarum ac sacrarum majestas tanto apud exteras ibi gentes evadat major, administratioque solennior. Quod in hac Provincia rarum, arbor illa est, quam Lusitani ferreum vocant lignum, nec temere, siquidem colore, pondere ac duritie ferrum durissimum æquat, imo nec aquis supernatat, sed subsidit: ex hoc ligno durissima quæque ac maxime durabilia fiunt instrumenta.

Montes. Habet quoque Societas JESU in hac *Quangcheu* Metropoli vero Deo templum sacrum. Sunt intra mœnia tres colles amœni, egregiisque ædificiis conspicui, primus *Juesieu*, aler *Fan*, tertius *Gheu* dictus: prope *Xunte* est *Lungnien* mons crystallino fonte insignis, in eodem rudes quidam lapides reperiuntur miris & exoticis constantes figuris, quos Sinæ ad fictitios efformandos montes adhibent, atque expetunt.

Tahi mons prope *Tunguon* ad littus maris, ubi ad sex supra triginta parvæ insulæ numerantur.

Huteu mons prope *Tunguon*, in mari altam, magnamque Insulam efficit, quam versus navigant, ac pro Pharo observant quicumque navibus *Quangtung* Provinciam petunt.

Lofeu mons ingens est, qui à *Changching* incipiens usque ad *Polo* civitatem pergit, quæ una ex iis est, quæ subditæ sunt urbi *Hoeicheu*.

Prope *Sinhoei* in mari est *Taimuen* Insula ac mons, ex quo cum ultimus *Sungæ* familiæ Imperator à Tartaris *Juenæ* familiæ expulsus, victus, & ad summas angustias redactus esset, sese cum maximo ac amicissimo præfecto desperatis rebus in mare præcipitavit, mutuoque in amplexu aquis ambo fuerunt suffocati.

Talo mons amplus prope *Cingyuen*, inde ad territorium usq; *Hoaicie* civitatis in Provinciam *Quangsi* excurrit, in eo inculta gens adhuc habitat, Sinis minime subjecta.

Flumina. Ab urbe Notapeliotem versus insula est *Pipa* dicta, aliaque ad ortum quinquaginta stadiorum *Liechi* nomine, utraque in mari illo jacet, quod ad Austrum urbem ipsam ingreditur.

Prope *Tunguon* insula est *Xanhu*, hoc est, corallii, ita vocitata quod coralli rubri ramum inde quandoque piscator quidam eduxerit.

Secunda Urbs
XAOCHEV.

PRima hujus regionis fit mentio sub finem *Chevæ* familiæ, ac tum quidem *Pegao* dicitur, fuit postmodo regum *Cu*, sub *Cina* familia ad *Nanhai* terras fuit relata, *Hana* familia *Queyang* dixit, hodiernum nomen jam inde habet à familia *Tanga*. Describit autem hanc urbem paulo fusius, & uti solet, eleganter *R. P. Nicolaus Trigautius*: Urbs *Xaocheu* visitur inter duo flumina navigari solita, quæ hic in unum confluunt, alterum quod *Nanhiung*, ad ortum alluit; alterum quod ex *Huquang* Provincia profluit, spectatque urbem ad occasum. urbana vero mœnia, & civium ædes, in medio agro, quem flumina relinquunt, exstruuntur, unde fit ut non nimis late pateant, & ad reliquas ædes agrum in altera fluminis ripa utrimque quærant; ex eo vero, quod occidua ripa frequentius habitetur, pons est ex navigiis inter se colligatis. Numerat urbs ad quinque familiarum millia: ferax est imprimis regio, oryzæ & pomorum, piscium etiam, carnium, atque olerum; verum insalubris est aër, & cœlum inclementius. *Et paulo infra addit:* Cœnobium repererunt in insigni planitie, cincta undique collibus amœnis, quos supra naturæ honores ars arboribus frugiferis ita vestierat, ut nihil æque oculis blandiri posse videatur, maxime quod eas cœli clementia ab hyemis nudæ foliis interitu vindicaret, ipsa porro planicies oryzam, aliaque legumina educebat rivuli perennis maxime beneficio, qui mediam planiciem irrigabat, in colle quodam præ cæteris amœno, quem fons aquæ potabilis eximia magnitudine totum rigat, fanum illud, moles prægrandis visebatur, juxta illud cœnobium, in quo mille idolorum sacrificulos hujus agri dominos benefica & impia pietate majorum commorari ferunt: id originem habuit à viro quodam annis retro plus minus octingentis, quem *Lusu* vocant, hic eum ajunt magna sanctimoniæ opinione floruisse, quam illi conciliavit asperrima vitæ ratio; hunc etiam narrant æterna catena supra nudam carnem cinctum oryzam cribrare solitum, & de more conterere leviter, quantum cœnobitis mille sufficeret in victum quotidianum: ex ea catena caro computruerat usque adeo, ut vermes ex ea scaturirent, è quibus, si aliquis fortasse in terram decideret, ab eo reponebatur dicente, an tibi deest, quod rodas? quod fugere in mentem

Antiqua nomina.

Lib. 3, cap. 1.

Cœnobium magnificum.

Lusui asperitas vitæ rara.

mentem venit? in eo igitur loco cadaver illius adſervatur, eique colendo celebre illud fanum eſt erectum, quo ex univerſo regno à peregrinantibus concurritur, nam ubique ipſe, reſque ipſius omnes in magna habentur veneratione. Hi dæmonum miniſtri in duodecim diviſi ſunt ſtationes,& unicuique præfectus eſt deſignatus præter eum, qui toti cœnobio cum ampla poteſtate præeſt.

Mons ille, in quo cœnobium eſt, *Nanhoa* dicitur. fons vero, qui montem lambit, in eoque originem habet *Çao* nomen habet, jacet autem ab urbe verſus Notapeliotem: numerat eadem urbs tria alia nobilia fana, & Societatis JESU templum in hac urbe habuit, quamvis modo eo careat.

Urbis tractus ut plurimum montibus refertus eſt, vocaturque Borealis *Jue* regni porta. ſex illi ſubſunt civitates: 1 *Xaocheu*, 2 *Lochang*, 3 *Ginhoa*, 4 *Juyuen*, 5 *Ungyuen*, 6 *Ingte*.

Montes. Prope *Lochang* mons eſt *Chang*, in eo nigræ naſcuntur arundines, ex quibus Sinæ fiſtulas ſuas conficiunt, multaque alia, quæ ex ebeno confecta eſſe videntur.

Lichi mons prope *Ungyuen*, in quo lacus eſt, qui ab octo oritur rivulis, ejus aqua adeo ſalubris eſt ut paſſim habeatur medica.

Flumina. Fluvius qui ad Auſtrum eſt *Siang* & *Kio* dicitur, oritur ex confluxu *Chin* amnis, & *Vu*, ille ex *Nanhiung*, hic ex *Quangſi* deſcendit: locus in quo flumina conveniunt, multorum naufragiis dicitur infamis, unde ad ripam fanum eſt idolorum, quod tranſituri nautæ frequentant, oblatiſque muneribus, ut felicem navigationem obtineant, numen illud ſcilicet placant.

Prope *Ginhoa* eſt rivus *Kinxe*, cujus accolæ arundinibus abundant, eaſque in fila adeo ſubtilia ſcindere norunt,ut ex iis etiam veſtes contexant.

Tao rivus, id eſt pomorum perſicorum, prope *Ingte*;ita dictus quod ripas arboribus Perſicis conſitas habeat.

Tertia Urbs
NANHIVNG.

FLumen *Chin* aſcendentibus hujus urbis, quæ fluvii origini proxima eſt, aſpectus occurrit; ea eſt hujus Provinciæ maxime borealis, emporium dives ac frequens, undique enim advenientes merces excipit, quæ hic à bajulis per montem diei unius itinere deferuntur, uti in *Puching* civitate Provinciæ *Fokien* ſupra dixi: habet propterea hæc urbs telonium, in quo vectigal ſolvitur, & quia de his ſæpe locutus ſum, nunc de eorum moderatione dicendum eſt aliquid, vere enim Europæi ab hac gente, quæ barbara olim credita eſt,habent quod hac in parte diſcere poſſint:nunquam hic è navi exponuntur merces ut inſpiciantur, ſi mercatores cum fide librum exhibeant,in quo quænam eæ,quotque ſint notetur: ſi quis tranſeat, qui mercator non ſit, tametſi quædam ex iis, quæ ab una provincia in alia deducuntur, ſecum habeat, nihil ab eo petitur: ad veſtes autem alicujus corpuſve, ut exploret quis, manum porrigere, aut denudare jubere partem corporis, ſimiliaque,quæ quibuſdam in locis inepte fiunt, barbarum hic prorſus credunt, inurbanum, atque homine indignum.

Plurimi hic ſunt montes, eratque olim medio in itinere, quo ferri onera ſolebant mons arduus ac præruptus nomine *Muilin*, qui magnas bajulis illis moleſtias faceſſebat, is à præfecto quodam ſuis id ſumptibus procurante, tandem ſublatus eſt, atque ita complanatum eſt hoc iter,ſectoque lapide ſtratum, ut non modo pedites ſed & equites, iique qui ſellas geſtant,commodiſſime conficiant, pertranſeantque ipſum montis verticem: in cujus ſummitate ad æternam tanti facinoris, beneficiique memoriam erectum fanum eſt, illique Præfecto dicatum, in quo grata poſteritas illi ſuffitum facit pretioſis accenſis paſtillis, odoribuſque gratiſſimis excitatis, non tamen idcirco eum ut numen venerantur, ſed tantummodo grati animi mnemoſymon exhibent: ibidem præclariſſima viſitur turris novizonia in altiſſimo montis vertice. *Iter complanatum.*

Antiqua nomina. Hæc regio etiam ad *Çu* reges pertinuit, ſub *Cina* familia ad *Nanhai* regionem ſpectavit, ſub *Hana* ad *Queiyang*,& hæc urbs *Hiungcheu* dicta eſt. *Sunga* familia hodiernum dedit nomen.Duas tantummodo urbs hæc regit civitates, 1 *Nanhiung*, 2 *Xihing*.

Reperitur in hac regione lapidis genus adeo durum, ut ex illo ſecures, ac cultellos ſaxeos conficiant: eſt & alius lapillus Sinico atramento ſimillimus, eo, ut nos creta, ad ſcribendum in tabulis raſis ac candidis utuntur.

Montes. *Muilin* mons ille, qui in planum redactus eſt, in quo fanum *Junſung* præfecto *Changkieulingo* dicatum, de quo fuſius actum ſuperius.

Tienſung mons altiſſimus ac amplus ad urbis Borealem partem eſt: *Siecung* mons prope

prope *Xihing*, qui pulchritudine ac amœnitate reliquos omnes hac in regione facile superat.

Flumina. *Chin* flumen hic originem habet, perque illud navigatur usque ad mare: totam enim Provinciam mediam secat, mutato sæpe nomine *Siang* & *Kio* dicitur.

Mekiang amnis, hoc est atramenti, nigerrima enim aqua est, atramentoque simillima; non item pisces, qui præstantissimi censentur.

Quarta Urbs
HOEICHEV.

Soli natura. HOeicheu urbs territorium optimum hujus Provinciæ habetur, apricum est & amœnum, soloque ac pingui gleba gaudet, aquarum etiam complures obtinet scaturigines. decem in eo numerantur *Civitates sub ea.* civitates: 1 *Hoeicheu*, 2 *Polo*, 3 *Haifung*, 4 *Hoiúen*, 5 *Lungchuen*, 6 *Changlo*, 7 *Hingning*, 8 *Hoping*, 9 *Changning*, 10 *Junggan*. Priscis temporibus ejusdem sortis ac loci cum superiori urbe fuit.

Nomina antiqua. *Leanghus Leanghoa* dixit, *Suius Lungcheu*, *Tanga* familia *Haifung*, *Sunga* nomen indidit, quod etiamnum hodie retinet. Quia mari vicina regio est, piscibus abundat, ostreis, ac astacis, cancrisque sapidissimis: *Testudines ut scopuli.* testudines adeo magnas hoc mare nutrit, ut à longe aspectantibus scopuli esse videantur ac saxa; quin sunt qui scribant visas quæ in dorso arbusta, atque herbas natas secum portarent: ex harum domibus atque testis varie scissis & in laminas redactis, cuilibet etiam figuræ aptatis, multa eaque rarissima utensilia conficere norunt Sinæ. Naturæ etiam illud hic prodigium est, quod *Croceus piscis avis.* *Hoangcioyú*, hoc est croceum piscem, avem vocant, nec enim piscis est, nec avis tantum, sed utrumque: per æstatem scilicet totam avis est crocei coloris, per montes volitans; autumno fere absoluto mare petit, ac rursum piscis evadit, quem hyberno tantum tempore capiunt, & suavissimi saporis à Sinis esse scribitur.

Numerat hæc urbs inter reliqua nobiliora ædificia tria heroibus dicata fana, pontesque duos nobilissimos: unus quadraginta magnis arcubus constat ad urbis orientalem partem, ubi confluentes sunt duorum fluminum; alter vero ad occasum est, lapideus totus, plurimis fornicibus erectus supra lacum *Fung*; quin & lacus ipse circumquaque aggere lapideo clausus est, ne aqua effluat, relictis cataractis, quibus tantum aquæ emittunt admittuntque, quantum necessitas, aut usus ad oryzæ campos irrigandos postulat.

Montes. *Lofeu* mons prope Polo est, ex decem maximis totius Sinici Imperii unus, fit ex concursu montium *Lo* & *Feu*, ad territorium usque metropoleos extenditur, ejus altitudo ter mille, & sexcentarum perticarum esse dicitur, ambitus trecenta stadia continet, acclives colles habet quindecim, cavernas quadringentas & duas supra triginta: multa alia hic omitto, quæ in eo notant Sinæ montium scrutatores nimii, quia ea parvi apud me momenti sunt, ac brevissime perstringo omnia, ut quam citissime me ab hoc molesto opere expediam. Illud tamen non prætereundum, longissimas in eo produci arundines, easdemque crassissimas, quæ *Arundines maximæ.* reliquas fere omnes superant, trunci circumferentia decem subinde aut plures palmos æquat, aut etiam superat.

Ho mons ingens prope *Lungchuen*, in quo trecentos & septuaginta duos colles numerant.

Flumina. *Tung* flumen originem habet in *Cancheu* urbis montibus *Kiangsi* Provinciæ, *Hayuen* transit civitatem, & hanc urbem, inde mare subit.

Fung lacus ad urbis occasum est, decem stadia æquat ejus circuitus. in eo sunt insulæ duæ, in quibus ædificia sunt aliqua ad animi voluptatem exstructa pro incolis, in quibus convivia ac symposia sua celebrant. totus undique lacus aggere lapideo de more munitus est, pons medium dividit, ab Insula ad Insulam & utramque ripam extensus: ripa omnis pulcherrimis arboribus, viridariis ac Musæis consita est ac conspicua.

Quinta Urbs
CHAOCHEV

HUjus urbis regio totius Provinciæ maxime vergit ad ortum, eam magni ac continui montes à *Fokien* separant, quia tamen ut plurimum aquis abundat, solo fertili est, præterquam qua saxis ac rupibus horret: decem regit civitates, *Civitates.* 1 *Chaocheu*, 2 *Chaoyang*, 3 *Kieyang*, 4 *Chinghiang*, 5 *Jaoping*, 6 *Tapu*, 7 *Hoeilai*, 8 *Cinghai*, 9 *Puning*, 10 *Pingyven*.

Ingreditur mare ac æstus ad ipsa usque mœnia urbis, & ad partem ortivam pontem obtinet sumptuosum, cujus latitudo quinque perticarum est, longitudo centum

& octoginta, dicitur *Cichuen* pons, sub quo *Go* fluvius transit: duo etiam in ea sunt fana illustria.

Sub *Cyn* Rege *Ygan* dicta est, Leangus *Ingcheu* dixit: *Suius* hodierni nominis auctor est; *Tanga* familia *Chaoyang*, at *Taiminga* denuo *Chaocheu* nomen reddidit.

Montes nobiliores. *Sangpu* mons prope *Kieyang* ad mare usque pervenit, ad littus altissimo vertice acutum assurgit in collem; flores quidam in eo rari esse dicuntur, avesque, quæ non item alibi reperiantur.

Prope *Kieyang* mons ejusdem nominis est, in duo quasi dividitur brachia seu ramos, quorum alter *Hingning*, alter *Haifung* civitates versus tendit.

Pehoa mons circa *Hoeilai*, à floribus nomen habet, toto enim anno varios fert pro varia anni tempestate.

Circa *Chinghiang* etiam sunt montes ingentes, ac admodum in recessu densi ac profundi veluti specus, nondum perlustrati à Sinis. multos in iis deperditos homines memorant, qui eos ad explorandum fuerant ingressi, quid vero de iis factum, aut quo evaserint, nescitur.

Flumina. Ad ortum urbis lacus est Tung, & ad occasum alter Si dictus. quilibet ex iis decem plus minus stadia occupat, suntque sylvis, collibus, ædificiis amœnissimi, ut à spectatoribus pictura potius aliqua arte facta esse dicantur, quam temere à natura efformati montes, tanta eorum est amœnitas vel ex solo aspectu.

Ad ortum urbis *Co* amnis est, quem incolunt crocodyli, etiam hic hominibus infesti.

Sexta Urbs
CHAOKING.

Nobilitat hanc urbem magnus ille duarum Provinciarum Prorex, de quo supra diximus; cumque huc undique, tamquam ad urbium caput ac fontem, concursus fiat, ampla sane ac magnifica effecta est urbs, privatis, publicisque ædificiis visenda, cui multa affert commoda ingens fluvius, qui ex *Quangsi* Provincia ingenti aquarum mole auctus, hanc urbem ad Austrum præterlabitur: extra ipsam urbem, ortum versus, in ripa fluminis novizonium superbissimum est ex iis, quæ antiqua gentis superstitio felicitatem regioni suæ portendere finxit: ibidem præstantissimum templum est, in quo Gubernatoris cujusdam statua visitur, qui de universa illa regione sexennii regimine optime meritus, solenni gentis ritu, grati animi testem, magnificam hanc statuam atque adjectum opus, ante annos fere sexaginta obtinuit; ad hoc autem templum ab ipsa urbe vicus aut potius suburbium patet, arboribus hortisque amœnissimis consitum. Urbs ipsa undecim regit civitates, quarum 1 *Chaoking*, 2 *Suhoei*, 3 *Sinhing*, 4 *Tangchun*, 5 *Tangkiang*, 6 *Caoming*, 7 *Genping*, 8 *Teking* ○, 9 *Quangning*, 10 *Fuchuen*, 11 *Caikien*.

Urbis nobilitas. *Statua singularis.*

Pavones. In hac regione primum reperiuntur pavones, qui & sequentibus Provinciis communes sunt, tum sylvestres, in montibus videlicet ac sylvis; tum cicures, qui in aliis Provinciis rari sunt, & non nisi ex his allati.

Piscis bos aut vacca. Flumen piscem fert, quem natantem vaccam vocant Sinæ; hic in terram exit, & sæpe cum vaccis domesticis pugnat, ac cornu petit; at si diutius extra aquas perstiterit, cornu mollescit, ac flaccescit, omnemque amittit duritiem, unde in aquas redire coactus, piscis denuo evadit, pristinamque duritiem in aquis recuperat. Multa etiam odorifera ligna producit: Aquilam nimirum; &

Ligna rara. illud quod Lusitani *Pao de rosa*, seu rosaceum vocant, quo ad capsulas, mensas, sedes, similiaque conficienda frequentissime utuntur. quoque vix aliud est præstantius, coloris ex nigro rubricantis, venis quibusdam intercisum, & artificiosa benigne obstetricantis naturæ quasi manu depictum.

Hic tractus ad *Pegao* sub Imperatoria *Cheva* familia pertinuit: Sub *Cina* ad *Nanhai*: *Leangus Caoyang* dixit, *Suius* vocavit *Sigan*: *Tanga* familia *Xuicheu*, hodiernum nomen inditum à *Sunga*

Montes. Ad Borealem urbis partem *Ting* mons est, in quo lapis esse scribitur altus perticas ducentas.

Virginitatis exemplum. Mons *Chin* sive castitatis, ita dictus à puella virgine, quæ in eo ad mortem usque caste vixit, ut sponso, cui promissa fuerat, à tigride interempto fidem servaret; ad hunc autem montem confugerat, quod parentes eam cogere vellent ut alteri nuberet: in territorio Suhoei civitatis est; in eo duo fana huic virgini dedicata sunt; tanti hæc gens insolitas hasce suspicit, ac æstimat virtutes.

Fons mirabilis. Prope *Singing* mons est *Tienlu* cavernosus, atque horridus aspectu; in eo fontem esse scribunt seu stagnum inaccessum, cui si ex alto vel lapillus injiciatur, boatus ac strepitus auditur ad instar tonitrui, ac quam mox turbidum fit cœlum, ac pluvia decidit,

dit, inde draconis ſtagnum dicitur: ſimile quiddam eſſe volunt in Alpibus Rhæticis.

Hailing mons ſive inſula, trecentorum ſtadiorum, dicitur etiam *Locheu*, prope littus *Tangkiang* civitatis eſt.

Caoleang mons prope *Teking*, ex eo celebris, quod ingentes arbores, quas ferreas, ſeu lignum ferreum vocant, profert.

Septima Urbs
KAOCHEV.

Nomina antiqua.

Fuit olim hæc regio *Jue* Regum; *Cina* familia extinctis regibus, *Nanhai* terris adſcripſit; *Hana* hanc urbem *Caoking* dixit, hodiernum nomen Rex *Leangus* dedit. Sex regit civitates, quarum territorium à mari, ac à continuis circumquaque montibus ad mœniorum modum ſepitur, ac clauditur; ſunt autem, 1 *Caocheu*, 2 *Tienpe*, 3 *Sing*, 4 *Hoa* ⊙, 5 *Vuchuen*, 6 *Xeching*.

Alit hic terræ tractus pavones quamplurimos; præſtantes ac generoſos ad venationem vultures; lapides illic, ſeu marmora effodiuntur, quæ in laminas ſecant, amantque Sinæ pro menſis ſimilique ſupellectile adornanda, notis enim quibuſdam, ſeu venulis variegati coloris, ita ſunt à natura depictæ, ut montium, aquarum, regionisque ſubinde alicujus figuram referant: ex vicino mari uniones hauriunt incolæ, quæ piſcatio hic antiquiſſima eſt inter hanc Provinciam & *Hainan* inſulam: genus etiam quoddam piſcis exoticum eſt, quatuor oculis præditum, ac ſex pedibus, hepatis figuram utcumque repræſentans: ab hoc piſce etiam uniones expui volunt Sinæ, præter eos quos ex oſtreis colligunt; fortaſſe expuunt, quos ante vorarunt cum ipſis oſtreis.

Piſcis cum quatuor oculis.

Aliud eſſe animal in hoc mari ſcribunt, capite volucrem, cauda piſcem referens, illudque pretioſos quoſdam lapillos continere. quod veriſſimum eſt; ſunt cancri marini quidam, qui capiuntur vivuntque in aquis inter hanc urbem & *Hainam* inſulam; ambulant, formamque habent ut cæteri, nihil admodum à reliquis diſcrepantes; niſi quod, ubi ex aqua educuntur ac aërem ſentiunt, continua, ſervata tamen antiqua figura ac lineamentis, lapideſcant, duriſſimumque lapidem referant: Luſitani ac Sinæ ipſi eos contra calidas febres adhibent, amantque. Illis ſimiles in lacu quodam *Hainan* inſulæ ſunt, qui etiam extracti lapideſcunt.

Cancri lapideſcentes.

Per *Lien* fluvium æſtus maris ad uſque ipſam urbem ingreditur, navibuſque Sinicis aditum præſtat, unde rerum omnium magna undique in hanc urbem advehitur copia.

Montes.

Feu mons ad ortum urbis tantæ altitudinis, ut hunc ſolum eluvionis Sinicæ tempore, vertice ſuper aquas eminuiſſe velint, in eoque homines aliquot ſalvos perſtitiſſe & incolumes.

Caoleang mons circa *Tienpe*, hujus naturæ eſſe ſcribitur, ut numquam nec ab æſtate calorem, nec ab hyeme frigus incolæ timeant, adeo ibi ver perpetuum eſſe volunt.

Prope *Hoa* civitatem pulcher ac aſpectu amœnus mons eſt *Pao*, hoc eſt pretioſus, ab incolis animi relaxandi gratia plurimum frequentatus.

Octava Urbs
LIENCHEV.

Regit *Liencheu* urbs civitates quatuor, 1 *Liencheu*, 2 *King* ⊙, 3 *Lingxan*, 4 *Xelien*. Eſt hic terræ tractus hujus Provinciæ *Quangtung* maxime ad occidentem, ipſi *Tungking* Regno viciniſſimus, à quo eum continui montes ac fluvius *King* ſeparant: difficillimum hinc iter eſt per horridos & inacceſſos montes in *Tungking*, unde quaſi à natura diviſi hi duo videntur terrarum tractus, ac *Tungking* ex hac parte à Sinis ſat tutum atque à natura munitum eſt.

Antiqua nomina.

Olim *Nangao* fuit regionis. *Cina* familia *Siang* terris adnumeravit, *Hana* hunc locum *Hopu*, *Suius Hocheu* dixit; hodiernum nomen primum dedit *Tanga* familia, quod *Sunga* mutavit in *Taiping*, ſed *Taiminga* iterum *Liencheu* dici voluit.

Producit hæc etiam regio pavones, uniones, plurimaque affert arte facta è teſtudinum exuviis: duo nobiliora fana heroibus habet erecta.

Montes.

Ad Boream urbis mons eſt ingens atque abdito receſſu, *Uhoang*, de quo hanc apud Sinenſes ſcriptores reperio fabulam: fructus in eo monte reperiri, alibi numquam viſos, quibus veſci ad ſaturitatem cuilibet liceat, at non ſecum inde auferre; id qui tentarint, numquam ex hocce labyrintho ſeſe extricandi reperire viam. an hic & aliqua fortaſſe *Lotophagorum* regio eſt? certe fabula non abſimilis.

King civitas montem *Heng* habet foſſæ vicinum.

Loyang mons circa *Lingxan* tantæ altitudinis, ut duos impendere integros dies opor-

oporteat eum, qui verticem subire velit: à *King* civitate versus occasum per montes difficillimum iter est, in quo *Mayúenus*, cum in *Tungking* arma movit, columnas æneas disposuit, ut reditus viam agnosceret: earum una adhuc extat in *Fuenmao* declivi vertice, ubi limes est inter *Tungking* Regnum & Sinas.

Flumina. Mare ad Notapeliotem ad ipsam urbem pertingit, ubi pulcherrima navium statio est, *Chung* dicta.

King flumen in *Quangsi* Provinciæ confinibus originem habet, mox ad orientalem partem *King* civitatis, cui nomen dat, præterlabitur, ac per amplissimum ostium mare subit.

Lungmuen flumen in montibus occidentalibus *King* civitatis originem habet, in *Tungking* profluit.

Quinque lacus parvi, *U* dicti, *King* civitatem ambiunt.

Nona Urbs
LVICHEV.

Situs. Peramœno ac fertili agro sita est *Luicheu* urbs, rerum omnium ubertate varietateque facile omnes hujus Provinciæ urbes, quæ ad occidentem vergunt, superat; mari vicina est, illudque ad ortivam urbis partem urbem ipsam attingit: urbi fulmen nomen dedit, quod ex monte amœnum aquæ fontem elicuit, ubi fulminum spiritui seu Deo magnificum ac superstitiosum incolæ ædificarunt templum: *De fulmine quid sentiant Sinæ.* fingunt enim fulminibus spiritum nescio quem præesse, esseque fracti mallei partem, cum decidit, quo malleo ingentia pulsari tympana, indeque fulminis erumpentis strepitum ac murmur esse fingunt. toto autem anni tempore frequentia admodum tonitrua hic audiuntur. Exornat hanc urbem ad occasum lacus *Lohu*, ex quo per canalem intra urbem ductum alius rursum lacus efficitur, habet autem sub se tres civitates, 1 *Luicheu*, 2 *Suiki*, 3 *Siúuen*. Priscis temporibus *Gao* regio vocitata est, sub *Hana* familia *Siúuen* dicta, ab *Leango Hocheu*, hodiernum nomen à *Taiminga* familia est.

Abundat regio piscibus, pavonibus, unionibus: animal quoque in ea est, quod *Vacca velox.* velocem vaccam Sinæ vocant, hoc in vertice capitis à fronte oblongo ac tereti armatur cornu; tantæ velocitatis esse scribitur, ut trecenta stadia facile uno die superet. Præterea in omnibus hisce terris vimen illud mirabile nascitur, quod Sinæ *Teng*, Lusitani *rota* vocant; *Rota vimen ejusque usus.* funem à natura contortum esse credas, in maximam enim longitudinem extenditur, ac veluti funis per terram ac montes prorepit; spinis horridum est, foliisque oblongioribus viret, crassitie vix digitum æquat, & tamen sæpe ad integrum stadium diffunditur, tantaque per montes copia, ut inter se intricatæ stirpes etiam cervis iter impervium reddant; lentissimum prorsus vimen est, maximeque fractioni resistit, quamobrem ex eo rudentes, funesque pro navibus confieri solent; imo illud in licia vittulasque tenuissimas minutissime partiri solent, ex iisque corbes, crates, sedilia aliaque similia contexere, maxime vero subtilissimas ac mollissimas illas storeas, in quibus Sinenses plerique ad ipsum Regem nudi, dum somnum capiunt, decumbere consueverunt. quæ res & mundissima est, & æstate perfrigida, & Sinensibus, tametsi eæ storeæ vel nudis asseribus instratæ sint, sat commoda videtur ob longam ita decumbendi assuetudinem: ex iisdem viminibus ipsos lectulos efformant, ac pulvinaria, quæ rebus quibusdam odoratis infarciunt ad delicias.

Kinglui mons ad Austrum urbis est, ubi *Montes.* fons ille ex fulminis ictu emicuit.

Tafunglai mons vicinus est *Suiki*, prope littus in insula maritima, septuaginta in ambitu stadia obtinens: in eo octo pagi sunt incolis frequentes, quorum officium est, uniones ex mari illo piscari.

Mare ad orientalem urbis partem ingre- *Flumina.* ditur; ad occasum lacus est *Lohu*, qui etiam dicitur *Si* lacus.

Decima Urbs
KIVNCHEV.

Fretum maris trajiciendum est, si quis hanc urbem adire velit, est enim in insula *Hainan*, ad orientalem ejus partem in ipso promontorio sita, tota lacubus aquisque undique septa, per quos etiam navibus ad ipsa usque mœnia patet aditus: est hæc urbs hujus insulæ caput, tredecimque in eadem insula sitas regit civitates: 1 *Kiuncheu*, 2 *Chingyu*, 3 *Lincao*, 4 *Tingan*, 5 *Venchang*, 6 *Hoeitung*, 7 *Lohoei*, 8 *Chen* ○, 9 *Changhoa*, 10 *Van* ○, 11 *Lingxui*, 12 *Tai* ○, 13 *Cangen*. Tota hæc insula fere montibus obsita est, ac annosis sylvis; ferax rerum omnium, quas vitæ usus postulat: littora ab ipsis Sinis reguntur, ac Sinico

nico Imperatori parent; in mediterraneis gens est sui juris, quæ Sinarum præfectos non admittit, sed tantum cum Sinis ad littora degentibus, commercia instituit, præcipueque salem ac vestes expetit: in montibus auri, argentique fodinas esse scribunt Sinæ, montani tamen illa effodere aut nolunt, aut negligunt; ex arenis in fluminum ripis hincinde aliquid auri corradunt: uniones nusquam plures, quam circa Borealia insulæ littora sunt: Aquila lignum odoriferum crescit in montibus; uti & Ebenum; lignum Rosæ; & illud quod Brasilum vulgo vocant, quod ad tincturam per totam Sinam passim adhibent fullones: crescunt hic ubique nuces Indicæ majores, ac minores; fructusque ille vulgo habitus totius orbis maximus, quem *Jaca* in India vocare solemus, qui ob eximiam magnitudinem non in ramis arborum, quamvis illi quoque ingentes sint, sed ipsi trunco adnascitur, quasi ex metu, ne tantum onus rami ferre detrectent, quantumvis firmi aut robusti fuerint. Fructus cortex adeo durus crassusque est, ut securi aperiendus sit: innumeræ intus domunculæ seu folliculi sunt, in quibus pulpa est flavi coloris, quæ nucem veluti castaneam ambit; illa ubi maturuit, suavissima est; hæc igne tostas castaneas nostrates refert. Vimen etiam seu rotam, de qua supra, tota insula profert; illamque præcipue, quam rotam albam dixère, quæ sane præstantissima est. Abundat insula cervis, avibus variis, ac animantibus plurimis tum domesticis ac cicuratis, tum etiam feris atque sylvestribus: præterea, ad Australem insulæ partem balenas capiunt Sinæ eo plane modo, quo Batavi in mari Baltico haud procul à Groenlandia, ex quibus etiam oleum ad varios usus dein adhibendum excoquunt. Demum, ut innumera prætercam, admirationi hic est herba, quam *Chifung*, seu ostendentem ventum, nominant: nautæ enim ex illa quo mense, & quot toto anno futuræ sint tempestates, colligere se posse asserunt, idque ex nodulis seu geniculis ipsius; quo enim nodi pauciores sunt, eo pauciores illo anno futuræ sunt tempestates; ex distantia autem nodorum à radice scire, aut colligere posse se autumant, quo mense accidere tempestas debeat.

Aquila lignum, ac Brasilum.

Iaca fructus ingens.

Herba Chifung.

Ajunt Sinæ hanc insulam mille esse stadiorum; in ea Societas JESU Deo dicata habet templa, & plurimos Christi cultores: olim, antequam Sinis subesset, *Gao* terra dicta est; primus, qui hanc insulam occupavit, ex Sinis fuit magnus ille *Hiaovus Hanæ* familiæ Imperator, & quia quamplurimos ibi reperit uniones, *Chuyai* vocitavit, condita ea in insula ejusdem nominis urbe, atque hæc est, quæ modo *Kiuncheu* dicitur, *Chuyai* autem unionum littus sonat; *Leangus Tarcheu* dixit; hodiernum nomen *Tanga* dedit familia, quod à rubro marmore *Kiún*, quo abundat, desumptum est: insula tota vulgo *Hainan* dicitur, hoc est, ad Austrum maris.

Vnionum ferax.

Versus Notapeliotem urbis mons est *Tao*, ex nominatis in *Taoxu* libris ordine vigesimus quartus; ex eo spiris & mæandris sex supra triginta circumfluus rivus emanat.

Montes.

Ad Australem partem mons est *Kiún*, in quo marmora illa rubra sunt, à quibus urbis nomen adscitum.

Circa *Lincao Pisie* mons est fabulosis Sinarum narratiunculis inclytus: ferunt quippe in eo animal quoddam reperiri astutissimum, ut pene ratione uti credant, canis habet figuram; fuisse olim ex hoc genere quoddam ajunt, quod insulanorum exercitum per ignotos calles duxerit, ut ex *Cochinchina* ingressis hostibus iter intercluderent, ex quo insulanorum ingens consecuta victoria est, atque ipso in loco animali fanum statutum.

Animal astutissimum cui fanum dicatum.

Prope *Van* civitatem est insula *Tocheu*, centum stadiorum: in ea mons adeo altus est, ut nubes ipsas transcendat. Est & vertex altissimus prope *Yai* civitatem nomine *Hoeifung*, hunc tantæ altitudinis esse volunt, ut quod de Olympo prædicant, nec ventus, nec pluvia illius superiora infestet; ex mari tempestates reprimere, atque infringere videtur, unde illi nomen *Hoeifung* inditum, hoc est, remittens ventum.

De mari, quod *Kiún* civitatem alluit, illud notatu dignum scribunt Sinæ Geographi, quod maris æstum, quod tamen in aliis vicinis locis commune est, non sentiat; sed per dimidiam mensis partem versus ortum, per alteram dimidiam versus occasum fluat.

Flumina.

Tung lacus ad urbis orientalem partem est, ex ruina ingentis oppidi, & terræ hiatu productus. reliqua se habent, uti in mappis.

Munimenta.

DEcem omnino numerat munimenta ad Provinciæ & maris custodiam, quorum hæc sunt nomina, 1 *Taching*, 2 *Tung* ⊙, 3 *Hanxan*, 4 *Cinghai*, 5 *Kiaçu*, 6 *Kiexe*, 7 *Ciexing*, 8 *Hiung*, 9 *Jungching*, 10 *Ciunling*.

DECIMATERTIA PROVINCIA,

QUANGSI.



PRovincia *Quangsi* cum superioribus nec magnitudine, nec commerciorum frequentia, nec amœnitate ullo modo est comparanda, quamvis rebus ad vitam necessariis utcumque abundet. Undecim habet urbes, iisque superadditam militarem unam: quæ novem & nonaginta sub se civitates continent; quarum numerus, licet ad aliarum Provinciarum numerum accedat, aut excedat etiam quarundam, cedit tamen magnitudine spatii, incolarumque multitudine. Regio tota montibus referta est, si Australiora ad ipsum usque littus exceperis, ubi omnia cultissima sunt, tum ob soli planiciem, tum cœli paulo calidioris vitalem influxum. at Australes partes præcipue Sinico Imperatori non subsunt, sed ex illis quædam sunt, ex quibus *Tungking* regnum constat, quæ partes in mappa punctulis distinguuntur ab iis, quæ Sinarum sunt.

Tota Provincia fluminibus magnis, iisque non paucis irrigua est: quædam ex iis ex aliis Provinciis advenientia excipit, aliorum ipsa in sese scaturiginem continet: cæterum illud omnino notandum, omnia simul, quasi ex condicto, ad ortivam Provinciæ partem in unum confluere; tum illa quæ à Borea in Austrum, tum quæ ab occasu in ortum tendunt: tum vero veluti junctis viribus, magno impetu ac mole aquarum in vicinam *Quangtung* Provinciam irrumpunt.

Termini. Termini *Quangsi* Provinciæ sunt ab ortu & Notapeliote *Quangtung* Provincia, cujus etiam aliqua ad Australes pertingunt partes; à Notolybico *Tungking* sive *Ganan* respicit; occasum *Junnan* Provincia claudit; ad Barrolybicum *Queicheu* Provinciæ contermina est, reliqua *Huquang* finit: partes Boreales aliquæ ad Barrolybicum montibus magis horrescunt, minusque cultæ sunt, ibique montes altiores, saltusque frequentes circa prærupta & nemorosa loca sunt: orientalis pars cultior est, & navigabilia flumina, quamvis velocissima, habet; unde à Sinis, Sinicoque Imperatori subdita gente habitatur, cum contra in occiduis locis monticolæ sint legibus Sinicis minime adstricti. In libro, in quo totius Imperii census collectus est, scribitur hæc Provincia habuisse familias 186,719: viros vero 1054,760. orizæ tributum est saccorum 431359. reliqua ad hanc Provinciam pertinentia in particulari urbium descriptione reperientur. *Numerus hominum.*

Ante hoc ultimum Tartaricum bellum, quod, nobis inspectantibus tragœdiam illam feralem, Sinam totam misere afflixit, nunquam omnino doctrina aut lex Christiana hanc Provinciam penetrarat; sed quia ultimus Imperator hic Sinicus, aliis in aliis Provinciis à Tartaris sublatis, electus à suis est, nec pauci ex præfectis maximis, qui Christo nomen dederant, illum sunt secuti, inde quoque factum perbelle ac commode, ut Patres Societatis nostræ eadem hac occasione admissi, fidem ibi quoque Catholicam egregie propagarint, de quibus plura post paulo dicenda in ipsa metropoli.

Quam vero commode hæc Provincia tota fluminibus, aquisque irriguis secta sit atque divisa, vel ipso primo aspectu mappas intuentibus patet, adeo ut ægre alibi id reperturum te credas: Australes partes ab occasu in ortum claudit fluvius ingens *Ly*, mediam secat *Puon* fluvius dexter, eodem modo ab occasu in ortum deflectens, similiter *Tugni* fluvius eundum fluxum sequitur; atque eodem fere modo *Co* fluvius, sive sinister, progreditur: reliqui à Borea in Austrum serpentes per Provinciam totam flexibilibus mæandris, ac gyris intra ripas suas decurrunt, nihil ut ad amœnitatem commodumve addi posse videatur. ii demum omnes circa *Gucheu* urbem in unum confluunt, ac sic uniti in *Quangtung*, uti dixi, Provinciam irrumpunt.

Prima Urbs seu Metropolis

QVEILIN.

Nomina antiqua. PRiusquam Sinico subderentur Imperatori, hæ terræ ad *Pegao* dynastiam spectabant, erantque ultimæ versus Boream illius Imperio parentes, unde & *Cu* regni fuere limites: *Cina* familia omnibus



QVANGSI,
SINARVM IMPERII
PROVINCIA
DECIMATERTIA.
Stadia Sinensia quorum 250 uni gradui respondent
Milliaria Germanica quorum 15 unum Constituunt gradum
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
QVEICHEV PARS.
HVQVANG PARS.
IVNNAN PARS.
TVNGKING sive GANNAN PARS.
QVANGTVNG
QVEILIN
Lieucheu
Kingyuen
Tiencheu
Chingan
Sugen
Nanning
Cincheu
Taiping
Suming
Pinglo
Gucheu
Tropicus Cancri
Notarum Explicatio.
Metropolis.
Vrbs.
Civitas major.
Civitas minor.
Fortalitia.
Aurifodinæ.
Argentifodinæ.
Stanni fodine.
Ferrifodinæ.
Argenti vivi fodinæ.
M. mons.
fl. F. fluvius.
A. Amnis.
T. Torrens.
L. Lacus.
Exc: Joannes Blaeu,
Cum privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.
& Ordd. Belg. Fæder.

19.

bus occupatis prima eas vocavit *Queilin*, *Leangus Queicheu*, *Tanga* familia *Kienling*, *Sunga Cingkiang*, *Taiminga* denuo *Quein* restituit: maxima ex parte nomen habuit à *Quei* floribus, qui licet per totam reperiantur regionem Sinensem, nullibi tamen copiosiores sunt, quam in hac Provincia, maximeque in hujus urbis territorio. unde urbi *Queilin* nomen inditum, quod *Quei* florum sylvam sonat. Nascitur autem *Quei* flos in procera arbore, quæ folia habet lauri, aut cinnamomi; flos minimus est, ac flavi coloris, in racemulos dispergitur, suavissimi plane odoris; flos apertus in ipsa arbore longo admodum tempore perstat integer, minimeque flaccescit: ubi decidit, interjecto mensis unius spatio denuo arbor, repullulat, novumque florem gignit autumnali tempore; tam fragrantem gratumque exhalat odorem, ut regionem totam cui arbor vicina est, à suavitate recreet atque perfundat. Latinum illius nomen nusquam reperio: is ipse autem flos est, quem Turcæ limonum succo maceratum ad crines equorum tingendos adhibent; ex eodem Sinæ multa bellaria ori ac naribus gratissima adornant.

Quei flos.

Situs, ac civitates.

Sita est *Queilin* metropolis *Quei* seu *Ly* flumini vicina, ad ripam ejus quæ ad ortum vergit: flumen hoc per arctissimas valles rapidissime ibi decurrit. parent urbi civitates novem: 1 *Queilin*, 2 *Hinggan*, 3 *Lingchuen*, 4 *Tangso*, 5 *Iungning*, 6 *Iungso*, 7 *Yning*, 8 *Cinen* ⊙, 9 *Quonyang*.

Est autem urbs ipsa sat magna, ac splendore ædificiorum illustris: sedem in ea habet prorex, & regulus ex majoribus è Taiminga familia. hisce Tartaricis bellis pars Sinarum nondum subacta hunc Imperatorem elegit *Iunglie* dictum, qui hanc etiamnum Provinciam tenet, Tartaris adhuc utcumque resistens; atque hic ordine sextus est ex iis, qui à suis contra Tartaros in variis Sinarum partibus continuata adhuc successione fuere electi; reliquos devictos Tartari, ut illorum fert mos, interemerunt, hic adhuc pugnat strenue: hujus mater, uxor, ac filius Christianis sacris sunt initiati, nec ipse à lege Christiana ac religione Catholica omnino abhorret, apud se assidue Patres è Societate nostra detinet, multosque ex majoribus præfectis, qui Christo nomen dedere, ut jam pridem constat è pluribus relationibus ac litteris ea de re à Patribus Societatis nostræ editis, Legatoque ad summum Christi in terris Vicarium ab ipsa ejus matre misso. Capiuntur in hac regione aves versicolores pulcherrimæ, quarum plumas, pulchro amœnissimoque ad aspectum colore, pannis sericis intertexunt Sinæ. Eruuntur hinc quoque optimi lapides, quibus Sinæ studiosi ac scriptores ad macerandum, temperandumque atramentum suum, quod penicillo, non calamo hauriunt, utuntur, magisque scite ac concinne suos pingunt characteres, quam si calamo scriberent.

Sinarum ultimus Imperator Iunglie. ejus mater, uxor, ac filius Christiani.

Aves versicolores.

Tria obtinet illustria fana heroibus dicata. Puteus est prope *Hingan* naturæ mirabilis: aquam continet media ex parte turbidam, altera pellucentem ac crystallinam; quæ partes licet inter se misceantur volvanturque, pristinam tamen divisionem coloremque continuo recuperant.

Puteus miræ naturæ.

Quei mons est ad urbis Barrapeliotem, ab arborum *Quei* multitudine sic dictus, unde & urbi nomen: hæ arbores in loco ubi crescunt alias non admittunt, nec crescere in eodem loco sinunt.

Montes.

Tosieu mons urbi vicinus, in quo pulcherrimum Musæum est.

Ly mons ad Notapeliotem, qui figura elephantem refert, in ripa fluminis est.

Xin mons Barrapeliotem versus, in quo tres altissimi sunt vertices: summitatem unius palatium ornat, quod in purissima aëris regione, supra omnes nubes exstructum esse volunt.

Circa *Hinggan* est mons *Haiyang*, qui usque ad *Lingchuen* extenditur. in eo caverna est aquea, quæ quadrupedes ac cornupetas alit pisces: hosce superstitiosa gentilitas draconis esse delicias ait, unde eos nullo pacto audent occidere.

Pisces cornupetæ.

Hoa mons sive flos, id nomen sua pulchritudine ac amœnitate meritus est, jacet ad ripam *Quei* fluminis prope *Yangso*.

Apud *Jungso* est mons *Fungçao*, cui Phœnix, quasi in eo nidum struat, nomen dat: *Fungçao* enim phœnicis nidum significat: scribunt sub nido lapidem pretiosissimum, ac valoris inæstimabilis repertum.

Circa *Civen* civitatem *Siang* mons est, in quo magnificum idolorum fanum ac cœnobium visitur.

Ab urbe procedendo Boream versus acclivis per montes collis est, in quo septem colles omnino Ursæ majoris in cœlo figuram referunt: inde *Ciesing*, hoc est, colles septem stellarum nominantur.

Ly flumen sive *Quei* urbem à Borea in Austrum circumdat: ejus origo in *Huquang* Provinciæ finibus est, inde per montes ac valles

Flumina.

valles præcipiti ac rapido cursu proruens, magno sæpe boatu ac murmure ex alto decidit, atque hinc inde multos ignobilium fluviorum rivos colligit. *Si* lacus septuaginta terræ jugera occupat, ad urbis occasum est. in eo *In* collis visitur, ad Insulæ modum efformatus.

Secunda Urbs

LIEVCHEV.

Lieucheu civitatis territorium, ut cum Sina nostro auctore loquar, pellucidis aquis, montibusque plenum latissime extenditur; à salicibus nomen urbs habet, quasi dicas Salicum urbs, hoc enim *Lieucheu* significat; illi subsunt civitates duodecim: 1 *Lieucheu*, 2 *Coyung*, 3 *Loching*, 4 *Lieuching*, 5 *Hoaiyuen*, 6 *Tung*, 7 *Laipin*, 8 *Siang* ⊙, 9 *Vuçiuen*, 10 *Pin* ⊙, 11 *Cienkiang*, 12 *Xanglin*.

Antiqua nomina. Priscis temporibus ad *Pegao* pertinuit hæc regio, sub *Cina* familia ad *Queilin*, sub *Hana Hyolin*; *Chin* rex *Siang*, *Tanga Lucing* primum, mox deinde *Lieucheu* nomen dedit, quod ad hæc usque tempora servat, inditum à flumine *Lieu*, cui adjacet, quod quamplurimas in ripis alit salices. Herbas quasdam eximias prorsus ac præstantes pro medicis usibus, adeoque vehementer expetitas producit, interque eas herbam *Pusu* sive immortalem, ut vocant Sinæ, quia semper virens domi adservatur. Duo nobiliora fana habet heroibus dicata, quorum unum *Lieuheu* dicitur, ad exilem lacum *Lochi* musæis ædificiisque splendidum, quem incolæ frequentissime adeunt.

Laudatur à Sinis *Vuciven* civitas, quod ingeniorum præstantia & acumine ejus cives præ reliquis eminent, multosque quot examinibus Doctores, ac præfectos Sinis det.

Montes. *Sienye* mons ad Australem urbis partem est, in eo plura rara notant Sinæ, ingentem nimirum cavernam; altissimum verticem, qui veluti paries unus ex uno lapide totus ad perpendiculum exsurgit; domum lapideam, aliaque similia, quæ in montibus desiderant, amantque Sinæ.

In ripa fluminis ad Notapeliotem est *Hocio* mons, seorsim & ab aliis separatus existens.

Xintang mons prope *Siang* civitatem altissimus ac præruptus est, adeo ut vix pateat ascensus, in vertice tamen amœnissimum habet lacum eumque piscosum, circumquaque floribus ac arboribus septus est: magno labore hunc ascendunt harum rerum curiosi Sinæ, ac ob loci amœnitatem ab hominibus illis, quos numquam mori fingunt, & *Xinçieu* vocant, multum frequentatum olim fuisse prædicant.

Flumina. *Cin* flumen ex *Hoiayuen* promanat territorio, inde descendens *Loyung* transit, & *Siang* civitatem.

Lieu flumen fluit ad occasum urbis, dicitur etiam *Ço* flumen & *Kung*, originem ducit è *Queicheu* Provincia prope *Cingping* castrum; inde *Tucho* urbe superata, hanc Provinciam ingreditur per territorium urbis sequentis.

Tolo flumen ad occasum *Haiyuen* hanc Provinciam subit, ac versus Austrum pergens, prope urbem cum *Ço* flumine conjungitur: ejus origo est in *Queicheu* Provincia, ad *Liping* urbis territorium, prope *Cheki* munimentum.

Tertia Urbs

KINGYUEN.

Ambiunt hujus urbis territorium maxima ex parte horridi ac formidandi montes, estque vicinum agrestibus adhuc, & incultis hominibus monticolis Provinciæ *Queicheu*, ex qua in hanc Provinciam ingredientia flumina primum excipit, *Tugni* nimirum & *Ço*. subsunt urbi civitates novem, 1 *Kingyuen*, 2 *Tienho*, 3 *Sugen*, 4 *Hochi* ⊙, 5 *Hinching*, 6 *Nanchuen* ⊙, 7 *Lypo*, 8 *Tunglan* ⊙, 9 *Pangti*.

Auriferam regionem esse scribunt, at incolæ illud tantum ex fluminibus colligunt; ubique fert Arecam, nuces Indicas minores, *Lichias*. olim *Pegao* fuit, sub *Hana* familia pars hujus regionis ad *Kiaochi*, alia ad *Genan* dynastias pertinuit: *Tanga* familia *Gaocheu* urbem hanc dixit, hodiernum nomen *Sunga* dedit Imperatoria familia. duo numerat fana præ reliquis conspicua.

Montes. *Y* mons solus ob exilitatem & humilem situm notatu dignus est: cum enim cæteri omnes montes altissimi ac vastissimi sint, hic à Sinis tanquam à cæteris multum diversus notatus est, jacet ad Boream urbis, ubi etiam ingens mons *Tienmuen*, sive cæli porta, sic à duobus dictus verticibus.

Flumina. Ad borealem urbis partem fluit *Lung* fluvius, qui etiam *Cokiang* & *Lieu* dicitur, de quo supra.

Quar-

Quarta Urbs
P I N G L O.

Pinglo urbs Orientalem ripam *Ly* fluminis occupat, quod per hujus urbis territorium inter arctissimas ac profundas valles profluit, sæpe per scopulos & saxa ingenti murmure volvitur, in eo trecenta ac sexaginta numerant aquæ præcipitia, unde vix navium patiens est: regit urbs civitates octo, quas omnes montes densissimi includunt: 1 *Pinglo*, 2 *Cunching*, 3 *Fuchuen*, 4 *Ho*, 5 *Lipu*, 6 *Siengin*, 7 *Junggan* ⊙, 8 *Chaoping*. Fuit sub *Cina* familia regionis *Queilin*, *Hana Çangcu*, *Tanga Locheu* vocitavit, hodiernum nomen *Juena* dedit familia.

Hic reperitur cera illa alba ab animalculis illis insectis elaborata, de quibus supra dixi: conficitur hic etiam pannus ex foliis musarum rubrarum: *Lichiarum* fructus magna ubique copia, cujus arbores *Lipu* civitati nomen dederunt.

Montes. Ad urbis Notolybicum mons est *Cai*, qui usque ad *Lipu* excurrit. *Jung* mons ad ortum ingens ac præruptus; novem in eo colles sunt præcipites & confragosi. Ad occasum collis est *Monien*, hoc est oculorum vertex, ita dictus, quod in summitate duos habeat ingentes lapideos oculos adeo à natura affabre efformatos, ut artem omnem superare videatur, pupilla clarissime distinguitur, circumstant veluti humores duo, albus ac niger, uti in oculo nostro.

Cin mons prope *Fuchuen* civitatem, in quo ictu fulminis octo adapertæ cavernæ sunt.

Kiúe mons prope *Ho* civitatem, à copia ac præstantia aureorum pomorum sic dictus, id enim *Kiúe* significat.

To collis grandiusculus in montibus prope *Sieugin*, à parte exteriori inaccessus, ac natura ipsa intra illius viscera scalam cochlidem fecit, per quam ascensus patet.

Flumina. De fluminibus nihil occurrit, præter duos amœnissimos fontes: quorum unus ad Boream urbis, *Çaning* dictus; alter *Toxan*, prope *Xo* civitatem.

Quinta Urbs
G U C H E V.

Gucheú urbs eo jacet loco, ad quem omnia hujus Provinciæ flumina quasi ex condicto concurrere supra diximus: prima est ad ortivam partem *Quangtung* Provinciæ vicinissima, emporii frequentia facile cæteris antecellit, quod ei fluminum commoditas maxime tribuit; estque locus magni momenti, qui ea quoque de causa Provinciæ clavis dicitur.

Cinnabaris hic in montibus colligitur, quo hoc territorium abundat; ingentes alit etiam serpentes: scribunt Sinæ quosdam ex iis ita longos evadere, ut decem perticas æquent; si res ita se habet, vix crediderim dari in orbe longiores. ibidem & Rhinocerotes sunt; nasciturque arbor *Quanglang* vocata, hæc pro medulla mollem pulpam obtinet farinæ simillimam, quin & farinæ usum præstat, saporisque non ingrati est, ad quævis esculenta adhibetur. *Arbor farinæ ferax.* Sunt hic simiæ canibus similes, lutei coloris, faciem habent humanæ simillimam, vocemque tenuem & acutam edunt, ut mulieres fere solent.

Notolybicum versus à civitate *Pelieu* est profunda vallis, ac superatu difficilis, per quam unica tantum via patet, estque iter illud, per quod *Tungking* regnum ingredi possumus ex hac parte; narrant, ob nimias difficultates ac labores per asperrimum illum callem, non paucos iter facientes, priusquam eluctentur, interire; alii *Tienmuen* sive cæli portam vocant, angustam scilicet & arctam viam; alii *Queimuen*, hoc est dæmonum portam, dicunt: habet hæc urbs duo etiam heroibus sacrata fana: olim sub *Hana* familia dicta est *Kiaocheú*, sub *Leango Chingcheu*, *Suio Fungcheu*, hodiernum nomen à *Tanga* accepit familia. præest urbs civitatibus decem: 1 *Sucheu*, 2 *Teng*, 3 *Yung*, 4 *Cengki*, 5 *Hoaicie*, 6 *Tolin* ⊙, 7 *Pope*, 8 *Pelieu*, 9 *Lochuen*, 10 *Hingye*.

Montes. *Tayun* mons ad urbis Barrapeliotem, ab ipsa metropoleos regione incipit.

Prope *Teng* civitatem mons *Nan* est pulcherrimus & amœnissimus, multa in eo rara observantur à Sinis, quæ hic enumerare vix operæ pretium.

Circa *Yung* civitatem incipit mons *Tayúng* omnium maximus; in hoc tractu territoria *Pelieu*, *Hingye*, *Yolin* civitatum, & urbis *Cin* ingreditur. ibidem *Tukiao* mons, in *Taoxu* libris ordine vigesimus; octo in eo acclives colles, ac cavernas viginti numerant.

Mons frigidus. *Han* mons ad *Yolin* est, frigidus dicitur, eo quod propter frigus nimium ab hominibus inhabitari non possit, cum tamen intra Zonam torridam sit.

Ad *Pope* est *Fiyun* mons, ex eo memorabilis,

rabilis, quod multa in ejus rupibus hominum quasi impressa videantur vestigia, quorum quædam ad quatuor palmorum accedunt longitudinem: mons ipse totus horridus, obscurisque antris excavatus est.

Kiulieu mons in territorio *Pelieu* maximus est, multisque constans verticibus, ordine vigesimus secundus in libris *Taoxu*.

Carbunculi. *Ho* mons sive igneus, ita dictus, quod singulis noctibus quædam in eo appareant lumina, veluti candelæ accensæ forent: putant Sinæ esse animalcula, quæ carbunculos vocamus seu cicindelas, eaque ex flumine in montem exire, ibique collucere.

Xepao mons magnis arborum, ac arundinum Indicarum sylvis conspicuus, crudelissimas præ reliqua regione alit tigrides.

Flumina. Ad urbis Austrum *Takiang* flumen est, in quod cætera omnia coëunt, nimirum *Quei*, *Fu*, *Tugni*, *Yeu*, quæ in eo nomen quoque suum amittunt.

Yung fluvius ad occiduam partem *Yung* civitatis originem habet, inde versus Austrum profluit, mox ad Boream reversus *Yung* civitatem, cui nomen dat, ad occasum relinquit, inde ad *Gucheu* partem occidentalem, in fluvium *Takiang* aquas suas exonerat.

Hi Lung insula in *Takiang* flumine, ad urbis orientalem partem, in qua annosæ arborum plurimarum sylvæ sunt.

Ad urbis ortum est lacus parvus *Go*, in quo olim Rex *Pegao* decem aluit crocodilos, quibus, ut devorarentur, objicere solebat reos ac sceleratos: ab iis innocentes numquam læsos fuisse narrant, adeoque, quos crocodili non occiderent, liberi eo ipso, tamquam vacantes omni culpa, abire jubebantur. *Innocentes à crocodilis innoxii.*

Sexta Urbs

CINCHEV.

Urbis *Cincheu* territorium *Pegao* dynastiæ fuit, sub *Cina* familia erat regionis *Queilin*, *Leangus* urbem *Queiping* vocavit, *Suius Jungping*, *Tanga* familia primum *Cinkiang*, mox *Cincheu* dixit, quod nomen etiamnum retinet. Jacet urbs ad confluentes duorum ingentium fluminum, estque hoc territorium amœnum satis, nec adeo, ut fere cætera, horridum: in eo magnificum visitur heroibus dicatum fanum: quatuor numerat civitates, 1 *Cincheu*, 2 *Pingnan*, 3 *Quei*, 4 *Vucing*.

Cinamomum profert præstantissimum, à Ceilani Cinnamomo in eo tantum differt, quod odoris sit fragrantioris, majorisque mordacitatis, dum linguæ imponitur: ibidem arbor illa ferri est, buxo nostrate multo durior: animal ibi quoque cornutum est, vaccæ non absimile, cujus cornua candidissima ipsum ebur superant; salis amantissimum animal est, quare venatores saccos illi sale plenos objiciunt, quos ita amat, ut sui quasi immemor ligari se permittat potius, quam salem saccis contentum lambere desinat, atque ita capitur, necaturque. *Animal salis amantissimum.* Effoditur hic etiam terra quædam lutei omnino coloris, quæ præsens contra venena omnia præstat antidotum: concinnant etiam hic incolæ ex *Yu* herba pannos, quorum præstantia sericum ipsum superat, majorique, quam istud, in pretio sunt.

Montes. *Pexe* mons ad urbis Austrum est, in *Taoxu* libris ordine vigesimus primus. *Langxe* mons maximus & altissimus, ad Borealem urbis partem, sylvis ac campis amœnus.

Nan mons ingens ad *Quei* civitatem, viginti quatuor colles numerat.

In monte *Pexe* altissimus est vertex *Tocieú*, supra ipsas nubes erectus.

Septima Urbs

NANNING.

Longissime extensum territorium ad ripas fluminum *Puon* & *Ly* hæc occupat urbs, at non ita diffusum in latitudinem: in eo sunt civitates sex, 1 *Nanning*, 2 *Lunggan*, 3 *Heng* ⊙, 4 *Yunghiang*, 5 *Xangsu* ⊙, 6 *Sinning* ⊙. Partim planum est, partim in montes collesque assurgit, vix cuiquam cedit in hac Provincia: sita est urbs ad duorum fluminum confluentes, quæ ad partem mœniorum Australem, amisso nomine *Takiang*, flumini miscentur: hujus autem tractus Australis pars à *Tungking* regibus occupata est, cum contra Imperatorem Sinicum insurgerent rebelles. Primus hic locus est, ubi reperiuntur elephantes in hac extrema Asia, eosque ad pugnam ac equitationem incolæ adhibent. Psittaci etiam vocales ac loquacissimi illic sunt, magnitudine ac figura vultures referunt: quod rarius magisque mirum, genus gallinæ illic est gossipium evomentis, seu fila longiora, qualia ex gossipio nendo conficiunt, eaque iterum, nisi colligantur resorbent, uti araneæ: sunt & hystrices majores, quarum spinæ ad

næ ad cubiti sæpe eriguntur altitudinem, has etiam, contra quos volunt, evibrare norunt corporis adhibita concussione,non absque noxa eorum, quos petunt. Tria habet nobiliora fana heroibus dicata.

Antiqua nomina. Hæc regio, priusquam Sinico pareret imperio, dynastiæ *Pegao* accensebatur, Cina familia sub *Queileu* regione statuit, *Hana Tolin* dixit, *Cyn* Rex *Xihing*: sub *Suio* primum hic locus civitas fuit dicta *Thoa*, *Tanga* familia *Vute* vocavit, *Sunga* hodiernum indidit nomen.

Montes. Ad orientalem partem urbis mons est altus *Heng*, ita dictus, quod medio in flumine transversas ingenti impetu impingentes aquas fluminis excipit; in eo ad regionis custodiam, *Sunga* familia castrum exstruxit.

Sieulin mons à sylvarum amœnitate dictus florens nemus, hoc enim *Sieulin* significat, est prope *Heng* civitatem.

Prope *Tunghiang* mons est *Suchung*, ex quo ferrum effoditur.

Octava Urbs
TAIPING.

Erat hæc regio totius Provinciæ præstantissima, maximeque olim ob agri fertilitatem habitata ac culta, verum quia ultra montes erat Boreales Austrum versus, etiam à Sinico avulsa fuit imperio, & *Tungking* regibus paret: viginti tres civitates numerat, omnes inter se maxime vicinas: earum nomina sunt 1 *Taiping*, 2 *Taiping*, 3 *Ganping*, 4 *Tangli*, 5 *Vanching*, 6 *Ço* ⊙, 7 *Civenming* ⊙, 8 *Suching* ⊙, 9 *Chinyven* ⊙, 10 *Sutung*, 11 *Kielun* ⊙, 12 *Mingyng* ⊙, 13 *Xanghia* ⊙, 14 *Kiegan* ⊙, 15 *Lunging* ⊙, 16 *Tukie* ⊙, 17 *Çungxen*, 18 *Junkang*, 19 *Loyang*, 20 *Toling*, 21 *Lung*, 22 *Kiang*, 23 *Lope*. Sunt autem hæc nomina Sinica, lingua communi litteratorum ita explicata: quomodo enim, aut quo nomine à *Tungking* incolis vocentur, ignoro, doleoque non aliquam à nostris illius regni accuratam mappam, chorographiamque confectam, in eaque *Tungkinensia* nomina, illorumque characteres expressos, vel saltem explicatos; sed scio majoribus illos curis, gravioribusque negotiis ad divinam legem promulgandam, cultumque Dei ampliandum distineri, cum quamplurimos eo in regno incolas jam pridem Christianis sacris initiarint, ea propter isthæc eos minora negligere, uti nec mihi hæc edere umquam venisset in mentem, aut ad operi manum adhibendam otium ullum fuisset, si stationem meam tenere diutius potuissem; id, cum in Europam redire jussus sum, primum aggredi cœpi, deductis mecum plusquam quinquaginta libris Sinicis, quibus evolvendis fastidiosam maris nauseam, longissimæque navigationis tædium utcumque fefelli. Cæterum hujus regionis incolas barbaros vocat Sinicus Geographus, quippe qui cum imperio mores etiam Sinicos magna ex parte mutarint: sparsis enim capillis, nudipedes ambulant, obsequium ac obedientiam parentes inter ac filios negligunt, inter se mutuo sæpe rixantur, levibus de causis iras gerunt, seseque invicem interimunt: characteres Sinicos ac scribendi modum Sinicum servant, licet aliam omnino ac particularem, à Sinica lingua omnino discrepantem linguam loquantur; scripta tamen Sinica intelligunt, ipsique vicissim libros Sinicos legunt, iisque evolvendis multum dant operæ, licet characteres alio prorsus modo pronuntient. quæ res in Sinicis characteribus plane est admiranda, ut à circumjacentibus scilicet regnis omnibus intelligantur, licet alio atque alio ab iis legantur modo: uti fit à *Japonibus*, *Tungkinensibus*, *Cochin Chinensibus*, *Siamensibus*, *Camboyanis*. de quibus vide plura apud R. P. *Alexandrum de Rhodes de Regno Tungking*, non ita pridem Gallice editum. *Characterum Sinensium usus admirabilis.*

Sieuling mons altissimus in hoc tractu est prope *Lung* civitatem; reliqui minores potius colles, quam montes sunt: nimirum *Peyun* ad ortum urbis, ibidem *Gomui*; altior non nihil est *Kin* mons, prope *Ço* civitatem.

Nona Urbs
SVMING.

Hanc urbem ait Sinicus auctor esse regiam *Tungking*, sive *Gannan* regni, quod si ita est, erit ea, quam incolæ *Sinhoa* vocant; quamvis, ut sæpius audire me memini, Rex ille duas habeat regias, Borealem unam, Australem alteram. Olim hic tractus *Pegao* dynastiæ fuit, *Hana* familia *Kiaochi* dixit, *Tanga Suming* civitatem prima condidit, at *Taiminga* eam urbis titulo donavit; sed *Ly* præfectis rebellionem molientibus à Sinico imperio avulsa est. numerabant Sinæ in hoc territorio sibi subditas civitates sex, 1 *Suming*, 2 *Suming* ⊙, 3 *Xang-*

3 *Xangxe*, 4 *Hiaxe*, 5 *Pingciang*, 6 *Chung* ⊙.

Montes. *Pelo* mons pulcherrimus est prope *Hiaxe*, totus sylvis annosis vestitus.

Decima Urbs

CHINGAN.

TOtum etiam hujus urbis territorium ad *Tungking* regnum pertinet, nullam tamen sub se aliam civitatem continet; olim locum sortemque, quam prior, sortita est, tantumque tum oppidum fuit; at *Taiminga* familia, dilatato pomœrio, mœnibusque additis, urbem reapse ac titulo fecit. Incolæ à Sinis parum discrepant, nigras amant vestes; producit terra mel, ac ceram, rebusque ad vitam necessariis abundat.

Unicus hic *Jun* mons notatur, altissimus atque amœnissimus.

Undecima Urbs

TIENCHEV.

HÆc etiam regio Sinico Imperio abrepta *Tungkinensi* Regi paret, in qua numerantur civitates quinque, de quibus præter nomen nihil reperio, 1 *Tiencheu*, 2 *Xanglin*, 3 *Lung* ⊙, 4 *Queite* ⊙, 5 *Cohoa* ⊙.

Urbs militaris

SUGEN.

TRes hoc territorium civitates includit, in quibus milites olim permixti civibus habitabant, modo *Tungking* res omnes parent: sunt autem 1 *Sugen*, 2 *Vuyuen*, 3 *Funghoa*. Olim hæc regio litteras ignorabat ac studia, moribus erat barbara, sub initium *Taimingæ* familiæ Sinico imperio adjecta litteras, libros, ac mores Sinicos admisit; at subito, servatis cæteris omnibus, brevi Sinicum jugum excussit.

Montes. *Tosieu* mons ad ortum urbis fossæ vicinus est, solus omnino ac mole sua stans.

Prope *Vuyuen* mons est *Kifung*. Ibidem *Moye* mons.

Prima civitas major

SUCHING.

HÆc sub se aliam civitatem continet *Ching* dictam, utraque ad *Tungking* pertinet. *Suching* autem civitati mons *Lengyun* vicinus est altissimus, ac despectu horridus.

Civitates variæ.

SEquuntur jam civitates variæ, majores aliæ, aliæ minores, quas suis notis distinxi, 1 *Sucheu* ⊙, 2 *Siping*, 3 *Suling*, 4 *Fulao*, 5 *Fukang*, 6 *Funy* ⊙, 7 *Li* ⊙, 8 *Queixun*, 9 *Hiangun*. de quibus reperi sequentia.

Prope *Fulao* mons est *Tangping* altissimus. prope *Tukang* mons *Ciecung*; & *Lytang* circa *Suling*; ibidem *Xipi* mons.

Munimenta.

DVo erant Munimenta exstructa in Provinciæ finibus, ubi cum *Junnan* conjungitur, verum & illa modo etiam ad *Tungking* pertinent, sunt autem 1 *Xanglui*, 2 *Ganlung*, in qua parte hi numerantur montes, *Loifung*, *Çangling*, & *Çanpa*. Hic ut plurimum invaluisse mores malos Sinæ scribunt, præcipue quod nudis incolæ incedant pedibus, ex stramine pileos texant, filii patresque in iisdem non sint ædibus, aut habitent, exiguum aut nullum habeatur discrimen virne sit an fœmina, sed inter se permixti vivant, nulla modestiæ lege aut cautela præscripta.

DECIMAQVARTA PROVINCIA

QUEICHEU.



ST *Queicheu* Provincia inter omnes hujus extremæ Asiæ inculta maxime, ac aspera: montes continuos, ac ut plurimum horridos inaccessosque habet: ad hanc enim quasi inito fœdere simul omnes convenire videntur. In iis plurima adhuc inculta gens degit, quæ nec leges Sinarum, nec mores admittit; sui juris est, sub variis tamen hinc inde Dynastis vivit, qui sæpe Sinis, cultiora loca regionis occupantibus, negotium facessunt suis excursionibus; cum lubet, cum illis modo bellum, modo pacem habent, numquam tamen Sinas ad se admittunt: Sinica enim gens in oppidis, munimentis ac civitatibus habitat, militesque frequentes alit ibi pro præsidio Imperator, quod in omnibus hujus provinciæ locis fere usitatum est. nolui tamen ea in mappis communi munimentorum exhibere nota, ne aliud nihil in hac provincia esse videatur, quam munimenta; cum revera, uti alias dixi, pene aliud à civitatibus hæc non differant, nisi quod una cum civibus milites enutriat, qui hic maxime adhibentur, ut viam custodiant, per quam rectissimum est in *Junnan* Provinciam iter. ut autem provinciam hanc cultiorem redderent, Imperatores non infrequentes huc deduxere colonias; quin imo non pauci ex præfectis, cum crimen aliquod commisere, in exilium cum tota familia ad hanc provinciam ablegantur.

Hæc olim regio inter Provincias minime fuit adnumerata, sed pars illius una ad *Suchuen*, alia ad *Huquang*, reliquasque circumvicinas provincias pertinebat. *Taiminga* familia in Provinciæ formam redegit, quia prior *Juena* Tartarorum familia multa in ea castra, ac munimenta exstruxerat: per hanc enim, devictis *Mien*, *Junchang*, similibusque Indiæ extra *Gangem* sitis regnis, ingressi illi Tartari sunt, quibuscum *M. Paulus Venetus* venit, indeque per *Suchuen* orientalem partem *Tibet* penetrarunt, ac *Prete Joannis* terras, demum *Tanyn* Regnum ingressi; illo occupato, iterum redeuntes per *Xensi* partes occidentales, *Catayum*, hoc est Sinas, ingressi sunt, *Kin* Tartaris bellum moventes, quibus debellatis etiam *Mangin* occuparunt. quæ res ad *Marci Pauli* intellectionem primaria est, ac prorsus necessaria, ut illius scripta legentibus facile patebit; sed eo jam relicto ad rem & provinciam nostram veniamus.

M. Paulus Venetus *qua via Sinas ingressus.*

Octo tantummodo hæc provincia numerat urbes, quas urbeculas potius dixeris; civitates decem; militares urbes quatuor, ac totidem civitates; munimenta vero ac castella quam plurima: quorum majora, quia civitatibus vix cedunt, ut civitates notavi in mappis; minora ut munimenta distinxi, ut supra monui.

Tributum, ac hominum numerus.

Liber census Sinici numerat in hac provincia subjectas Sinis familias 45305: viros vero 231365. oryzæ tributum non excedit saccos 47658, pannos ex cannabe atque herbis textos solvit 5900: quæ omnia ad sola alenda præsidia non sufficiunt, reliqua tamen submittit Imperator, ut provinciam custodiat: nam ea amissa, nullum esset in *Junnan* Provinciam nobilissimam iter. Scribunt Sinæ auro, argento, mercurio similibusque rebus pretiosissimis hic montes scatere, quæ omnia facile occupare est, domitis subjectisque monticolis; nunc illud tantum inde capiunt emolumenti, quod ipsi pro commutatione salis, aliarumque rerum ipsis necessariarum, quasi sponte sua tribuunt.

Termini.

Provinciæ termini sunt: *Suchuen* Provincia, quam ad Boream respicit, Barrolybicum, ac occasum; Barrapeliotem versus extrema *Huquang* Provinciæ attingit; ad ortum, & Notapeliotem *Quangsi* spectat, reliqua ambit Provincia *Junnan*.

Ab amico Præfecto, qui longo tempore cum patre suo exule, adhuc juvenis in hac vixerat provincia, inaudii, quod intra montes amœnas ac fertiles habeat valles, præcipue ubi magna pertranseunt flumina, ex quibus quamplurima hanc irrigant provinciam ex aliis regionibus huc advenientia, aliaque non minora hinc suam ducunt originem, quæ aliò deinde profluunt. quod si excoli hic terra posset, uberem ac divitem omnino messem promittit; omnia hic etiam suppetunt ad vitæ usus necessaria, vilissimo-

ſimoque habentur pretio, ſi veſtes ſericas ac byſſum excipias, quibus caret; abundat autem carne vaccina ac porcina; equos generoſos ac totius Sinæ optimos producit, uti & vicina *Suchuen* provincia; argentum vivum nullibi quam hic manat copioſius.

Prima Urbs ſeu Metropolis

Q V E I Y A N G.

Metropolis hujus territorium reliquis utcumque planius eſt Provinciæ partibus, proindeque frequentius habitatum: antiquo tempore *Sinany* regionis hujus populus dictus eſt, hoc eſt barbari ad Notolybicum, quia hunc ſitum habet hæc terra reſpectu Sinæ antiquæ; pertinebat autem ad *Louquei* antiquiſſimum regnum. Sub *Hana* familia ab *Hiaouvo* Imperatore ſubactum eſt, inſtitutaque dynaſtia *Ciangco*. *Sunga* familia iterum redegit in Provinciam, magnumque militum præſidium exædificatæ à ſe civitati impoſuit; *Juena* familia, quia facillime haſce terras occupavit, *Sunjuen* dixit, hoc eſt favens *Juenæ*; *Taiminga* familia hodiernum nomen & dignitatem urbis dedit, eique munimenta undeviginti loco civitatum ſubeſſe voluit, quamvis ex iis plurima civitates aut æquent aut ſuperent magnitudine, 1 *Queiyang*, 2 *Kinkiun*, 3 *Moqua*, 4 *Tahoa*, 5 *Chingfan*, 6 *Gueifan*, 7 *Fangfan*, 8 *Hungfan*, 9 *Golung*, 10 *Kinxe*, 11 *Siaolung*, 12 *Lofan*, 13 *Talung*, 14 *Siaoching*, 15 *Xangua*, 16 *Luxan*, 17 *Lufan*, 18 *Pingfa*, 19 *Mohiang*.

Plurimas gentes hic enumerant Sinæ, quæ olim in hiſce terris habitabant, quibus varii fuere mores, quos referre nimis longum eſſet: ſub *Taiminga* familia primum ſtudia ac mores Sinicos admiſerunt, unde non pauci etiam Doctorum gradum ſunt adepti. Tartari *Juenæ* familiæ extra urbis mœnia ad Auſtralem partem templum ſatis magnificum ædificarunt.

Montes. *Tungeu* mons cupreum tympanum dicitur, quia, cum pluvia imminet, in eo auditur tympani pulſus; ad ortum urbis eſt.

Nanuang mons altiſſimus, ac in receſſu abditus, ad Boream urbis; rari illum audent conſcendere, ob nimiam aſperitatem.

Venpi mons ad auſtrum urbis, ſolus per ſe ſtat, trianguli iſoſcelis figuram acutiſſimo vertice in altum ſublato refert.

Flumina. Nihil admodum de fluminibus occurrit, præter fontem dulciſſimum ac pellucentem ad urbis Notapeliotem, decidit aqua intra foſſam ſex cubitorum, numquam autem ea creſcere notatur, aut minui quantumvis inde hauſeris.

Secunda Urbs

S V C H E V.

Antiqua nomina. Cina familia prima fuit, ſub qua fit hujus territorii mentio, tumque *Kinchung* dicta eſt; *Hana Vulin* regioni adnumeravit; *Tanga* primo hunc locum *Sucheu* appellavit, deinde *Ningii*; ſub *Taiminga* urbis titulo donata eſt: quatuor ſibi ſubdita regit munimenta, 1 *Sucheu*, 2 *Tuſo*, 3 *Xiki*, 4 *Hoangtao*.

Abundat hæc regio mercurio, optimo cinnabari, aliiſque. hujus regionis monticolæ plurimum delectantur robore, audaces ſunt, litteras neſciunt, contractus tamen ſuos neſcio quibus notis in tabellis ligneis exprimunt, in periculis ac difficultatibus ad ſortilegium tegularum fruſta adhibent, dæmonibuſque ſacrificia offerunt, ut mala avertant: ſparſos habent capillos, pedibus incedunt nudis, duroſque adeo callos induunt, ut nec ſaxa nec ſpinas calcare timeant; quia tamen comes ſunt ac urbani, aliquo modo Sinicam linguam jam admiſerunt, ac tametſi exteros ſuos mores retineant, non tamen adeo barbari ſunt ut reliqui: ita fere eos depingit Sinicus auctor, quibus ego quod addam parum aut nihil habeo.

Montes. *Go* mons foſſæ urbis vicinus eſt ad Auſtralem partem; vix adiri aut luſtrari poteſt, adeo præceps ac præruptus eſt: ad occaſum mons *Tienyng* viſitur.

Tertia Urbs

S V N A N.

Hæc regio jam ab antiquis retro temporibus præcipue Sinis fuit ſubdita, accenſitaque regno *Cu*: Cina familia extinctis regibus, vocavit *Kinchung*, *Hana Vulin* regioni adſcripſit, *Suius Vucheu*, *Tanga* familia *Sucheu* civitatem dixit, at *Taiminga* familia *Sunan*, quæ & urbis titulum ſtatuit. Subſunt ei civitates binæ, & quinque munimenta, 1 *Sunan*, 2 *Vuchuen*, 3 *Inkiang*, 4 *Xuite*, 5 *Manii*, 6 *Langki*, 7 *Jeuki*.

Montes. *Vanxing* mons ad Auſtralem urbis partem

tem est, undequaque veluti ad perpendiculum abscissus: unica ea arctissima via ad ascensum patet; belli tempore ad eum confugientes tuti sunt incolæ.

Ad urbis Notolybicum mons est *Lungmuen*.

Prope *Vuchuen* est magnus mons *Tanien*,nihilque fere ab his aliud reperio: plurimi enim hic monticolæ latitant, ne Sinis quidem ipsis noti.

Quarta Urbs
CHINYVEN.

UNam hæc urbs sub se habet civitatem,ac quatuor munimenta: 1 *Chinyuen*, 2 *Xikien*, 3 *Kinyung*, 4 *Pienkyao*, 5 *Inxui*, 6 *Taiping*. Hic etiam hujus Provinciæ tractus olim *Çu* regni erat; hanc autem urbem primum condidit *Juena* familia.

Producit hæc terra optimos, atque à Sinis plurimum æstimatos flores, poma granata, atque aurea, sylvestres gallinas aliaque similia. in montibus monticolæ adhuc habitant, de quibus ita Sinicus auctor: sunt quidem barbari, sed simplices ac rustice comes; sale carent, cujus loco herbæ *Kiue* exustæ cineres adhibent.

Cinis loco salis.

Montes. *Xeping* mons ipsam urbis fossam attingit,vocatur paries lapideus, quia saxum elevatum planum ad parietis modum continet, cujus altitudo centum perticarum esse scribitur.

Sukiung mons ad urbis Notapeliotem, in eo olim civitas *Suuang* fuit, quæ periit. illic & fons amœnissimæ aquæ est ad occasum urbis, *Vi* dictus.

Quinta Urbs
XECIEN.

INter *Sunan* & *Sucheu* medio loco jacet hæc urbs, cui initium *Juena* Tartarorum dedit familia, condito insigni munimento, quod & *Taiminga* familia ampliavit, urbemque esse voluit. tria regit munimenta: 1 *Xecien*, 2 *Miaomin*, 3 *Lungciuen*, 4 *Coihang*. In hac regione montani suos habent proprios characteres,at nullum adhibent ad scribendum atramentum, molles asseres stylo sculpunt ad memoriam; omnes tum viri tum mulieres nudipedes incedunt; cum ægrotant, spiritus non invocant, sed dæmones, quoad vel moriantur, vel liberentur à morbo.

Producit regio argentum vivum.

Montes. *Pipa* mons ad urbis Australem partem est. ad ortum est mons *Heu*.

Sexta Urbs
TVNGGIN.

T*Unggin* urbs Borealem hujus Provinciæ partem, ac maxime Orientalem occupat, *Huquang* Provinciæ finitima est,olim *Kiman* regio dicta. *Juena* familia primo munimentum condidit,quod *Taiminga* auxit ac urbis privilegio donavit, illique subjecit munimenta septem: 1 *Tunggin*, 2 *Sengki*, 3 *Tiki*, 4 *Vanxan*, 5 *Ulo*, 6 *Pingten*, 7 *Pingnan*, 8 *Pinchai*.

Abundat regio auro, præcipue circa *Tiki*: cuprum ubique effoditur.

Incolæ montium maxime fuere crudeles ac barbari, superbi, suique juris tenaces, ac fraudulenti, suos necare soliti seniores; modo tamen ex nostrorum consortio,ut inquit Sinicus auctor, urbanitatem ac justitiam didicerunt.

Montes. Ad ortum urbis vicinissimus est mons *Tung*,qui quasi vallo fortissimo urbem munit: ad Austrum est mons *Tungyai*: altissimus omnium est *Venpi* mons versus Notapeliotem, qui nubes superat.

Pechang mons amœnus, ac sylvis opertus,ad occasum est urbis: fons mirabilis occurrit prope *Pingten*,ex quo per unum osculum aqua duplex emanat, clara una ac limpida, altera turbida & obscura; ubi scaturiginem deseruit,veluti una alteram dedignaretur, in contrarias abeunt partes; è clariori aquam adhibent pro potu conficiendo ex oryza præstantissima, vocatur fons *Cankeng*.

Mirabilis naturæ fons.

Septima Urbs
LIPING.

EST hujus urbis territorium *Quangsi* Provinciæ finitimum, in quo numerat *Liping* sub se civitates quatuor, & munimenta undecim: 1 *Liping*, 2 *Juncung*, 3 *Tanki*, 4 *Pacheu*, 5 *Hung* ○, 6 *Çaotie*, 7 *Cu* ○, 8 *Sixan*, 9 *Huul*, 10 *Leangsai*, 11 *Geuyang*, 12 *Sinhoa*, 13 *Chunglin*, 14 *Cheki*, 15 *Lungli*.

Sub *Hana* familia hæc regio *Tangco* dicebatur,

cebatur, sub *Utai* ad *Sucheu* pertinebat, *Juena* familia castrum *Tanki* condidit, quod *Taiminga* mutavit in urbem *Liping*, monticolæ *Hiunúon* dici solent; linguam particularem Sinis prorsus ignotam loquuntur; ægri gallinarum ossa dæmonibus offerunt.

Profert regio radicem Sinæ præstantissimam, quam *Fulin* vocant; pannosque conficiunt incolæ ex cruda cannabe, seu herba cannabi prorsus simili, *Co* Sinæ vocant, ex his vestes pro tempore æstivo eximiæ plane sunt, ac commodissimæ: fanum unum habet Heroi sacrum.

Rarus ibi pons *Tiensem*, hoc est à cœlo factus, nos pontem à natura exstructum diceremus: ex uno constat lapide supra torrentem *Tanki*, cujus latitudo duas perticas, longitudo viginti æquat.

Montes. *Palung* mons ad urbis Notapeliotem.

Kinping mons, quem auro pictum parietem, ob pulchritudinem & amœnitatem, vocant, ad ortum urbis vergit.

Tungquon mons prope *Tanki* altissimus ac maximus, undique præterquam per exiguum callem inaccessus, in vertice insignem habet planiciem.

Taiping mons ad ortum urbis, ubi vertex *Motien* est, & *Túngni* caverna ad urbis Barrapeliotem pulcherrima, ad modum domus excavata, forma quadrati est, cujus unum latus tria stadia complet mediam rivulus, ac si argentea vitta interserta esset, secat.

Octava Urbs

T V C H O.

Tucho urbs ad antecedentis Notolybicum jacet, *Quangsi* Provinciæ vicinissima, cujus etiam dentes ac labia dicitur phrasi Sinica, eo quod montibus suis, ac robore ab ipsa situs natura illi conciliato, quasi dentibus ac labiis eam sepiat, ac muniat: jacet urbs vicina fluvio *Co* ad ejus occiduam ripam, qui inde in *Quangsi* irrumpit immensa aquarum mole auctus. Monticolæ in hoc terræ tractu reliquis humaniores sunt, ad pugnam tamen animosi, atque audaces & fortissimi: habet hæc urbs sub se civitates tres, & munimenta novem: 1 *Tucho*, 2 *Toxan* ⊙, 3 *Maho* ⊙, 4 *Cingping*, 5 *Pangxui*, 6 *Pinglang*, 7 *Pingcheu*, 8 *Lotung*, 9 *Hokiang*, 10 *Loping*, 11 *Pingting*, 12 *Fungning*.

Montes. *Caiyang* mons prope *Pinglang*, in quo castrum est, maximus est mons atque admodum altus. *Chiny* mons, ad cujus planiciem per unum solum tramitem patet accessus, in quo munimentum est ad custodiam.

Hinglang mons circa *Fungning*, in quem per scalam lapideam longissimam tantum licet ascendere, hanc montis incolæ defendunt, ac tuti ibi habitant. Prope *Pingcheu* est mons *Lotung* adeo magnus, ut unum acclivem habeat verticem ad mille & ducentas perticas extensum; *Hianglu* vertex dicitur, hic prope *Cinping* in cœlum exsurgit.

CIVITATES MAJORES.

Prima Civitas major

P V G A N.

Prima civitas est *Pugan* ⊙, quæ trium Provinciarum clavis dicitur, nam inter confinia *Queicheu*, *Junnan*, & *Quangsi* sita est: hæc regio reliquis parum cultior est: incolas montium paulo etiam habet urbaniores, at qui Sinis minime fidant; mercaturæ addictissimi sunt, idolorum sectam, doctrinamque de metempsychosi sequuntur, veneranturque idolum *Fe* ejus doctrinæ auctorem.

Hanc civitatem illic condiderunt in ipso aditu, per quem ingressi sunt Tartari *Juenæ* familiæ ex Provincia *Junnan*, *Pugan* vocarunt, quod extendens quietem significat. Abundat regio argento vivo, Cinnabari; & *Musas*, fructum illum notissimum, profert.

Montes. Barrapeliotem versus ingens mons est *Puonkiang*, qui usque ad *Gannan* & *Ganchoang* munimentum extenditur.

Tangpi mons ad Notolybicum est, ex quo argentum vivum, & *Huinghoang* minerale effoditur.

Secunda Civitas

I V N G N I N G.

Hanc etiam *Juena* condidit familia, cui duo parva subjecta sunt munimenta: 1 *Jungning*, 2 *Múyo*, 3 *Tinging*; magnum tamen habet territorium, sed montibus plenum, in quibus quinque diversæ nationes habitant, de quibus nil scribunt aliud, nisi quod sagittis utantur ac arcu, acutissimisque gladiolis; quod non vecte, uti Sinæ, sed dorso onera sua portent; præterea quod connubia instituant, inter sese con-

se convenientes, ac contrahentes viri ac fœminæ, neque hoc parentibus permittant, quod Sinæ putant indecorum.

Montes. *Hungyai* mons prope *Muyo* altissimus, atque adspectu horridus est.

Ibidem collis est *Lungcing*, totus Indicis virens arundinibus.

Tinging montem habet vicinum *Quanso*, qui centum occupat stadia, in eo castrum est ad itineris custodiam.

Tertia Civitas
CHINNING.

Regit *Chinning* civitas duo munimenta, *Kangço* nimirum, & *Xeul*.

Monticolæ hujus regionis, qui Sinis non parent, auro argentoque abundant, at non, qui illa possidet, ab illis æstimatur dives; sed qui plures habet vaccas, ac boves; nec pro dote aliud ab illis petitur.

Montes. *Magan* mons prope *Xeul*, ab ephippii figura *Magan* dicitur, quæ vox equi ephippium sonat.

Est etiam memorandus fons *Caici*, ad ortivam civitatis partem, cujus aqua frigidissima est, licet circumvicina terra tota ab igne subterraneo incalescat.

Quarta Civitas
GANXVN.

Hujus civitatis, uti & superiorum tractus olim ad dynastiam *Hoangso* pertinuisse scribitur. *Juena* familia civitatem condidit, & *Junnan* Provinciæ accensuit, *Taiminga* familia huic subjecit provinciæ: tres hic Sinæ recensent pontes; è quibus duos *Juena* condidit familia, primus ad ortum civitatis est, alter ad occasum; tertius *Tienseng*, hoc est naturalis, vocatur, supra mille perticas extenditur, ac civitatis ambit mœnia, sub eo aqua defluit, atque ita ab utroque latere excavata via est, ut pontis arcus imitetur. Regit civitas munimenta duo, 1 *Ningco*, 2 *Sipio*.

Montes. Nullum hic reperio præter montem *Niencung*, ad ortum civitatis, qui altissimus est, cum tamen decem tantum stadia occupet.

VRBES MILITARES.
Prima
PVTING.

Puting militaris urbs sola sui juris est, ab *Juena* familia fuit fundata, jacet in ipso itinere, quo itur ad Sinas, ab iisque custoditur: olim hic habitasse volunt gentem *Lotien* dictam: montium incolæ Boream versus inculti hic sunt, nec litterarum, aut legum curam ullam habent, aut æstimationem; quilibet, quod lubet, agit, adeoque moribus sunt agrestibus plane, atque incultis.

Ad Barrolybicum est *Ki* mons altissimus, ac difficillimus. Montes.

Ad ortum mons *Magan*.

Est & amœnus fons ad urbis Notapeliotem, cujus aqua ad potum, seu vinum Sinense ex oryza conficiendum, suavissima esse dicitur.

Secunda Urbs militaris
SINTIEN.

Habet hæc militaris urbs sub se munimenta quatuor: 1 *Pingsa*, 2 *Paping*, 3 *Cheuping*, 4 *Cheuing*. Montanorum hujus regionis mores ab aliis vix discrepant; illud habent singulare, quod mortuo patre, aut matre valde doleant, ac in signum doloris capillos omnes abscindant.

Ad partem Australem *Sintien* urbis est mons *Pie* altissimus, supra ipsas nubes ascendens, acutissimum unum verticem ad modum pyramidis attollit, inde *Pie* vocatur, quod penicillum sonat quo Sinæ scribunt. Montes.

Yang Pao mons ad urbis Borealem partem pulcherrimus esse scribitur, & quia mira colorum varietate præditus est, picturam quodammodo repræsentat. *Çaimiao* mons est ad Barrapeliotem, ex quo aqua decidit, quæ ad Solis repercussionem iridem continuam efformat.

Ad Barrapeliotem urbis amœnus aquæ fons est, *Fi* dictus.

Tertia Urbs
PINGYVE.

Hujus urbis territorium sub *Cina* familia in *Kiuchung* dynastia fuit, nunc regit duo munimenta: 1 *Yangy*, 2 *Loping*.

ping. Producit hæc regio flores *Gensumi-nos*, folium *Cha* optimum, poma aurea omnis generis; concinnantque incolæ pannos ex crudo cannabe, à Sinis *Co* dicitur, quamquam hæc potius alterius herbæ species, quam *Cannabis* videatur.

Montes. *Pie* mons altissimus ad Australem urbis partem est.

Mocing mons prope *Tangy*, saxis horridus ac præruptus, ascensuque difficilis, pluribusque obscurioribus antris hinc inde excavatus.

Quarta Urbs
L V N G L I.

IAcet hæc urbs ad *Sintien* urbis occasum, sub se duo habet castra: 1 *Pingfa*, 2 *Taping*. Monticolæ ex assiduo cum Sinis commercio aliquid paulatim induerunt ex Sinicis moribus, adhuc tamen semper armati incedunt, bellisque delectantur, & arma magnifaciunt. habet urbs ad Notolybicum pontem satis magnificum lapideum, *Quangcy* dictum.

Montes. *Jungtao* mons maximus prope *Pingfa* est: & ad *Taping* est mons *Cohia* inaccessus, & saxeus totus.

MVNIMENTA.

SEquuntur modo munimenta varia, per totam Provinciam sparsa ad itinerum custodiam, ne monticolæ viatores invadant, ac incautos opprimant; quod tamen adhuc sæpe faciunt, præcipue quando offenduntur à Sinis. hæc autem munimenta sunt sequentia: 1 *Picie*, 2 *Gueicing*, 3 *Ganchoang*, 4 *Cingping*, 5 *Pingpa*, 6 *Gannan*, 7 *Usa*, 8 *Hinglung*, 9 *Chexùi*, 10 *Caili*. De singulis hic, quod notatu dignum repero, breviter subjiciam.

Ad *Picie* occidentalem partem supra profundissimam vallem, per quam torrens ingenti aquarum in præceps ruentium lapsu, atque impetu volvitur, ut viam sternerent Sinæ, crassissimis ferreis catenis annulos aliquos ita hamis, uncisque ex utraque montium parte firmarunt, ut superimpositis asseribus pontem efformarint. *Pons ex ferreis catenis.*

Pingpa castrum unicum in hac Provincia est, quod magnam obtinet planitiem, quantam scilicet capere potest longissime extensa oculorum acies: amœni illic sunt ac feraces oryzæ campi: circa *Uma* etiam pulchræ sunt, fœcundæque planities.

Mohi mons ad ortum *Picie* saxosus prorsus, atque horridus: in eo unica patet via, equitis unius capax, ad longissimum spatium extensa, utrimque latera montis veluti parietes ad perpendiculum erecti assurgunt. *Montes.*

Lochung mons prope *Cingping* ad Borealem partem, è regione montis *Kocung*, in his frequentes habitant monticolæ.

Loco mons, hoc est cervi cornua, à præruptis scilicet, extantibusque hinc inde lapidibus monti nomen inditum.

Vily mons ad *Gannan* Australem partem, cujus vertex continua nube coöpertus esse, observatus est.

Ibidem ad occasum est *Peki* mons, collibus constans non minus altis, quam nemorosis.

In munimento *Picie* fons scaturit aquæ amœnissimæ, *Fo* dicitur: ibidem ad ortum aqua ex monte decidit ingenti fragore. *Flumina.*

Ad *Ganchoang* catadupa, seu præceps fluvii lapsus est, deciditque tota vis aquæ ad altitudinem duodecim perticarum.

Intra mœnia *Cingping* lacus parvus est, *Cifeng* dictus, ex quo incolæ aquam ad usus necessarios hauriunt, cum ob saxorum intercurrentium molem ac duritiem puteum nullum ibi effodere illis liceat. *Puon* fluvius ad ortum *Gannan* fluit: ad Australem munimenti partem est fons aquæ dulcissimæ, *Pelo* dictus.

Sunt & aliqua alia loca minoris notæ, munita tamen, à Sinis custodita, suoque quælibet præfecto commissa; qui accuratam omnium locorum suæ curæ traditorum, apud se solet adservare tabulam, quod per totam Sinam apud omnes præfectos moris est; unde vix credo accuratiores ulla in regione locorum omnium esse tabulas, & observationes. Hæc isthic munimenta per omnia loca sunt, per quæ patet iter, quibus monticolas reprimere, imo & subigere tentant Sinæ. nomina præcipuorum locorum sunt: 1 *Jungning*, 2 *Xùitúng*, 3 *Lokeu*, 4 *Xangtang*, 5 *Vatien*, 6 *Hoanglien*, 7 *Cugni*. reliquorum nomina dabunt mappæ. *Usus mapparum apud Sinas, communissimus.*

Ad Borealem partem *Xùitúng* est *Xetung* mons, in quo ingens est caverna; reliqua se habent uti exprimuntur in mappis: multa enim studio relinquo, ne ignotis nominibus paginas impleam. *Montes.*

DECI-



IVNNAN IMPERII SINARVM PROVINCIA DECIMAQVINTA.

SEPTENTRIO.

VSVÇANG five TIBET PARS.

SVCHVEN PROVINCIÆ PARS.

QVEICHEV PROVINCIÆ PARS.

QVANGSI PROVINCIÆ PARS.

KIAOCHI five TVNGKING PARS.

LAOS REGNI PARS.

REGNVM MIEN.

MERIDIES.

Occidens.

Oriens.

Notarum Explicatio.

- Metropolis.
- Vrbs.
- *Civitas major.*
- *Civitas minor.*
- *Fortalitia.*
- *Signum militare.*
- *Aurifodinæ.*
- *M. mons.*
- *fl. F. fluvius.*
- *A. Amnis.*
- *T. Torrens.*
- *L. Lacus.*

Tropicus Cancri.

Pars huius provinciæ inter hæc puncta Tungking regi paret.

Exc. Jo: Blaeu
Cum privilegiis
Sac. Cæs: Maj.
et
Ordinum Belgicæ
Fœderatæ.



DECIMAQVINTA PROVINCIA
JUNNAN.



Situs ac præstantia.

Ltima quidem, loco atque ordine recensetur à Sinis Provincia *Junnan*; non tamen ultima habenda, si ejus nobilitatem, magnitudinem, rerumque in ea pretiosarum copiam spectes; quinimmo est, cur inter primas ac præcipuas numerari possit, ac debeat. Ex Australibus totius Sinici Imperii Provinciis maxime vergit ad occidentem, Indiæque vicina, tametsi nusquam mare illam alluat; à *Peguano* tamen, aut *Bengalensi* sinu haud ita multum abest, ac proinde Indico quoque gaudet cœlo, vitalique aëris ac calidiori utitur temperie: fluminibus, lacubusque tota dissecta est, atque irrigua; multa quoque præclara flumina inde ortum ducunt: montibus haud caret, non tamen horridi illi sunt, atque prærupti, sed amœnitatem potius, ac commoda multa Provinciæ præstant; cæterum maxima ex parte plana est.

Termini.

Terminos illi Australes statuunt *Laos* regnum, & *Tungking* sive *Gannan*; ortum & Notapeliotem claudit *Quangsi* Provincia; ad Notolybicum fere ad sinum usque *Bengalensem* extenditur, ubi *Pegu*, *Aracan* ac similia regna respicit; ad occasum *Mien* regnum spectat, & *Pey*, ut Sinæ vocant; ad Barrolybicum regna quæ Sinæ communi nomine *Sifan* dicunt (*Tibet* esse regnum, quod huic Provinciæ in hoc tractu finitimum est, nullus dubito;) ad Boream accedit *Suchuen* Provincia; demum Barrapeliotem versus extrema *Queicheu* Provinciæ attingit.

Opes.

Ditissima omnino Provincia est, vilissimoque pretio omnia, quæ ad humanæ vitæ usus faciunt, emuntur; aurum ex solis expurgatis arenulis collectum, ingens pondus adæquat: si fodinæ aperiri possent, nusquam majorem ejus vim futuram asserunt Sinæ; hinc vulgare apud illos scomma est, ac dicterium, cum quempiam splendide ac laute viventem, bonaque sua decoquentem vident, rogant enim, num illius parens in *Junnan* Provincia regiorum tributorum præfectum agat? Succinum etiam hæc regio profert, sed Polonico nonnihil magis rubicundum, flavum enim omnino ibi non reperitur: equos, atque elephantes optimos alit: rubini, sapphiri, gagates, seu quos vulgo oculos cattorum vocant, multique alii lapides pretiosi, ac gemmæ ex hac educuntur Provincia: muscho, sericis, benjoino, seu thure illo ex arboribus stillante suavissimo, multisque aliis abundat, quæ omnia etiam ex *Pegu*, *Laos*, & *Quangnan* Provinciis habemus. reliqua in particularium urbium descriptione illic reperies.

Numerus urbium ac reliquorum.

Numerat tota Provincia urbes nobiliores duodecim; octo alias militares; civitates quatuor supra octoginta, quædam etiam alia loca militaria, ac munimenta, de quibus omnibus suo dicendum est loco; quamvis aliqua jam pridem ab hac Provincia avulsa sint, & *Tungking*, sive *Gannan* regno subjecta, de quibus paulo infra.

Familias in ea numerant Sinæ 132958; viros vero 1433110. multas autem includit nationes, de quarum numero non ita constat, cum vix Sinis pareant: sunt & aliqui Dynastæ sive Duces, *Tuquon* Sinæ vocant, cum absoluto omnino dominio (quod nusquam alibi per totam Sinam in usu esse memini;) ii ita Sinicum Imperatorem agnoscunt, ut tamen subditis sibi terris absolute imperent, easque hæreditaria successione gubernent. Oryzæ tributum est saccorum 1400, 568, salis pondera pendit 56965, præter innumera alia mercium, agrorumque tributa.

Tributum.

Mores exotici.

Hæc Provincia, quia Indiæ proxima est, aliquid etiam de Indorum moribus participat: hîc imprimis non observatur, quod per maximam aliàs Sinæ partem usitatum, ut mulieres domi clausæ degant, omnemque virorum adspectum ac familiaritatem fugiant, ac vix, aut ne vix quidem umquam domo exeant in publicum: hic enim per plateas passim negotia sua, uti in Belgio ac Germania, confecturæ occurrunt. adhæc quam plurimi mortuorum cadavera rogo imponunt, ac in cinerem redigunt, non sarcophagis, quod summa accuratione præstant Sinæ; quamvis nobiliores ex iis, quique Philosophiæ Sinicæ dant operam, reliquos

quos Sinas imitentur, ac sarcophagos adhibeant, nullo tamen modo simul cum demortuis vivos aliquos in rogum conjiciunt, quod facere Indi solent; hoc enim barbarum, atque hominum moribus indignum rentur Sinæ.

Gentis indoles. Sunt hujus provinciæ populi viribus, atque animo cæteris Sinis superiores, minusque Pugnæ atque armorum metu terrentur, ad pugnam etiam elephantos docent ac adhibent: comes etiam sunt ac faciles, atque imprimis humani, ad Christiana sacra suscipienda multis aptiores: & quamvis propter immensam distantiam, temporumque ac bellorum turbas & injurias, nulli hactenus ex Patribus nostris hanc provinciam ingressi sint, ut sæpius habuêre in votis, ac non semel tentarunt; non paucos tamen ex ea oriundos salutaribus baptismatis aquis lustravimus, eos nimirum, qui vel præfecti, ubi nostri degebant, per reliquas gerebant officium, vel ad gradus litteratorum suscipiendos in regiam subinde adventabant; & sane si qui ex aliis Sinis susceptam fidem bonis probarunt, confirmaruntque moribus, ii fuêre Junnani, qui magnam omnino nobis concitavêre spem fore ut non exigui colligantur fructus, si quandoque illorum terras Euangelii sancta lex & lux, Catholicaque fides penetraret: albæ omnino sunt regiones ad messem, sed operarii nimium pauci, quos faxit Deus, ut mittat aliquando tandem copiosiores in messem suam, & ad latissimos hosce campos melius excolendos.

Quando subjugati à Sinis? Qui primus hasce terras invasit, fuit Imperator *Xius* Cinæ familiæ auctor; sed paulo post iterum deficientes, à felicissimo ac fortissimo *Hanæ* familiæ capite, *Hiaouvo* debellatæ, ac subactæ sunt; quin & Tartari *Juenæ* familiæ multis deductis coloniis non parum eas ornarunt: unde quam plurima in hac provincia sunt, quæ *Marcus Paulus Venetus* attingit, hactenus aut perperam, aut parum ab Europæis intellecta, tum quia ignotis de iis usus est nominibus, tum quod nullo certo servato ordine, sed quasi per saltus ac interrupta res suas describat, vix umquam additis certis signis, ex quibus colligi, de quibus loquatur, possit, multarum rerum Sinensium, linguæque ac characterum ignarus; qua in re aliquid me, tum de rebus Geographicis, (quarum studium, quantum à nostris perfici possit, luculentum satis specimen hoc opere me dedisse puto) tum de Serenissima Venetorum Republica meritum credo, quod nobilissimum illius Patritium, à falsitatis aliarumque impactarum illi calumniarum notis exemerim, quamvis hi accusatores reprehensione potius digni fuerint, atque etiamnum sint, quod ea, quæ non intelligunt, tam leviter damnent; sed hisce relictis, ad urbes reliquas veniamus.

Geographici studii specimen, ac M. Paulus Venetus vindicatus.

Prima Urbs sive Metropolis JVNNAN.

Nomen & antiquitas. Est huic metropoli nomen idem, quod toti Provinciæ, quod Austrum nubium sonat: prima hujus regionis mentio reperitur sub *Çú* regibus, qui partem Borealiorem obtinuerunt, vocaturque *Tien* regnum, nomine ab ingenti lacu, quem includebat, desumpto. Prima urbis hujus memoria reperitur sub *Hana* familia, ac tum quidem civitas tantum erat, *Yecheu* dicta; sed mox illius nomen in *Junnan* mutatum, cum mirabiles quasdam nubes, mira colorum varietate illustres, cum per hasce terras vagaretur, observasset in iis *Hiaovus* Imperator: *Cynus Nincheu* dixit, *Tanga* familia *Nauning*, mox, quia conservare vix potuit ob nimiam distantiam, in sex dynastias totum territorium divisit, totidem ibi statutis, qui annuum tributum penderent, Dynastis; at *Juena* familia omnibus devictis, *Chungking* urbem nominavit, *Taiminga* antiquum *Junnan* nomen restituit. Regit autem civitates omnino tredecim: 1 *Junnan*, 2 *Fumin*, 3 *Ileang*, 4 *Caoming* ⊙, 5 *Cynning*, 6 *Queihoa*, 7 *Chingcung*, 8 *Ganning* ⊙, 9 *Loçu*, 10 *Lofung*, 11 *Quenyang*, 12 *Sanp'ao*, 13 *Ymuen*.

Est hujus urbis territorium peramœnum ac fertile, præclaris montibus, ac præstantibus aquis celebre, hinc inde in colliculos assurgens, mox in longam, latamque diffusa planiciem regio: cœli temperie, fontibus, ingeniorumque excellentia, corporum robore, rerum omnium ubertate varietateq; commendanda. Urbs ipsa est, quæ cum maximis, ac nobilissimis hujus extremæ Asiæ haud immerito certet; mercimoniis, opibusque florens, splendore ædificiorum, fanorum mole ac pulchritudine superba; immensum complectens vicorum spatium, situm etiam jucundum ad Borealem ripam magni *Tien* lacus, qui urbis mœnia, qua ad occidentem vergunt, lambit; inde deducti in urbem canales navibus iter præbent: intra mœnia etiam mons est idolorum fanis, publicis ac privatis ædificiis, hortis ac sylvis visendus.

In

In eadem urbe præter multa præfectorum palatia, quoddam est, quod summus Dynasta, *Moquecung* dictus, inhabitat: hanc dignitatem, ac honoris titulum à *Taiminga* familiæ auctore habuit exercitus illius dux, unus ex familia *Mo*, qui *Hunguvo* præclaram navavit operam in debellandis, ac ejiciendis *Juena* familiæ Tartaris, à parvis initiis egregius belli dux evasit, ac propter insignia merita hanc hæreditariam dignitatem obtinuit, quæ Ducali nostræ respondet, cujus filii successores ad hæc usque tempora eundem honorem obtinent.

Gentis mores. Fuere hic olim variæ gentes, quarum pleraque ignota nomina hic minime recenseo: mores etiam ab invicem fere habuere diversos, sed omnes *Fe* idololatricæ doctrinæ fuere addictæ, ejus libris decantandis semper occupatæ; bella ac arma tractare, agriculturæ dare operam præcipuum fuit illorum studium; virginem nullus in uxorem accipiebat, nisi clam prius ab alio (verba auctoris nostri Sinici sunt) vitiatam; alii coloris erant nigricantis ut Indi, alii candidi; gaudent equis substrato tantum tapete, non accommodato ephippio.

Rerum copia. Producit regio equos omnino præclaros, plerumque tamen minores sunt mole corporis, at fortes & audaces; tapetes nullibi adornantur melius; lapis lazulus, ac viridis color illic effoditur, multaque eximia marmora; lignum etiam rosæ, ut vocant Lusitani, hic nascitur: fana heroibus dicata duo, reliquis magis magnifica numerat.

Montes. *Uhoa* mons est intra mœnia, in quo magnificum est idolorum templum, ac cœnobium, multaque alia ædificia, ut supra dixi.

Ad occasum lacus ac urbis est mons *Kingki*, ingens omnino ac vastus, ipsam lacus ripam attingit.

Fons aquæ paralyticos sanantis. *Xang* mons versus urbis Boream, in quo fons est aquæ frigidissimæ, quæ tamen paralyticis mire prodest.

Lo mons ad Boream urbis altissimus, limacis figuram refert, hic ad Boream, & *Kinki* mons ad occasum ex ipso lacu conspiciuntur, eo quod super alios montes altissime emineant.

Toyang mons ad Barrolybicum, in quo multa sacrificulorum cœnobia.

Sieucao mons prope *Caoming*, tantæ est altitudinis, ut frigidam aëris subire credatur regionem.

Prope *Cynning* est mons *Kinna*, auro gravidus.

Flumina. *Tien* lacus Australem urbis partem tenet, & ad occasum usque ad ipsa urbis diffunditur mœnia, ejus ambitus quingentorum dicitur stadiorum: ex eo *Kinxa* fluvius originem habet, ex Australi lacus parte versus Boream fluens; lacus vero ipse augetur à *Puon* fluvio, qui ex *Caoming* montibus in ipsum lacum descendit, vocatur etiam hic lacus *Quenming*.

Ex lacu *Tien* ingens etiam canalis deductus est ad *Ganning*, *Quenyang*, & *Fumin* civitates, vulgo *Tangcie* dicitur.

Secunda Urbs
T A L I.

Situs ac magnitudo. IAcet etiam hæc urbs alteri magno lacui vicina, occupatque illius occidentalem ripam, in ipso ultimo lacus angulo, *Siul* lacus dicitur, qui multa commoda ac delicias suis præbet accolis: Sinæ mare ob magnitudinem vocant, quamvis multo longior sit lacus, quam latior. *Tali* autem urbis territorium ex toto Sinico imperio maxime vergit ad occidentem, apricum est & amœnum, soloque gaudet fertili, præterquam qua saxis ac rupibus horret, multis etiam aquis irriguum est: ipsa urbs vastissima est, atque immensum occupat spatium, namque intra ipsa mœnia palatium est relaxandis animis exædificatum, cujus peribolus quinque complet stadia, tota autem moles decem perticas exsurgit in altitudinem, ex quo facile prodigiosa pene urbis magnitudo colligi potest: populo frequens est, multaque præclara ædificia tum publica, tum privata continet: duo etiam nobilissima habet fana heroibus dicata, ut innumera alia idolorum templa tacitus prætercam.

Nomina & antiquitas. Olim, cum nondum Sinis pareret regio, inhabitata fuit à *Quenni* regni populis, regum tempore eam *Çu* Rex occupavit, cujus regnum ingens omnino, ac potentissimum fuit. *Hiaovus Hana* familiæ Imperator, cum totam Indiam extra *Gangem* occupasset, primus hujus urbis fundamenta posuit, *Techeu* indito nomine; *Tanga* familia vocavit *Taocheu*, deinde à Sinis defectione facta *Mung* regnum evasit, ac tum *Nanchao* dicta est urbs; primus autem qui eam urbis titulo ac dignitate donavit, fuit *Juena* familiæ Imperator, & *Tali* hodiernum nomen indidit, illique sex civitates, quas regeret, attribuit: 1 *Tali*, 2 *Chao* ⊙, 3 *Junnan*, 4 *Tenchuen*, 5 *Langkiung*, 6 *Pinchuen*.

Marmor eximium. Ex lapide marmoreo ingenti omnino, ac

pulchro satis, Sinæ laminas illic marmoreas conficiunt, quod marmor illic à natura productum ita venulis, omnique colorum varietate adornatum est, ut montes, flumina, arbores, flores aliaque hujuscemodi ita referat, quasi erudita manu, penicilloque pictoris egregii ita isthic essent adumbrata: illo mensas, parietes, similiaque exornant Sinæ, *Tiençang*, à monte ex quo exscinditur, vocant. In hoc etiam terræ tractu ficus nascuntur Europeæ, quos Sinæ *Vuhoaquo* dicunt, ex eo indito nomine, quod nullo prævio flore ut reliqui fructus solent, crescat; *Vúhoa* enim sine flore significat, *quo* vero fructum. *Cha* etiam folia producit: & optimis piscibus scatet.

Montes. *Tiençang* mons supra trecenta stadia occupat, est ad urbis occasum, undeviginti in eo altissimos numerant vertices, & aquæ stagnum tantæ profunditatis, ut nunquam in eo fundus sit repertus.

Prope *Chao* civitatem est *Fungy* mons, ubi etiam ex congesta terra ingens collis visitur, sub quo supra ducenta hominum millia Regis *Nanchao* sepulta sunt, quæ in prælio cum Sinis habito fuere occisa duce *Tangsienyuo*, post quam victoriam *Nanchao* regnum ab *Hana* familia subactum est, quod quidquid ad Austrum est ultra *Gangem* complectitur. *Strages hominum ingens.*

Prope *Tengchuen* est mons *Kiço* multis ac magnificis idolorum fanis, ac sacrificulorum cœnobiis famosus, atque ex hoc loco idololatricæ *Fe* doctrinæ notitia prima ad Sinas pervenit: unde simul cum occupato regno devictæ quoque gentis sacra ac ritus suscepit *Hana* familia; cum antea Sinæ nihil nisi *Xangti* venerarentur, quod supremum sonat Imperatorem; multique valde probabiliter eos hoc nomine Deum explicasse volunt. Multos hic minoris nominis ac notæ montes transeo, sed nequaquam prætereundus vertex *Tingsi* in montibus *Chao* civitatis; hunc supra alios ad mille perticas eminere scribunt; ad radices castrum habet ad itinerum custodiam.

Flumina. *Siul* lacus primus occurrit, hic in amplam extensus longitudinem, incolas amœnissimo adspectu, ac copia piscium recreat, in eo montes tres sunt, qui tres faciunt insulas: sunt & aliæ quatuor planæ insulæ, atque admodum feraces: totus lacus novem Sinus, seu recessus ad interiora efformat; initium ad urbem *Tali* est, finem *Leangkiung* civitas statuit; ex eo ortum ducit ingens fluvius *Mosale*, qui tota hac Provincia superata in *Tungking* regnum irrumpit, magnaque ibi aquarum mole auctus, illum alveum efficit, per quem naves ad *Tungking* regiam tendunt.

Tertia Urbs

LINGAN.

HAbet *Lingan* urbs sub se civitates decem: 1 *Lingan*, 2 *Kienxui* ⊙, 3 *Xeping* ⊙, 4 *Omi* ⊙, 5 *Ning* ⊙, 6 *Sinping*, 7 *Tunghai*, 8 *Hosi*, 9 *Siego*, 10 *Mungçu*: & præterea munimenta novem, 1 *Naleu*, 2 *Kiachoa*, 3 *Vanglung*, 4 *Hiyung*, 5 *Kichu*, 6 *Suto*, 7 *Çoneng*, 8 *Locung*, 9 *Gannan*. Hæc munimenta habet hæc urbs sub se præter morem communem, quia *Tungking* regno vicina est, & militaria præsidia non pauca illic alere cogitur Sinicus Imperator, ut *Tungkinensium* conatibus resistat, atque obviam eat. quidquid enim terrarum est ad ortum hujus urbis in hac Provincia, illud à rege *Tungking* occupatum fuit, illique paret.

Priscis temporibus *Kiuting* regni hoc fuit territorium; *Hana* familia, ubi illud sibi subjecit, *Ciangho* dynastiam hic fundavit; dein ad *Mung* regnum pertinuit, & hujus urbis locus *Tunghai* dictus est; *Sungo* familia *Sieuxan* vocavit; *Juena* urbem statuit, quæ fortissimis undiq; mœnibus cincta est, nec magnitudine contemnenda: ejus territorium partim diffusum in planitiem, partim collibus, montibusque extuberat: duos etiam magnos lacus includit, fluminibusque intersecatur; civitatibus, munimentis, oppidis, pagisque refertum est; oryza, tritico, melle ac cera abundat; fructus omnes toti Indiæ communes etiam producit. Vnum heroibus dicatum habet fanum, pontemque magnificum ad urbis Borealem partem, quem Tartari *Juena* familiæ construxerunt.

Vchung mons ad civitatem *Omi* est, qui tres attollit vertices, in quorum medio jacet civitas. Prope *Ning* civitatem mons est *Vansung*, ab annosis pinis dictus. Prope *Tunghai* mons est *Sieu*, in quo fontem esse scribunt, cujus aqua epota sæpius carnem albam reddat, ac ad pinguedinem augendam gracilioribus mire conferat. *Montes.* *Fons albedinem inducens, ac pinguedinem.*

Prope *Mungçu* altissimus ac maximus mons est, *Moce* dictus, in quo viginti altissimos numerant vertices.

Puonchang mons Australem urbis partem tenet, hunc altissimum esse scribunt.

Prope

Flumina. Prope *Xeping* civitatem lacus est *Ylung*, cujus circuitus centum quinquaginta stadia superat, in eo tres parvæ jacent insulæ. Est & alter lacus prope civitatem *Tunghai* ejusdem nominis, octoginta quadrata habet stadia, ejus origo prope *Hosi* est.

Quarta Urbs
ÇVHIVNG.

VMbilicum Provinciæ tenet hæc urbs, cujus territorium quaqua versum pulcherrimi ambiunt montes, amœnique fluvii scindunt ac rigant, illudque velut munitissimo vallo cingunt, & ab hostibus tutantur: ubique seges luxuriat, nec desunt lætissima pecori pascua, aërque salubris prorsus ac temperatus; lapidem lazulum, atque optimum colorem viridem fert: fuit olim regni *Cu*, mox sub *Hana* familia *Yecheú*; *Cynus* rex vocavit *Gancheú*, *Tanga* familia *Gueiçu*, *Taiminga* hodiernum indidit nomen. regit urbs civitates septem: 1 *Çuhiung*, 2 *Quangtung*, 3 *Tingyuen*, 4 *Tingpien*, 5 *Okia*, 6 *Nangan* ⊙, 7 *Chinnan*.

Ait auctor Sinicus, ad Borealem hujus territorii partem fuisse olim, ante Tartarorum *Juenæ* familiæ adventum, regnum & gentem quandam, *Kinchi* dictam, quæ voces aureos dentes significant, atque ita vocatam, quod tenuissimis lamellis aureis septum dentium munire soleret, forte hæc illa M. *Pauli Arclada* Provincia, sed de his infra paulo erit agendum copiosius. Illud hic omnino rarum, quod olim imo etiamnum hæc gens factitare consuevit: prope *Nangan* nimirum civitatem, lapidem quendam ingentem auro quotannis totum obtegunt, eumque venerantur, ac superstitiose adorant; est autem lapis supra decem perticas altus, diciturque *Xinxe*, quod spiritualem lapidem significat; jam inde à regum *Mung* temporibus hæc superstitio tenuit. *Arclada M.P.Veneti.*

Montes. Ad urbis occidentalem partem *Minfung* mons est, & *Viki.* ex hoc plusquam centum rivuli scaturiunt, unde totus virescit, ac fertilibus campis amœnus est.

Kieupuon mons altus, atque profundissimo quasi specu recedens, ad *Quantung*. Circa *Nangan* mons est *Piaolo*, in quo nobilissima argenti fodina est.

Quinta Urbs
CHINKIANG.

FVit olim hic terræ tractus *Sinany* regni, regum tempore *Tien* regio dicebatur. *Hana* familia prima hujus urbis fundamenta jecit, *Tniuen* civitate exstructa; *Suius Quencheu* dixit, *Mung* reges *Hoyang*, hodiernum nomen *Juena* dedit familia. quinq; illi parent civitates: 1 *Chinkiang*, 2 *Kiangchuen*, 3 *Sinhing* ⊙, 4 *Yangçung*, 5 *Lunan* ⊙. Non adeo magnum quidem, sed lacubus fluminibusque amœnum terrarum tractum obtinet hæc urbs. ipsa magna satis ac conspicua, rebus quidem aliis fere omnibus, at præcipue piscium copia celebris est: ex iis quoddam piscium genus est, ex quo Medici contra quamcumq; scabiem præsens remedium eliciunt. tapetes etiam optimos incolæ contexunt ex Bysso ac Gossipio: ad urbis Borealem partem ad hæc usque tempora ingens conspicitur lapis, ubi *Mung* Rex *Sinulo* alterius Regis legatos excipiens, cum illi minime satisfacerent, extracto gladio lapidem ita percussit, ut ictus ad tres cubitos penetraret, verbis insuper minacibus legatos alloquens: ite & regi vestro renuntiate, quales apud me gladii sint. hoc autem accidit sub *Hiaouuo Hanæ* familiæ auctore, qui *Mung* regnum potentissimum, quod etiam *Nanchao* dicebatur à Sinis, Sinico imperio adjecit. *Piscis contra scabiem utilis.*

Montes. *Tokeu* mons ad urbis Notolybicum in ripa lacus *Vusien*, sylvosus est, uno constans vertice.

Kinlien mons ad ortum urbis est, inter montium coronam situs, sole oriente totus aureus videtur.

Kiangchuen montem *Si* habet ingentem, ex quo multi rivuli manant. *Puonquen* mons circa *Kiangchuen* saxis horridus, ac cavernis pluribus interruptus, inter incultos lapides cœnobium ac idolorum fanum exædificatum est sacrificulis frequens.

Flumina. De fluminibus vix quidquam est præter ea, quæ ostendunt mappæ. Ad Austrum autem urbis lacus est magnus *Fusien*, centies mille jugera occupat.

Est & *Ming* lacus ad *Yangçung*, in quo optimi ac præclarissimi sunt pisces, unum genus est coloris nigricantis, *Cing* Sinæ vocant, hunc piscem multis morbis prodesse scribunt.

Sexta

Sexta Urbs
MVNGHOA.

ÆDificavit hanc urbem *Mung* Rex Sinulo, eamque *Mungre* vocavit; *Hana* familia eam regioni *Techeu* adscripsit; *Juena* quod habet, dedit nomen. duas tantum sub se continet civitates: 1 *Munghoa*, 2 *Linglung*. maxima ibi muschi copia est, ac nusquam alibi major illius, quam in hac provincia proventus.

Montes. *Gueipao* mons est ad urbis Notapeliotem, omnium in hac regione altissimus. *Funghoang* mons Notolybicum versus jacet, nomen à Sinico phœnice habet, quem in hoc monte defunctum vita, cum aliquamdiu suavissime cecinisset, referunt: illud rarum omnino ac singulare est, si modo verum: ajunt quotannis sub finem autumni aves omnes vicinas congregari in hoc loco, ac mortem phœnicis veluti plangere; incolæ illos dies observant, noctuque accenso igne montem conscendunt, ubi innumeras easque præstantissimas aves capiunt.

Tienul mons ad Boream urbis, cœli auris dicitur, quia in eo tam subtilis ac delicata echo est, ut quantumvis licet summissa loquaris voce, ictum ac repercussionem audias.

Septima Urbs
KINGTVNG.

INter altissimos ac densos montes, sola sui juris jacet hæc civitas: cujus incolæ tardissime omnino Sinicas litteras admiserunt, & multi adhuc potius *Mien* regni scribendi modum adhibent, qui non differt ab illo, quo Begalenses utuntur, Indique mercatores. Urbis hujus prima fundamenta posuit *Nanchao*, *Mung* regni Rex, vocavitque *Inseng*, hoc est argentum nascens, quia fodinas argenti non paucas vicinum habebat territorium. *Juena* familia *Cainan* dixit, at *Taiminga* dilatato pomœrio, urbem mœnibus octo stadiorum circumdedit. Tota regio feracissima imprimis est oryzæ, ad urbis autem occidentalem partem supra vallem profundissimam pons est, qualem jam supra adnotavi, ex meris ferreis constans catenis: catenæ ejusmodi viginti sunt, duodecim perticarum longitudine singulæ; cum plures simul transeunt, titubat, ac movetur pons non absque transeuntium, ob subjecta præcipitia, horrore: hunc pontem *Mingus Hana* familiæ Imperator condidit, circa annum à Christo nato quintum supra sexagesimum.

Pons ex catenis ferreis.

Montes. *Munglo* mons altissimus trecenta, eaque plura occupat stadia, ad Borealem urbis partem est. ibidem est *Pingtai* mons, in quo castrum ad custodiam.

Octava Urbs
QVANGNAN.

HÆc urbs à Sinico etiam imperio avulsa *Tungking* regno paret, cum subjecta alia civitate, nimirum *Fu* ⊙, cujus urbis regionem à Sinico Imperatore subjectis terris magni atque alti separant montes, ipsa tamen planissima est, nullaque illius pars inculta jacet, undique colonis ac cultoribus frequens: demum ob præstantiam ac feracitatem aurea vulgo terra dicta, incolæ tamen, ut Sinæ quidem scribunt, barbari sunt; facile sese mutuo occidunt; viri ac fœminæ nudipedes ambulant, curta veste, sparsis capillis incedunt; insecta omnia etiam vermes, serpentes, ac mures vorant, ac pro cibis adhibent.

Incolarum mores.

Montes. *Lienhoa* mons ad ortum urbis, quia repandi floris figuram habet, *Lienhoa*, sive *Lien* flos dicitur.

Prope *Fu* civitatem est *Tocyuen* mons, à pretioso fonte, qui in ejus vertice emicat, dictus, *Tocyuen* enim pretiosum fontem significat. Torrens seu potius rivulus *Nanmo* prope *Fu* civitatem est, cujus aqua semper calida fluit, pro balneis optima censetur, multisque morbis mederi creditur.

Nona Urbs
QVANGSI.

HÆc etiam urbs cum subdito sibi territorio *Tungking* Regi paret, quatuorque præest civitatibus: 1 *Quangsi*, 2 *Suçung* ⊙, 3 *Mile* ⊙, 4 *Vimao* ⊙. Olim *Tien* regni fuit, sub *Hana* familia *Techeu* regionis pars, & *Ciangho* hic terræ tractus dictus; sub *Tanga* familia *Kimi*, hodiernum nomen ab *Juena* obtinet familia.

Montes. Ad Borealem urbis partem mœnibus vicinus est mons *Faco*: & intra ipsa mœnia mons *Chunsien*, in quo urbis erat Gymnasium. *Siaolung* mons ambit *Mile* civitatem.

Decima

Decima Urbs
CHINYVEN.

CHinyven urbs prope meditullium hujus Provinciæ occupat, ad australem partem urbis *Kingtung* argentiferæ, sub se castrum habet seu munimentum *Loco*. In hoc territorio montes multi sunt; sylvestres ac domestici pavones: antiqua nomina eadem omnino, ut sub *Kingtung* urbe huic vicinissima reperio, quare nec addo.

Montes. *Polung* mons ad urbis occasum, hic colles ita sensim sese attollentes altius atque altius habet, ut irati maris intumescentes undas videre te credas, inde *Polung*, sive undarum gratia vocatur.

Nalo mons ad Barrapeliotem, tigribus & leopardis infestus.

Undecima Urbs
IVNGNING.

BOrealissima hujus provinciæ est hæc urbs, regno *Sifan* contermina, quæ ad provinciæ custodiam quatuor sibi subdita habet munimenta: 1 *Iungning*, 2 *Laçu*, 3 *Ketien*, 4 *Hianglo*, 5 *Valu*. hæc regio optimis illis vaccis abundat, de quibus agunt qui de regno Tibet scripsere: *Ly* vaccas vulgo vocant: harum cauda pro vexillorum ac galearum ornamentis utuntur Sinæ; ex pilis autem tapetes, vestesque concinnant contra pluviam præstantissimas. Olim hæc regio *Talang* nomen habuit. *Iuena* familia hodiernum nomen indidit.

Montes. *Canmo* mons ad urbis Notapeliotem, solitarius ac nudus, totusque lapideus in magna existit planitie; *Lopu* mons prope *Volu*; *Pouo* mons ad *Hianglo*; *Loni* mons ad *Locuho*.

Lacus. *Lucu* lacus ingens ad ortum urbis, in quo tres Insulæ sunt omnino æquales, quælibet collem habet centum perticas altum.

Duodecima Urbs
XVNNING.

DE hujus urbis regione nihil notant Sinæ ante *Sungam* familiam, Tartari *Iuenæ* familiæ primum occuparunt, & hoc nomen indiderunt: urbis circuitus duorum tantum est stadiorum. Monticolæ hic, ut ajunt Sinæ, sunt maxime barbari, ac moribus minime cultis: ipsa etiam terra horrida fere, ac magna ex parte sterilis est; inter arctissimas valles unicus patet ingressus: sparsis ac oblongis utuntur capillis, nudis pedibus incedunt, comedunt manibus capientes, bacillos adhibere nolunt, omnia insecta devorant, vestes scindere, aut nere non norunt, panno integro se involvunt, & eodem latera cingunt. ita Sina noster Geographus. Hunc terræ tractum, quantum quidem ego assequi possum, est cur putem *Iungchang* regni partem olim fuisse, cui adjacet. de quo plura infra.

Montes. *Loping* mons ad Barrolybicum urbis exsurgit, in cujus parte urbs ipsa jacet.

Mengpo mons ad Boream urbis est, in quo inculta gens habitat.

Flumina. *Çanglang* fluvius ad occasum urbem prærerfluit, fluvius est ingens, cujus origo in Sifan regno, inde descendens Austrum versus, ad *Iungping* hanc provinciam ingreditur, totamque mediam secat, mox *Tungting* regnum adiens cum *Xale* fluvio sive Moxale in mare decurrit. De puteo *Quonin* (quod nomen famosissimi idoli est, forma muliebri, uti ad mappas expressimus) scribunt quendam ibi senem baculo terram percussisse, atque ita illi dedisse originem, cum alias terra aquis careret, quæ res pro prodigio habita, maxime cum senex ille amplius non comparuerit.

URBES MILITARES.
Prima Urbs militaris
KIOCING.

IN his urbibus, uti alias dicere me memini, cives militibus permixti habitant. prima hæc urbs territorium *Tungking* regno vicinum habet, at contra omnes hostium conatus probe munitum: nam præterquam quod sex civitates egregio opere exstructas habeat, & quædam castella, fluminibus *Pepuon* & *Naupuum* clauditur, quæ ex hujus urbis territorio ortum ducunt. civitates autem sunt: 1 *Kiocing*, 2 *Teco*, 3 *Chenye* ⊙, 4 *Loleang* ⊙, 5 *Malungo*, 6 *Lohiung* ⊙, Hujus regionis incolæ egregiam, ac sedulam agriculturæ dant operam, sed & litibus student, contenduntque apud Iudices, unde sæpe illa, quæ totius anni sudore ac labore lucrati sunt rustici, in judicum cedunt stipendium ac solutionem: rem raram omnino hic reperiri scribunt Sinæ, aviculas nimi-

Hirundines lapidea. rum quasdam, quæ hirundines referant, à quibus & nomen habent, *Xeyen* enim vocant, hoc est hirundinem lapideam; albis notis majoribus, & minoribus sub ventre notatæ sunt; quæ majores habent notas, mares vocantur à Medicis Sinicis, fœminæ, quæ minores: ex his contra morbos oculorum collyrium componunt Medici, quod omnem chelidoniam longe superat.

Montes. *Fukin* mons ad occasum urbis est, in eo fontem esse scribunt, cujus aqua puerorum ingenium augeat; nisi forte hoc effingant *Aqua ingenia augens.* Sinæ, ut quibusdam Europæis locis fieri assolet, ad inducendos tanto facilius pueros, ut vino relicto, aquam bibant, quod similibus argumentis suadere solent, eo quod scilicet flavos capillos, oculosque pulchriores efficiat.

Circa *Chenye* mons est *Xingung*, sylvis continuis vestitus.

Xemuen mons circa *Loleang*, in quo inter saxa, via decem stadiorum patet, quæ utrimque veluti lapidea silva procul aspectantibus apparet.

Tceng mons prope *Yeco*, à fonte dictus, nam *T* juxta vulgare hujus terræ idioma, aquam significat, quæ *Xui* à Sinis dicitur.

Malung Quenso habet altissimum verticem, per quem iter est, ubi & castellum ad custodiam.

Flumina. *Pexe* flumen ad Boream urbis incipit, at quam mox mutato nomine, *Pepuon* fluvius evadit, qui etiam *Ven* dicitur.

Chungyen lacus ac palus prope *Loleang* ad montium *Kiechiung* radices.

Secunda Urbs

YAOGAN.

AD Barrolybicum metropoleos jacet urbs militaris *Yaogan*, nobilis imprimis à Muschi copia, tribus præest civitatibus: 1 *Yaogan*, 2 *Yao* ᴐ, 3 *Tayao*, quas omnes sylvis ac montibus nobile territorium includit, in quibus feraces valles quam plurimæ: olim erat hæc regio *Tien* regni pars, sub *Hana* familia ad *Yecheu* pertinuit, quæ hic *Lungtung* civitatem condidit. *Tanga Yaocheu* dixit, hodiernum nomen *Juena* instituit familia. Ait Sinicus auctor, hanc gentem ad insaniam esse robustam, quod pacem bello, illius artes armis ac præliis postponant, cum tamen pax sit optima rerum, quas homini Deus, aut natura dedit, quod plane contra prima politices principia est apud Sinas, pacis, non belli, amantes.

Montes. *Kiensieu* mons ad urbis occasum mœnibus vicinus est, ex eo rivulus fluit, qui urbis fossam implet, & lacum parvum *Pien*. *Tung* mons ad ortum, pulcherrimis sylvis nobilis; *Lolo* ad Boream urbis mons est; & *Luki* mons prope *Tayao*.

Flumina. Versus Barrapeliotem ab urbe haud ita procul abest ingens puteus, qui aquam salsam continet, hauriturque ad salem candidissimum conficiendum, adhibeturque per totam regionem, vocatur *Peyencing*, hoc est, albi salis puteus: hujus inventionem ovibus adscribunt, quod ibi terram lambere, pedibusque eradere consuescant, ac ungulis exsculpere, donec tandem re sæpius notata, salsam ibi terram, aquamque reperêre.

Kinxa fluvius, qui ex *Sifan* venit, hujus urbis territorium ad Boream transit, ingreditur hanc Provinciam ad ortum *Linsi*, mox multis collectis aquis in *Suchuen* per *Queicheu* confinia tendit. *Kinxa* dicitur ab aureis arenis, quas volvit.

Tertia Urbs

CIOKING.

SUb *Hana* familia hic tractus ad *Iungchang* pertinuit regnum, *Tanga Ciocheu* dixit, *Juena Cioking*; tres continet civitates, 1 *Cioking*, 2 *Kienchúen*, 3 *Xun*: totusque à fluminibus & montibus clauditur: incolæ fortes sunt, ac animosi, non Sinico flabello, sed arcu ac sagittis armati incedunt. Muschum profert regio, & nuces pineas seu strobilos: insignes illic texuntur tapetes.

Montes. *Kinhoa* mons prope *Kienchuen* civitatem, ex *Sifan* regno continuus huc usque pertingit: in eo aurum esse scribunt in maxima copia; quidam illius vertex totus aureus apparet.

Fauchang mons ad urbis Australem partem maximus.

Ad *Kienchuen* mons est *Xepao*, in quo lapidea columna est & idoli *Fe* statua, elephas, leo, campana ac tympanum visuntur, omnia ex solido lapide; quælibet statua diversi coloris est; à quo positæ sint, ignoratur.

Flumina. *Kinxa* fluvius etiam hunc tractum rigat.

Kien lacus prope *Kienchuen*, ejus ambitus sexaginta stadiorum est: ex eo tres rivuli emanant, qui characterem Sinicum, *Chúen* effor-

efformant,nimirum ˥ ‖ hoc est aquæ, unde civitati nomen inditum.

Montes. Ad urbis Notapeliotem datur fons aquæ calidæ, quo Asthmatici, & obstructionis morbis laborantes loti, facile sanantur.

Quarta Urbs
V U T I N G.

Flumina. HUjus etiam urbis territorium *Tien* regni pars fuit, *Hana* familia terris *Techeu* ad scripsit, *Suius Quencheu*, sub *Tanga* familia *Tacheu* dicta, ab *Juena* familia hodiernum nomen obtinet:quatuor regit civitates, 1 *Vuting*, 2 *Hokio* ⊙, 3 *Yuenmeu*, 4 *Lokiuen* ⊙. Iacet metropoleos regioni vicina, & si quæ alia,amœnum ac fertilem terræ tractum possidet,per quem *Kinxa* fluvius duplex fluit, multæque eum aliæ aquæ fecundant : militaris est urbs, militumque habet sat amplum præsidium, quia *Queicheu* finitima est, ubi à montanis populis periculum potest imminere : muscho etiam abundat ; & quia gratissima ovibus pascua habet, frequentes alit greges.

Montes. *Umong* mons maximus ad ortum urbis duodecim attollit vertices.

Hingkieu mons circa *Lokiuen*, undique horridus ac præruptus,in vertice tamen planus est : & per arctissimam viam,unius tantum hominis capacem, patet solummodo ascensus, bellorum tempore suis accolis optimum præbet asylum.

Montes. *Çokieu* mons ab *Hokio*, vocatur vulgo continuum ver, quia nullam, aut exiguam sentit tempestatum anni mutationem, perpetuo virescit : ad occasum ejus ingens est caverna velut abyssus, in qua hominis ac animalis cujusdam statua visitur; scribunt, si quis forte statuam spectans altius loquatur, continuo tonitrua ac tempestates insurgere; sed fides sit penes Sinas.

Flumina. *Hoeineao* lacus ad urbis Barrolybicum quinque stadiorum est, undique arboribus pulchrè septus, vocatur reddens aves, quia folia, quæ in eum incidunt, non omnia, sed certæ arboris, in nigras mutantur aviculas, tanta cum admiratione ac stupore accolarum, ut spiritus esse credant; ita inquit Sinicus auctor.

Folia in aviculas mutantur.

Flumina. *Hiangxui* fons, hoc est aquæ odoriferæ, quia Vere præcipue redolet, quo tempore incolæ ob rei insolentiam sacra fonti faciunt, & aquam vino mixtam, seu liquori ex oryza confecto, ebibunt : hanc aquam multis morbis mederi volunt.

Quinta Urbs
C I N T I E N,

NIhilo superiore minus pingues, fertilesque campos hæc urbs obtinet, à frequentibus iisque sedulis agricolis cultos, ac à pastoribus frquentatos : non paucos numerat pagos,l et sub se civitatem nullam habeat : urbs ipsa *Queicheu* Provinciæ vicinissima est ; olim etiam regni *Tien* fuit hic locus, & *Cintien* dictus, quod nomen etiamnum retinet.

Montes. *Juecu* mons ad urbis Barrapeliotem,quinquaginta stadia occupat. versus occasum *Into* mons est, qui adeo salubri fruitur aëre, ut degentes in eo ægritudines, quas ventus aut frigidior aër causet, ignorent : æstate commodissima ibi statio est,ad vitandos calores caniculares.

Flumina. *Che* lacus ingens, qui etiam *Cingxui* mare dicitur,inter montes ad occasum urbis est, in quem ex montibus rivuli omnes influunt.

Sexta Urbs
L I K I A N G.

HUjus regionis incolæ omnes ex priscorum Sinarum deductis huc illucque coloniis orti sunt, ac licet non omnino Sinicas sequantur leges, quia ex aliarum nationum vicinia aliis sæpe moribus fuerunt imbuti,ut plurimum tamen Sinas suos imitantur ; potui multum sunt deditì,ac largiter se ingurgitant,inde cantionibus ac tripudiis delectantur; equitare ac sagittas emittere dextre norunt : optimam ac pinguem inhabitant regionem, eamque auro gravidam;succinum etiam habent,ac nuces pineas. Urbs ipsa jacet in maxime occidentali hujus provinciæ parte,ad Boream urbis *Tali*, cujus territorium auriferus *Kinvius* medium secat, *Lançang* vero fluvius claudit ad occasum. Supra *Kinxa* pontem habet ex ferreis catenis concinnatum, inter montium intercapedinem interjectum,qualem supra descripsi.quinque urbs regit civitates : 1 *Likiang*, 2 *Paoxan* ⊙, 3 *Lan* ⊙, 4 *Kiucin*, 5 *Linsi*. *Hana* familia *Júehi* hunc vocavit locum, *Tanga Hicheu*, hodiernum nomen *Juena* dedit familia.

Montes. *Sive* mons ad urbis Barrolybicum *Tibet* regnum versus, ab assiduis nivibus, quæ num-

numquam ibi liquefiunt, nomen habet, *Siue* enim nivem significat.

Prope *Kiucin* est *Kinma* mons, à lapidibus versicoloribus equum referentibus dictus.

Flumina. *Lançang* fluvius ad occiduam partem civitatis *Lan* fluit, ex regno *Tufan* emanat, unde & *Kinxa* fluvius, qui & *Li* dicitur; hic in ortum, *Lançang* vero austrum versus profluens, magnaque aquarum mole auctus tota superata provincia, atque ipso regno *Tungking*, in mare aquas evomit simul cum *Xale* fluvio, ut jam ante dixi.

Ad urbis Notapeliotem *Kinxa* fluvius in magnam latitudinem diffunditur, lacumque efficit triginta stadiorum; tanta ejus dicitur profunditas, ut hactenus nondum satis sit explorata.

Septima Urbs
IUENKIANG.

Olim hæc terra ad Sinarum pertinuit regionem, sub *Tanga* vero ad *Inseng*, sub *Sunga* familia à *Nungchicao* occupata fuit, ac à Sinico Imperio avulsa; *Iuena* familia restituit, & *Iuenkian* dixit; quia vero *Tungking* & *Laos* regno vicina est, munimentum habet ad regionis custodiam, *Lopie* dictum. Abundat bysso, ebeno, palmam, ac Arecam profert, quam incolæ cum folio *Betel* masticant, ut Indi reliqui, *Makinnang* patria voce vocant. Ibidem etiam frequentes pavones sunt.

Montes *Leukia* mons ad urbis Barrapeliotem est; *Totai* mons ad ortum maximus, qui viginti quinque numerat vertices, adeo amœnus ac pulcher est, ut pretiosæ turris nomen obtinuerit.

Octava Urbs
IVNGCHANG.

Potentissimi *Gailao* regni caput olim fuit hæc urbs, & *Puguei* dicta est. hujus urbis initium *Hiaovus Hanæ* familiæ bellicosissimus Imperator posuit; quia vero *Lançang* flumini circumjacentem regionem regebat, *Lançang* nomen adepta est, mox quod defecisset à Sinis & *Iungchang* regno subdita esset, *Iungchang* dicta est. Incolas hujus regionis ita describit Sinicus auctor: varios, inquit, exterorum habent mores, alii aureis lamellis dentes tegunt, istique *Kinchi* (hoc est aureorum dentium) dicuntur; alii dentes nigerrimos glutine aliove colore illitos amant; alii faciem variis figuris pingunt (acu nimirum perforando, appositove colore nigro, ut multi alii ex Indis solent.) equitant sine ephippio, solo tapete substrato; auro, cera, melle, marmore, succino, bysso ac sericis abundant. Est *Iungchang* urbs magna ac frequens, olim magni *Kinchi* regni fuit caput, modo Sinis paret; regit autem civitates quatuor, & tria munimenta contra finitimas nationes extructa: 1 *Iungchiang*, 2 *Layeo*, 3 *Lukiang*, 4 *Iungping*. Munimenta, 1 *Fungki*, 2 *Xitien*, 3 *Lukiang*.

Lib. 2. cap. 41. Hanc urbem, & circumjacentem regionem omnino *Marci Pauli Veneti Unchiang* esse mihi persuadeo: inducunt ad hoc nominis affinitas, gentis mores, situsque regionis: namque *Mien* regno adjacet, de quo infra, nec à *Bengala* longe abest; abundat etiam elephantis, quibus contra Tartaros pugnarunt, & ab ipsis feliciter devicti sunt, quæ etiam res hic fuisse *Unchiang* probat: in Borealibus enim partibus nulli sunt elephantes, et per totam Sinam nunquam ad prælia adhibiti sunt, præterquam in hac sola *Iunnan* provincia, & *Kiaochi* seu *Tungking* regno. quod autem *M. Paulus Vn* pro *Iun* scribat, minime mirum: nullus enim character Sinicus est, qui *Vn* sonet, unde à Sinis *Iun* pro *Vn* adhibitum. confirmat hanc opinionem, quod sæpius dixi, Tartaros nimirum *Iuenæ* familiæ ex australibus partibus Sinas ingressos, ac inde ad totum occupandum Imperium gradum fecisse, debellata prius omni illa regione, quæ cis *Gangem* est, multisque etiam quæ ultra eundem, pro quibus ad *Venetum* curiosum lectorem mitto.

Montes. *Gailo* mons, sive *Ganlo* ad urbis orientalem partem est, in eo puteus profundissimus, ex quo anni fertilis futuri, aut sterilis augurium desumunt incolæ, idque verno tempore, notato illius aquæ adscensu atque altitudine, & descensu seu demissione: in eodem lapis est, qui nasi humani figuram repræsentat, ex naribus fontes bini profluunt, calidus eorum unus est, alter frigidus. *Caoli* mons prope *Layue* magnus atque altus.

Iungping vicinum habet montem *Ponan* horridum omnino, ac difficilem. Circa *Xitien* est *Mocang* mons, cujus vertex quidam cælum ipsum præ altitudine videtur attingere.

Fungki

Funki munimentum in monte ejusdem nominis est.

Flumina.

Lu flumen, quod & *Nu* dicitur, fluit urbi vicinum, ejus origo è regno *Tufan* est.

Chinghoa lacus ad urbis ortum, totus *Lien* floribus consitus est.

Civitates militares.

ABsolutis urbibus militaribus duæ supersunt civitates, quæ nulli subsunt urbi; in his, ut in urbibus, milites ac cives simul habitant; prima est *Pexing*, secunda *Sinhoa*; illa Borealem Provinciæ partem occupat, hæc Australem.

Montes.

Ad partem Australem *Pexing* mons est *Kieulung* altissimus. *Tung* mons ad ortum, *Utung* mons ad occasum; *Sinhoa* vero civitas Barrolybicum versus *Falung* montem habet, & ad Boream montem *Cheçung*, in quo calidus fons.

Flumina.

Ad Australes partes *Pexing* lacus est, *Chin* dictus, hic ex ruina ingentis oppidi effectus est, quod ob incolarum scelera, terræ hiatu absorptum referunt ipsimet Sinæ; præcipue ejus habitatores ex familia & affinitate *Chin* fuisse traduntur, indeque lacui nomen factum; atque hic ille lacus est, in quo non nisi puerum unicum, supra ligna vectum, communem evasisse stragem scribunt: ex quo multo magis confirmatur *M. Pauli* genuina intellectio de hoc loco, quem miror in Europæis mappis ad quadragesimum gradum vulgo poni, forte ut errorem errore confirment, id factum; alias enim *Catayum* ad quinquagesimum statuere non potuissent, *Veneti* minime intellecta mente, ac verbis.

Provinciæ munimenta.

EX his alia majora, minora sunt alia; alia nulli subjecta alteri, quam suo præfecto, alia aliis præsunt; quæ sola per se stant, hic prius in ordinem redigo, de aliis paulo post acturus: 1 *Chelo*, 2 *Tengheng*, 3 *Cheli*, 4 *Laochua*, 5 *Lungchuen*, 6 *Gueiyuen*, 7 *Vantien*, 8 *Chincang*, 9 *Taheu*, 10 *Nieuki*, 11 *Mangxi*.

Cheli aquilæ lignum odoriferum profert. *Laochua* Rhinocerotes alit; *Benjoin*, multaque alia suavissimi odoris ligna: *Laos* regno vicina regio est.

Montes.

Munglo mons prope *Chelo* est, in eo aquæ lethiferæ fons, ex quo si vel tantillum homines, aut animalia hauserint, continuo interire solent.

Prope *Taheu* mons est *Olun* horridus ac præruptus.

Cingxe mons altus ac saxosus, obscuris cavernis cavus, prope *Mangxi*.

Flumina.

Tache lacus ingens circa *Tengheng*, in ejus medio magnus est mons, qui tamen ob lacus magnitudinem parvus apparet ex ipsa ripa.

LANÇANG *munimentum.*

HUic munimento subest civitas *Langkiu* ○, quæ etiam militum habet Præfectum: sub *Juena* familia ad *Pexing* pertinuit, at *Taiminga* inde avulsit; *Suchuen* Provinciæ finitimus est hic tractus: in quo magna *Muschi* vis, optimi tapetes, pinorum nuces, cervique plurimi in montibus, quorum maximus *Peco*.

Peco mons.

MOPANG *munimentum.*

MAxime Australem ac occidentalem hujus Provinciæ partem occupat hic terræ tractus, ad Austrum *Mien* regni est, *Pegu* ac *Bengalæ* vicinissimus; cumque vix pareat Sinis, non admodum illis notus, de quo tamen habent sequentia: piper profert, optimum stannum, equos alit præclaros, succinum fert; ad *Mien* regnum pertinet, fuitque ejus regia, sed *Juena* familia eam destruxit, magnisque præsidiis instructum munimentum statuit: mares albis plerumque induuntur vestibus, corpus depingunt in eo varias efformantes figuras, ut *Peguani*; barbam volsella radicitus exstirpant, supercilia adornant, mystaces oblongos alunt, brachia ac crura annulis aureis, vel eburneis ornant, aures oblongas, perforatas annulosque insertos gerunt: uxores habentur ut mancipia: mercaturæ addicti sunt, student agriculturæ, natura faciles ac dociles sunt, sed fallaces: muscho santalique ligno in pulverem redacto corpus linunt, tenuiores lutei cujusdam ligni ramenta, seu tenuissimum pollinem adhibent; ditiores gestantur à bajulis jacentes in lecticis, aut elephanti insidentes iter faciunt: idolum *Fe* colunt, metempsychoseos doctrinæ addicti, sacrificulos suos amant ac venerantur: mœnia habent ac civitates. hæc Sinicus auctor refert; quibus nihil admodum quod addam habeo, nisi quod hæc non parum faciant ad meliorem eorum, quæ apud *M. Paulum* sunt, plenioremque perceptionem. in mappa Sinica circa *Mapang* hæc depicta sunt loca: 1 *Mopang*, 2 *Mengyang* ○, 3 *Mengking* ○, 4 *Menglien*,

lien, 5 *Mengli*, 6 *Mengting* ○, 7 *Mengtien*, 8 *Mengco*, 9 *Mengchang*.

Prope *Mengyang* unum tantummodo montem adnotatum invenio, qui *Queikiue* dicitur, adeo aſcenſu arduus ac cavernoſus eſt, ut à malo ſpiritu excavatum dicant.

MIEN *Munimentum*.

DE hac regione ita inquit Sinicus auctor: olim hæc *Sinan* terris fuit adnumerata, qualis in ea gens ſit, ignoro; olim contra nos pugnarunt, & quinque urbes occuparunt, at *Juena* familia eos debellavit, regnumq; occupavit: habent urbes ac mœnia, domoſque ad inhabitandum, elephantes ac equos uſibus aptos, naves ac pontes ad flumina trajicienda: ſcribendi modum ac literas habent ſingularem, ditiores auri foliis ſua inſcribunt, alii papyrum adhibent, alii Arecæ folia: gens eſt colore nigricanti, natura fallax; reliqua eadem omnino ſunt quæ dicit ſupra. Producit regio, quod petroleum vocant, præſens ſcabiei remedium. Ex quibus colligo hic vicinum *Mien* regnum fuiſſe, de quo *M. Paulus Venetus* agit; hoc autem munimentum à Sinis exſtructum contra irruptiones, aut conatus hoſtium ex regno *Mien*. Vicina ſub ſe ſex alia habet munimenta, quæ ſunt 1 *Mien*, 2 *Pape*, 3 *Santihiúng*, 4 *Sochung*, 5 *Mungyang*, 6 *Mitien*. alia quædam minora loca ſunt, quæ ſatis dilucidè expreſſa ſunt in mappa.

LEAOTVNG REGIO.



INgens hic terrarum tractus eſt inter ſinum *Çang* & murum magnum interceptus, *Leäotung* Sinæ vocant; licet autem magnitudine, populique frequentia Provinciæ nomen ac dignitatem jure mereatur, illam tamen *Taiminga* familia concedere noluit, quia abolito fere ubique urbium ac civitatum nomine, munimenta ſtatuit, quæ à militaribus regerentur præfectis, paucis quibuſdam relictis, in quibus ſummi præfecti, Prorex nimirum, ac regni habitaret Viſitator, majori cum majeſtate ac imperio, de quibus infra erit agendi locus. hæc autem idcirco facta ſunt, quod Sinicus Imperator per totam illam regionem ingentia cogeretur alere militum præſidia, ob nimiam *Niuche*, & *Niulhan* Tartarorum viciniam, præcipue poſtquam ſub *Kiacingo* Imperatore murum Tartari armata ſuperaſſent manu, ingenteſque egiſſent per totam devaſtatam Provinciam, prædas; ac tametſi bellum illud minime fuerit continuatum, ſopitum tamen potius fuit, quam exſtinctum: nam ſub *Vanlieo* iterum illius erupit incendium, nec quievere prius Tartari, quam totum fere occupaſſent imperium, atque etiamnum acriter pro ejus reliquiis decertant; ut fuſius aliquanto docui in meo de bello Tartarico commentariolo.

Termini. Hujus regionis termini ſunt ad partem orientalem *Ylao* fluvius, & Sinus maris per quem à *Corea* peninſula ſeparatur, *Coream* enim ac *Leäotung* fluvius è Tartaria adveniens mediam interſecat; ad hujus autem ripam, qua ad occidentem ſpectat, celeberrimi illius muri, de quo ſuo loco dixi, initium eſt, qui limites ad Boream ſtatuit, nam ab ortu in occaſum, à *Caiyuen* nimirum uſque ad *Kichin* protenſus haſce terras à Tartaria ſejungit. ad occaſum eam claudit *Pecheli* Provincia, & medius inter utramque profluens *Linohang* fluvius; reliquæ qua ad Auſtrum magis pertinent, *Çang* Sinus maris alluit, atque defendit.

Diviſio ac nomina antiqua. Priſcis temporibus ſub *Yui* diviſione pars *Leäotung Ki*, pars *Cing* Provinciæ attributa eſt; ſub *Xuno* vero terræ vergentes ad Barrapeliotem regioni *Jeu* fuere accenſitæ, illa nimirum pars, ubi nunc *Quangning*; aſteriſmi prædominantes regioni aſſignati ſunt *Ki* & *Vi*. Regum tempore *Yen* vocata eſt hæc regio; *Cinæ* familiæ auctor *Xuus* Imperator *Leaoſi* dixit; *Hiaouus Hanæ* familiæ, poſtquam *Coream* armis domuiſſet, multis ſecum deductis è *Corea* advenis, ex illis hic colonias deduxit ac ſtabilivit, Provinciamque *Caokiuli* nomine inſignivit. *Tangæ* familiæ auctor has iterum terras, ac *Coream* occupavit, duaſque magnas in ea urbes condidit, unam *Caï*, alteram *Leäo* nomine. *Utai* Reges *Leäo* civitatem vocavere *Tungking*, *Kina* Tartarorum familia *Leäoyang* dixit, quod nomen paulululum inflexum, in hodiernum uſque diem retinet.

Vrbium numerus. Tota regio duas tantum majores numerat urbes, civitates aliquas, munimenta vero quamplurima, quæ iſthic ſunt, magnitudine &

ne & populi frequentia etiam quasdam primi ordinis civitates superant. Urbes duæ sunt, 1 *Leaoyang*, 2 *Ningyuen*, 3 *Ycheu* ⊙, 4 *Caiyuen*, 5 *Quangning*, 6 *Ningyuen*, 7 *Chinyang*, 8 *Kincheu* ⊙, 9 *Cai* ⊙. Minora sunt, 1 *Hai* ⊙, 2 *Tieling*, 3 *Chungcu*, 4 *Puho*, 5 *Kin* ⊙, 6 *Fo* ⊙, 7 *Luixun*, 8 *Chekiao*, 9 *Chehai*, 10 *Quangning*, 11 *Tingleao*, 12 *Ganlo*, 13 *Pieyang*, 14 *Sanuan*, 15 *Tanyang*; Minora seu tertii ordinis sunt, 16 *Chungtun*, 17 *Co*, 18 *Jeu*, 19 *Heutun*, 20 *Yeutun*.

Ex his aliquæ viciniores *Xantung* Provinciæ, militum præfecto illius provinciæ subsunt, nimirum *Kin* ⊙, *Fo* ⊙, *Liuxun*.

Ingenium ac indoles. Sunt autem hujus provinciæ incolæ ad studia prorsus inepti, maxima ex parte torosi, forma magis quadrata, firmissima membrorum compage, audaces, fortes, ad bella aptiores, laboribusque adsueti: bellis enim continuis ex vicinia Tartarorum arsit regio, ac cum diu pluribus annis Tartarorum excursionibus, deprædationibusque fuisset vexata, tandem sub *Kiacingo* Imperatore orientalem partem Sinæ pœne amiserunt, victoribusque Tartaris ingens præda cessit; haud ita multo post sub *Vanlieo* iterum irrumpentes eam occuparunt; unde ex tanta illorum vicinia, commercio, ultro citroque factis deditionibus, gens fere tota Tartaricos magna ex parte induit mores, ea præcipue, quæ magis vergit ad orientem, atque illa ipsa dein gens pro ipsis Tartaris contra Sinas stetit; & quia pars orientalis à Tartaris occupata fuerat, pro *Leaoyang* metropoli, quam illi invaserant, *Ningyuen*, aliam metropolim scilicet, substituit Sinicus Imperator; sed & hæc, & tota fere Sina à Tartaris modo subacta est. Producit regio hæc radicem illam præstantissimam, quam *Ginseng* vocant, castorum, martium, zibellinasque pretiosissimas pelles, quibus gens illa Tartarorum more utitur ad frigus arcendum, ac simul eas reliquæ Sinæ suppeditat. *Rerum in ea copia.* nuces avellanas sylvestres illas minores nusquam alibi vidi in hac extrema Asia copiosiores; pinorum etiam strobilos profert majores ac præstantes. abundat frumento ac mylio; at oryza caret: reliqua porro legumina læta profert, atque olerum genera omnia, maxime brassicarum, quas vix in tota alibi Sina reperias. habet uvas, ficus, poma, pyra, aliosque similes Europæ fructus: unde præclara, ac amœna omnino regio dicenda est, præcipue cum montibus multis in locis careat, marisque vicinia, adeoque & commodis utatur. Quod si pacis artibus gens hæc magis esset addicta, haud dubium, quin regio hæc facile una ex præcipuis totius Sinici Imperii provinciis evadere possit, natura enim fertilissima est, at cultui agrorum assidua pœne obstant bella. *Religio.* religio illis eadem, quæ Sinis: idolorum cultui, doctrinæque quæ animarum transmigrationem admittit, adhærent. illud exoticum, à cæteris diversum prorsus ac singulare, quod *Saltatriculæ.* saltantes habeant sacrificulas, seu fœminas, quales illæ apud Hispanas agyrtæ seu cingaræ sunt, quas Gitanas dicunt, invitatæ enim præstigiatrices illæ vel ad ægritudines è domo pellendas, vel ad avertendam sortem infelicem, aut spectra, si quæ forte domi esse putantur, depellenda, diu noctuque tympana ac pelves pulsantes saltant, tripudiantque absque cessatione. Vidi hoc apud Sinas fieri à gente illa, quæ Tartaris militabat, planeque mirabar, quo pacto homines illi tamdiu saltantes durare possent, & quomodo ægri tantum tripudiantium fragorem, ac strepitum ferre possent.

Montes. *Funghoang* mons ad ortum *Leaoyang*. *Hunglo* mons prope *Chungtun*. *Tatuon* mons circa *Ningyuen*. prope *Quangning* est *Vansung* mons. *Lungxeu* mons prope *Tieling*. *Cu* mons ille est, in quo *Xanghai* munimentum insulam in mari facit. *Lienyun* Insula prope *Cai* civitatem; *Taohoa* Insula in mari ultra *Ningyuen*, à navibus, ob commodam stationem, admodum frequentata. *Changpe* mons ad muri initium in Tartariam usque excurrit, ingens omnino ac altus est: in eo lacus octoginta stadiorum, immensæ profunditatis, ex quo duo magni fluvii ortum ducunt; qui versus austrum fluit dicitur *Yalo*, qui ad Boream, indeque in ortum deflectit, *Quentung*; de quibus in Tartaria *Niuche* egi.

Flumina. *Leao* fluvius, cujus origo in Tartaria extra murum est, ad occasum *Sanuan* munimenti in mare se exonerat, & versus occasum præcipue paludosus est, ac limo profundo admodum ripas habet oppletas; unde scriptum est à Sinis, *Taiçungum Tangæ* familiæ Imperatorem volentem in *Coream* exercitum ducere, pontem, seu potius aggerem struere coactum ducentorum stadiorum. *Yalo*, de quo sæpe locutus sum.

Corea

Corea Peninsula sive CHAOSIEN.

Corea Peninsula. DE *Corea*, insulâne sit, an continens, varia est ac dubia apud Europæos fama; at mihi certum omnino est, peninsulam esse, nec circumnavigari ullo modo posse, quamvis aliqui se eam circumnavigasse dixerint, qui error inde ortus est, quod magnam insulam *Fungma*, ad Australem *Coreæ* partem, *Coream* esse putarint. *Fungma insula.* ego Sinicum secutus auctorem (cui meo quidem judicio major cæteris omnibus habenda fides) continentem cum *Niuche* Tartaria *Coream*, ac peninsulam facio eo omnino modo, quo à Cosmographis Sinicis pingitur, quamvis ipsi non *Coream*, sed *Chaosien* vocent. illud enim à Japonicis ad nos pervenit nomen, quo vulgo eam appellamus. de ea hæc scribunt Sinæ: ad Boream cum *Niuche* contermina est, ad Barrolybicum *Talo* fluvius limitem statuit, reliqua mare ambit. *Termini.* Hæc illa est regio, quam *Uúus* Imperator *Cheuæ* familiæ auctor, *Kicio* ex *Xanga* familia Imperatoris consanguineo, in feudum concessit, circa annum Domini millesimum centesimum vigesimum primum, cum devicta ac extincta fuit *Xanga* familia, demortuo nequissimo illo Imperatore *Kieo*, qui ab *Uúo* superatus, sese cum superbissimo, quod exstruxerat, palatio vivum combussit, digna sua libidine, qua infamis vixerat, morte reperta. sub *Cina* familia etiam *Leâotung* nomen habuit. *Hanæ* familiæ *Hiaouus*, ut iterum feudum admitteret, Regem *Coreæ* coëgit, ac *Chaosien* nomen restituit, circa *Cynæ* familiæ finem, devictus ex ea familia Rex *Coream* ingressus est, & concedente *Coreano* Rege in Australi parte Provinciam *Ciuenlo* inhabitare permissus est; quod in caussa fuit cur *Tangæ* familiæ auctor *Coreano* Regi bellum indixerit, ipsamque etiam regiam *Pingjang* occuparit, debellato *Caolien* rege, cui tamen regnum præscripto feudi obsequio restituit. Cum autem *Taminga* familiæ caput *Hunguus* Tartaros ex Sina felicissime ejecisset, Rex *Coreæ*, qui etiam à Tartaris vexatus oppressusque fuerat, per legatos *Hunguuo* victoriam est gratulatus, atque ultro se tamquam feudatarium subjecit, qua de caussa ab Imperatore aureum accepit sigillum, quod Regibus feudatariis concedere solet Sinicus Imperator. illud autem ea vel maxime de causa præstitit *Coreæ* Rex, quod animadvertisset à vicinis Japonibus sibi bellum imminere, & auxilia à Sinis speraret, quæ etiam sæpe obtinuit. ac demum etiam *Coreæ* Reges Japonibus tributa solvere sunt coacti, hac tamen lege, ut semper Rege defuncto, alter qui eligeretur vel *Pekinum* ipse ad Imperatorem veniret, vel legatos mitteret, qui clientis fiduciarii obsequia præstaret: ac meo quidem tempore, ipsemet Rex ad Imperatorem *Chungchinium* venit, ac *Pekini* magnam cum Patribus nostris contraxit amicitiam; ex qua occasione aliqui Christiana doctrina prius imbuti *Coreani*, salutaribus etiam baptismatis aquis abluti sunt, inter quos summus fuit Regis *Eunuchus*, qui Patres nostros secum in *Coream* deducere, ipso petente Rege, optabat, siquidem personarum ibi penuria tam piis votis obsecundare nos sivisset.

Dicit autem Sinicus auctor, quod primus ille Rex, qui ab *Hunguuo* in clientem fiduciarium admissus est, nequam esset ac perversæ indolis, moribusque minime regiis, at vilissimus ac plane obscurus, ut phrasin Sinicam exprimam; quamobrem à suis subditis per seditionem est interfectus, ac illius loco regnum occupavit quidam è Præfectis, *Ly* nomine, qui cliens quoque fiduciarius effectus est, & regni *Chaosien* Rex constitutus; nec deinceps hoc umquam est omissum, quod verissime ait Sinicus auctor, cum etiamnum Tartaro Imperatori hoc ipsum præstent *Coreani* Reges, quamvis eo anno, quo in Europam veni, hoc est 1651, quod capillos abradere, ac vestibus more Tartarico indui jussi essent, à Tartaris defecerint, bellumque ingens contra *Coreanos* moveri cœptum sit. Tota peninsula *Corea* in octo divisa est Provincias; quæ in earum medio est *Kinki* dicitur, in qua nobilissima ac Regum sedes *Pingjang* urbs est. *Divisio ac nomina.* Orientalis Provincia modo *Kiangyuen* dicitur, olim *Gueipe* dicta est; occidentalis *Hoanchai* nomen habet, quæ olim proprie *Chaosien* vocitabatur; Australis Provincia olim *Pienhan*, nunc *Ciuenlo* est; quæ ad Notapeliotem olim *Xinhan*, modo *Kingxan*; quæ ad Notolybicum olim *Mahan*, modo *Chungcing*; quæ ad Barrapeliotem modo *Hienking*, olim *Caokuli* nomen obtinuit; ea, quæ ad Barrolybicum, *Pingan* est appellata.

Urbium ac civitatum numerum accuratum minime reperio, multæ tamen omnino sunt ac frequentes, nam populi multitudo in ea regione copiosissima est, omnes Sinico *Gentis indoles ac mores.*


IAPONIA
REGNVM.
COREA
PEN
INSVLA.
LEAO-
TVNG.
OCEANVS
CHINENSIS
ESO.
IAPONIA
BONGO
CIKOKO
Straet van Diemen
SEPTENTRIO
MERIDIES
OCCIDENS
ORIENS
Milliaria Iaponica quorum 30 unum gradum conficiunt
Milliaria Germanica quorum 15 uni gradui respondent
Cum privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis
& Ordinum Belgicæ Fœderatæ.

nico modo exſtructæ ac munitæ ſunt, reipublicæ etiam forma, habitus, ac lingua, ſcribendique ratio eadem omnino, quæ apud Sinas: eadem quoque ſacra, ſacrorumque habent doctrinam, eam nimirum, quæ metempſychoſim docet; idem apud eos idolum *Fe* eſt; philoſophiæ dant operam & in ſtudia diligenter incumbunt: defunctos vita non ante tertium à morte annum terræ mandant, ſed veluti Sinæ, pulchre adornatis inſtructiſque ſarcophagis atque arctiſſime clauſis, domi cuſtodiunt, ac quot diebus honorem eis ac reverentiam exhibent, veluti necdum totis jacentibus aut mortuis, in obſervantiæ ac gratitudinis ſignum. Hoc uno fere differunt à Sinis, quod non tanta circumſpectione, neque tam arcte domi fœminæ contineantur, quin ſubinde etiam in virorum conſortio ac cœtibus appareant; qua de cauſa male morati audiunt apud Sinas: quin imo & nuptiarum ac conjugiorum apud eos ratio prorſus à Sinenſi diſcrepat; quiſque, quam vult, eligit in uxorem, ſibique deſpondet mutua propenſione voluntatum accedente, nulla fere habita parentum ratione; quod contra fit apud Sinas, ubi per ſolos parentes contrahuntur ſtabiliunturque matrimonia inſcio filio aut filia, atque illam quiſque cogitur accipere in uxorem quam pater determinarit, cui contrarium tenere aut agere inurbanum ac barbarum vulgo credunt Sinæ: hujus rei rationem dant, adoleſcentulas nimirum adeo modeſtas ac pudicas eſſe debere, ut, ſi forte num nubere velint, interrogentur, ex modeſtia & verecundia dicere teneantur ſe nolle: adeò modeſtiam exteriorem amant Sinæ, licet alioquin ſatis ad omnem impudicitiam proni ſint ac liberi, modo clam fiat.

Nuptiarum ac conjugiorum ratio.

Eſt regio *Coreæ* rerum omnium ferax. Tritico abundat maxime & oryza, & quidem duplici, uti Japonia: illa nimirum, quæ in aquis ſeritur ac creſcit; & illa quæ in campis ſiccis, ut triticum ſolet; quæ quidem huic regno ac Japoniæ propria eſt ac ſingularis, eſtque reliqua præſtantior: fruges ac legumina reliqua læta profert, fructuſque Europæos varios, pyra nominatim, eximii ſaporis. *Papyri*, uti & Japonia, varia conficit genera, optimoſque ex luporum pilis penicillos, quibus ad ſcribendum utuntur *Coreani* ac Sinæ. *Sandaracha*, ſive *Gummi* illud *Cie*, aurei coloris, nullibi melius eſt, quo, veluti apud Japones quoque, omnis generis ſupellectilem atque utenſilia plurima illinire atque adornare ſolent. *Ginſeng* radix hic quoque copioſa eſt: montes habet non paucos auro, argentoque gravidos; nullum tamen hæc gens cum exteris habet commercium, ſi Japones Sinaſque excipias: uniones ex mari *Eöo* haurit.

Rerum copia.

Montes nonnullos in *Corea* notant Sinæ, primus eſt *Peyo*, quem ad Borealem provinciæ *Kingki* partem ſitum, longiſſimum atque altiſſimum eſſe volunt.

Montes.

Vatu mons ad regiæ *Pingyang* urbis Barrapeliotem, in quo *Hanæ* familiæ temporibus *Ing* Rex regiam habuit.

Xincao mons: *Luyang* mons circa *Pingjang*, etiam Barrapeliotem verſus.


Hoang mons in provincia *Chungcing*.

Ly fluvius in *Kingki* provincia regiam alluit, ad occaſum in mare prorumpit.

Flumina.

Tatung fluvius in *Pingan* provincia.

APPENDIX
DE REGNO JAPONIÆ.



Romiſeram quidem aliquid etiam de Japonia addere; ſed quia alii ante me, ac potiſſimum Patres Societatis noſtræ, accurate ſatis deſcripſere omnia, inter quos Maffæus noſter ac Turſellinus eminent, adjiciam hic tantum quædam, tamquam appendicis loco, quæ vel ignorata ab aliis, vel incuria aut oblivione ſunt prætermiſſa, quod in toto hoc meo opere maximopere obſervare ſum conatus: neque enim in eo multa ab aliis ſcripta iterum proponere volui, ut mutato nonnihil ordine ac ſtylo commentariolum meum augerem, quod à plurimis nunc factitari videmus, qui quidem meo judicio actum agunt, demonſtrantque nihil à ſe ſcriptum aut dictum, quod non ſcriptum ſit prius.

Mappam imprimis de Japonia appoſui ſatis accuratam, eam enim à probatis accepi auctoribus, cum Japoniam ipſe numquam adierim, nec à Sinis eam deſcriptam

repererim, licet in mappis Sinicis sit expressa, itaque hic alteri credere necessum habui.

Origo Iaponum. De Japonia autem, primum fere quod occurrit, gentis origo est: quam plerique à Sinis deductam volunt, quibus & ego subscribo; non ita tamen ut credam à solis Sinis ortos Japones, quin & Tartari in partem veniant, orientales præsertim, quos Japoniam inhabitasse nullus dubito, & quidem per vicinas *Yedo* terras ingressos, exiguo, quod interjacet, superato freto naviculis, aut forte etiam aquis frigore concretis: constat enim, hîc ingentia sæpe frigora, acerrimasque esse hyemes. Suadent hoc mihi tria: Primum, quod Japones capillitium Tartarico fere more tondeant, paucosque crines relinquant, reliquo capite raso ad glabritiem, mentoque volsella depilato, quæ duo apud Sinas numquam fuêre in usu; Secundum, quod inter loquendum Japones subinde D & R litteras adhibeant, quod inusitatum apud Sinas, cum utraque littera careant, R vero vix ac ne vix quidem, magno etiam adhibito studio ac diligentia, exprimere possint; Tertium, quod multum Sinicæ linguæ dissimilis sit Japonica, vixque ulla affinitate cum ea conjuncta.

Error de ortu Iaponum. Hallucinantur autem, quicumque scribunt, magnates ac rebelles Sinas in Japoniam reliquasque insulas emissos, eosque, ut originem, quam à Sinensibus ducebant, occultarent, mutationem fere omnium morum, rituumque assumpsisse; cum Japones & religionem à Sinis, & litteras acceperint, sexcentis circiter post Deum natum annis, ut aperte convinco in mea Sinensium historiarum ab ortu illorum ad hæc nostra usque tempora epitome; tametsi Japones aliquàm multos mutarint characteres aliosque addiderint ad commodiorem usum, faciliorem que linguæ suæ explicationem. Nulla enim exilii hujus, aut expulsionis in historia Sinica, quæ tamen minutissima quæque notat, habetur mentio. adde habitum, quo modo utuntur Japones, prorsus eundem illum esse, quo Sinæ usi sunt ad Hanam usque familiam; sub qua reticulum pro colligendis colligandisque capillis adinventum, tunicæque talares, oblongis latisque constantes manicis ad instar superpelliciorum, reliquaque, quæ apud Sinas etiamnum in usu sunt, adhiberi cœpta: ex quibus facile demonstratur, tantum abesse ut antiquum Sinarum habitum mutarint Japones, ut in hodiernum usque diem servarint, ac tenuerint.

Verior opinio. Cæterum in Historiis Sinicis, quarum Tomos præcipuos omnes, uti & Geographicos ab ipsis Sinis mecum sartos adhuc tectosque detuli, animadverti, Sinas quam plurimos sub *Xio* Imperatore Japoniam petivisse, ibidemque mansisse, quod hac accidit ratione: erat *Xius*, si quis alius Sinensium Imperatorum, rerum gestarum gloria eximius; hic tota subacta Sina minime contentus, Tartaros præcipue, vicinasque alias nationes exteras aggressus est, classibusque immissis in vicinas insulas atque in ipsam Indiam, per præfectos victricia fere ubique arma circumtulit; tot inter prosperos successus magnasque dotes, in eo desipuit, (quod magnatibus Sinis vitæ melioris ignaris perfamiliare est) quod crederet medicamentum aliquod inveniri, aut excogitari posse, quo vitam fragilem atque caducam perpetuam redderet, omnisque mortalitatis expertem; multa diuque pro hac re egit, tentavit, expendit, ut alibi narro opportunius. Porro horum præliorum victoriarumque atque excursionum occasione, quidam ex Archithalassis, qui in Japoniam pervenerat, videratque à paucis iisque rudibus atque agrestibus hominibus amplissimam hanc alioquin, atque optimam regionem habitatem, ut sibi in ea regnum pararet, Imperatoram dolo circumvenit: primum admonuit de nova terra adinventa, in ea dicebat constantem esse famam, reperiri medicamentum illud, quod homines immortales redderet, verùm ad deprehendendum trecentos sibi juvenes totidemque puellas nubiles esse necessarios, qui ad id reperiendum divinitus essent destinati. *Xius* nugis istis faciles præbet aures, omniaque sibi persuaderi sinit spe mortis declinandæ, quam ut summum malum metuebat; classem ergo, quæque optabat alter, omnia concedit: quare Archithalassus deductis illis secum sexcentis Japoniam repetiit, multis, quibus ducem se obtulerat, comitantibus; ibi fertiles illos agros, fundosque colere, gentemque ad omnem humanitatem informare cœpit, atque ita Japonia regnum evasit: cui rei quantum fidei tribuendum sit, facile omnes norunt, quotquot authoritatem & accurationem historiæ Sinicæ norunt, quam alibi enarro. Sinæ quoque scribunt, Japonem regem Sinico Imperatori legatos, ac munera mittere solitum; verum ex quo *Juenæ* familiæ auctor Tartarus Imperator, tota subacta Sina, ex eadem missis classibus Japoniam invadere cœpit, hisce legationibus finis

Nomen Iaponiæ.

finis est impositus: non tantum enim egregie restiterunt Japones, sed & Tartaros è tota illa regione, quotquot deprehensi sunt, expulerunt, adeo ut nunquam eam amplius postmodum tentare sint ausi; ipsisque Sinis tamquam imbellibus, quod se Tartaris subdidissent, objecerint suam inertiam, ac summopere fuerint indignati; unde postmodum simultates atque inimicitiæ ortæ sunt, bellaque sæpius Japones inter ac Sinas infestis utrimque animis atque armis gesta sunt, qui maritima præcipua loca longe lateque sunt deprædati, & maxime *Coream* igne ferroque vastarunt: de hoc bello à Tartaris *Juenæ* familiæ cum Japonibus gesto, agit *Marcus Paulus Venetus*, qui hujus quoque belli exitum leviter perstringit.

Nomen Japoniæ. De nomine Japoniæ hoc unum habeo quod addam. Sinæ Japoniam *Gueique*, *Voçu*, & *Gepuen* dicunt: primum nomen inde ortum, quod Archithalassus ille, qui à *Xio* in Japoniam fraudulenter missus est, ex *Guei* Sinica fuerit familia. *Voçu* autem, non regionis sed gentis nomen est, quo tamquam barbaræ linguæ homines Japones afficiunt, notantque quasi per ludibrium, aut ut minimum, contemptum. Cæterum proprium nomen *Gepuen* est, quod Solis originem sive primum Solis locum significat; adeoque ita Japonia haud immerito à Sinis dicta videtur, quia ultima est regionum cognitarum versus ortum, primaque terrarum Solem videtur Sinis excipere, inde enim eum exsurgere vident: neque enim orbem esse putabant reliquum, imo nec Solem circuire, unde eodem modo occasum Sinæ vicinum, seu partes quæ ibi ad occidentem vergunt, *Jeuco* vocant, hoc est obscuram vallem, in qua Solem noctu credunt delitescere. Nec ab hoc nomine differt, quo sese appellant ipsi Japones, nisi penes dialectum, cum *Gipuen* pronuntiant; M. *Paulus Zipangri* dixit, more Tartarico littera R intermixta, quod idem, ac si diceret *Gepuiengin*: *Ge* Solem, *Puen* originem, *Gin* hominem significat. Vnde autem Japonia etiam *Chryse* dicta sit, facile assequi nequeo: forte illud Tartaricum nomen est: quo Japoniam vocant, uti Sinam *Catayum*. De quo cum mihi quid certius ab ipsis Tartaris, quos adire animus est, constiterit, faciam ut ne diu etiam in hoc volumine desideretur. Tu, amice Lector, conatibus nostris fave, & longum vale.

Omnia ad majorem DEI *gloriam*.

FINIS.



CATALOGVS

LONGITVDINVM AC LATITVDINVM

Omnium locorum imperii Sinici, quorum fit in noſtris mappis mentio, continetque ſolùm loca foſſis ac mœnibus cincta. Primum meridianum per regiam *Peking* ductum ſtatuo, reliqui ad hunc inclinantur;

Loca orientaliora o, *occidentaliora* p *oſtendet.*

PRIMA PROVINCIA PEKING.

Nomina.	*Longit.* *gr.*	*min.*	*Latit.* *gr.*	*min.*	*Pars.*
Urbs I. *& regia.*					
XUntien	0	0	40	0	--
Xuny	0	9	40	12	o
Changping	0	9	40	10	p
Leanghiang	0	19	39	40	p
Mieyun	0	28	40	5	o
Hoaijo	0	5	40	15	p
Kugan	0	15	39	30	o
Jungcing	0	9	39	22	o
Tunggan	0	4	39	33	o
Hiangho	0	22	39	35	o
Tung ⊙	0	8	39	54	o
Sanho	0	19	39	45	o
Vucing	0	25	39	25	o
Paoti	0	36	39	27	p
Cho ⊙	0	38	39	30	p
Fangxan	0	33	39	46	p
Pa ⊙	0	14	39	20	o
Vengan	0	6	39	5	o
Taching	0	6	39	0	p
Paoting	0	0	39	20	--
Ki ⊙	0	36	40	3	o
Iotien	0	43	39	47	o
Fungjung	0	57	39	32	o
Cunhoa	0	52	39	56	o
Pingko	0	26	39	55	o
Que	0	15	39	40	o
Urbs II.					
PAoting	1	46	39	20	p
Muonching	1	51	39	28	p
Ganſo	1	26	39	20	p
Tinghing	1	52	39	42	p
Sinching	0	46	39	20	p
T'ang	2	25	39	10	p
Poye	1	42	39	0	p
Kingtu	2	7	39	10	p
Iungching	0	58	39	36	p
Huon	2	10	39	35	p
Ly	1	26	39	5	p
Hiung	0	56	39	10	p
Khi ⊙	2	0	38	57	p
Xinçe	1	54	38	44	p
Tunglo	2	10	38	50	p
Gan ⊙	1	10	39	12	p
Caoyang	1	15	39	3	p
Singan	1	8	39	25	p
Pe ⊙	1	30	39	36	p
Laixui	1	16	39	40	p
Urbs III.					
HOkien	0	30	38	50	p
Hien	0	44	38	46	p
Heuching	0	49	38	24	p
Soning	0	52	39	0	p
Ginkieu	0	32	39	6	p
Kiaoho	0	0	38	20	--
Cing	0	0	38	42	--
Hingci	0	5	38	32	o
Cinghai	0	12	38	55	o
Ningcin	0	3	38	0	o
King ⊙	0	25	38	20	p
Ukiao	0	18	38	0	p
Tungquang	0	0	38	10	--
Kuching	0	51	37	56	p
Çang ⊙	0	16	38	0	o
Nanpi	0	20	38	20	o
Ienxan	0	40	38	25	o
Kingyun	0	15	38	8	o
Urbs IV.					
CHinting	2	36	38	40	p
Cingking	3	10	38	28	p
Hoëlo	3	0	38	42	p
Lingxeu	3	6	38	50	p
Khoching	2	48	38	15	p
Loching	2	16	38	36	p
Vukie	2	13	38	45	p
Pingxan	3	24	38	33	p
Heuping	3	40	39	6	p
Ting ⊙	2	26	39	0	p
Sinlo	2	23	38	50	p
Ki ⊙	1	26	38	5	p
Nancung	1	39	37	56	p
Sinho	1	56	38	6	p
Çaokiang	1	15	38	0	p
Vuye	1	18	38	20	p
Cyn ⊙	2	0	38	30	p
Ganp'ing	1	32	38	43	p

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Iaoyang	1	13	38	45	p
Vukiang	1	6	38	36	p
Chao ⊙	2	30	38	20	p
Pehiang	2	20	38	5	p
Lungping	2	6	38	15	p
Caoye	2	33	38	11	p
Linching	2	28	38	28	p
Çan Hoang	3	0	38	20	p
Ningçin	2	14	38	23	p
Xin ⊙	1	28	38	30	p
Hengxui	1	38	38	14	p
Yuenxi	2	40	38	26	p
Urbs V.					
XVnte	3	7	37	50	p
Xaho	3	10	37	35	p
Nanho	2	53	37	48	p
P'inghiang	2	44	37	37	p
Quangçung	2	30	37	50	p
Kiulo	2	11	37	45	p
Thanxan	2	54	38	5	p
Nuikieu	3	10	38	0	p
Gin	2	42	37	56	p
Urbs VI.					
QVangping	2	34	37	25	p
Kio Cheu	1	56	37	24	p
Fihiang	2	20	37	15	p
Kiçe	2	20	37	33	p
Hantan	3	10	37	23	p
Quangp'ing	2	30	37	0	p
Chinggan	3	0	37	8	p
Guei	1	42	37	40	p
Cingho	1	20	37	36	p
Urbs VII.					
TAming	1	56	36	56	p
Taming	1	56	36	44	p
Nanlo	2	0	36	31	p
Guei	2	18	36	46	p
Cingfung	2	15	36	26	p
Nuihoang	2	36	36	40	p
Siún	3	0	36	30	p
Hoa	2	43	36	20	p
Ka'i ⊙	1	56	36	20	p
Changyuen	2	26	36	6	p
Tungming	2	2	36	7	p
Urbs VIII.					
IVngping	1	34	40	00	o
Ciengan	1	20	40	30	o
Vúning	1	50	39	57	o
Changly	1	47	39	38	o
Lo ⊙	1	18	39	40	o
Loting	1	30	39	35	o
Urbs militaris.					
Siven	1	30	40	30	p

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Civitates militares.					
YEnking	0	23	40	20	p
Iungning	0	6	40	24	p
Paogan	1	0	40	10	p
Fortalitia majora.					
XAnghai	2	18	39	30	o
Tiencin	0	50	38	52	o
Minora.					
VUning	3	6	40	50	p
Iuncheu	0	26	40	56	p
Chechi'ng	1	13	41	0	p
Changgan	1	0	40	26	p
Lungmuen	1	29	40	50	p
Ca'iping	0	47	41	5	p
Vanciven Dexterum	2	36	40	25	p
Vanciven Siniſtrum	1	56	40	29	p
Yu	2	0	39	33	o
Iungping	1	35	39	48	o

XANSI II. PROVINCIA.

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Urbs Metropolit.					
TAiyven	4	35	38	33	p
Taiyven	5	0	38	28	p
Iuçu	4	20	38	25	p
Taco	4	40	38	9	p
K'i	4	39	38	23	p
Siukeu	5	0	38	17	p
Cingyuen	4	56	38	6	p
Kiaoching	5	30	38	27	p
Venxui	5	47	38	25	p
Xeuyang	4	20	38	39	p
Yu	3	50	38	45	p
Cinglo	5	45	39	0	p
Hokio	6	10	39	26	p
Pingting ⊙	3	55	38	15	p
Loping	3	40	38	34	p
Che ⊙	4	55	38	57	p
Tingſang	4	36	39	0	p
Tai ⊙	4	45	39	22	p
Vtai	4	20	39	9	p
Kiechi	4	20	39	30	p
Cofan ⊙	6	20	39	15	p
Fan	6	5	39	6	p
Hing	6	30	38	55	p
Paote ⊙	6	36	39	32	p
Hiang	4	11	38	52	p
Urbs II.					
PIngyang	5	58	37	19	p
Siangling	6	7	37	12	p
Hungtun	5	52	37	27	p
Feuxan	5	35	37	44	p
Chaoching	5	45	37	27	p
T'aiping	6	4	36	55	p
Yoiang	5	30	37	35	p

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Ieching	5	40	36	33	p
Kiöyao	5	45	36	53	p
Fuensi	6	12	37	42	p
P'u	6	40	37	25	p
P'u ⊙	7	28	36	27	p
Lincin	7	11	36	28	p
Yungho	7	12	36	47	p
Yxi	6	49	36	38	p
Van Civen	7	0	36	28	p
Hocin	7	25	36	50	p
Kiai ⊙	7	5	36	20	p
Ganye	6	40	36	22	p
Hia	6	27	36	27	p
Venhi	6	16	36	30	p
Pinglo	6	31	36	10	p
Iuiching	7	11	36	4	p
Kiang ⊙	6	18	36	50	p
Ciexan	6	29	36	49	p
Kiang	6	10	36	35	p
Yuenkio	5	32	36	9	p
Ho ⊙	5	50	37	40	p
Kie ⊙	7	13	37	11	p
Hiangning	6	56	37	8	p
Cie ⊙	6	44	37	45	p
Taning	7	22	37	25	p
Xeleu	7	20	38	3	p
Yungho	7	20	37	44	p
Urbs III.					
TAitung	4	10	40	20	p
Hoaigin	4	15	40	11	p
Hoenyuen	3	50	40	0	p
Ing ⊙	4	7	40	0	p
Xanin	4	20	39	52	p
So ⊙	5	14	39	43	p
Maye	5	0	39	50	p
Guei ⊙	3	0	40	0	p
Quangling	3	6	39	50	p
Quangchang	3	30	39	57	p
Lingkieu	3	28	39	44	p
Urbs IV.					
LVgan	4	20	37	13	p
Changçe	4	38	37	8	p
Tunlieú	4	16	37	28	p
Siangheng	4	29	37	20	p
Luching	4	10	37	13	p
Huquan	3	59	37	8	p
Liching	3	50	37	20	p
P'ingxun	3	55	36	56	p
Urbs V.					
FVencheu	6	0	38	10	p
Hiäoy	6	11	38	6	p
Pingjäo	5	36	38	10	p
Kiaihieu	5	45	38	0	p
Ninghiang	6	45	38	10	p
Lingxe	6	30	38	20	p
Iungning ⊙	6	30	38	30	p
Lin	6	40	38	35	p

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
I. *Civitas major.*					
SIn ⊙	4	50	37	40	p
Siniven	5	10	37	30	p
Vuhiang	4	46	37	52	p
II. *Civitas major.*					
LEäo	4	0	37	56	p
Iuxe	4	22	37	54	p
Hoxun	3	30	38	10	p
III. *Civitas major.*					
ÇE	4	18	36	33	p
Caoping	4	17	36	48	p
Iangching	4	48	36	36	p
Linchuen	4	8	36	54	p
Sinxui	5	14	36	56	p
Fortalitia.					
GUeiyven	5	0	40	10	p
Ieuguei	4	53	40	25	p
Çoguei	4	35	40	22	p
Maye	5	10	40	0	p
Vanglin	5	25	40	28	p
Iangho	3	52	40	33	p
Caoxan	4	0	40	10	p
Tienching	3	32	40	28	p
Chinlu	3	40	40	10	p
Cingyven	5	38	40	16	p
P'inglu	5	50	40	15	p
Chungtun	6	9	40	8	p
Gentung	6	16	40	0	p
Tungxing	6	0	39	56	p

XENSI III. PROVINCIA.

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Urbs Metropolitana.					
SIgan	8	18	35	50	p
Hienyang	8	26	36	0	p
Hingping	8	39	36	11	p
Linchang	8	5	35	40	p
Kingyang	8	13	35	57	p
Caoling	8	4	36	6	p
Hu	8	25	35	44	p
Lant'ien	7	53	35	31	p
Livo	8	40	35	28	p
Xang ⊙	7	34	35	10	p
Chingan	8	16	35	8	p
Tung ⊙	7	40	36	14	p
Chaoye	7	34	36	14	p
Hoyang	7	34	36	28	p
Ching Ching	7	43	36	30	p
Pexui	7	56	36	36	p
Hanching	7	36	36	41	p
Hoa ⊙	7	46	35	49	p
Hoayn	7	34	35	52	p
Gueinan	7	49	35	41	p
P'uching	7	46	36	0	p
Conan	7	29	35	29	p
Xanyang	7	30	35	1	p
Xangnan	7	45	35	0	p
Yao ⊙	8	5	36	21	p

CATALOGVS.

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars
Sanyven	7	58	36	15	p
T'ungquon	7	59	36	39	p
FuP'ing	7	48	36	10	p
Kien ⊙	8	38	36	27	
Fungciuen	8	29	36	24	p
Vucung	8	51	36	9	p
Iungxeu	8	34	36	36	p
Fuen ⊙	8	34	36	47	p
Xunhoa	8	10	36	45	p
Xanxui	8	24	36	42	p
Changuu	8	23	36	54	p
Urbs II.					
Fungciang	9	15	36	20	p
Kixan	9	3	36	28	p
Paoki	9	28	36	9	p
Fufung	8	52	36	26	p
Mui	9	9	35	59	p
Linyeu	9	10	36	40	p
Lung ⊙	9	45	36	25	p
Pingyang	9	29	36	25	p
Urbs III.					
Hanchung	9	52	34	20	p
Paoching	10	0	34	30	p
Ch'ingcu	9	39	34	25	p
Yang	9	29	34	14	p
Sihiang	9	12	34	0	p
Fung	9	43	35	23	p
Mien	10	6	34	45	p
Ningkiang ⊙	10	3	35	13	p
Lioyang	10	6	34	54	p
Hinggan ⊙	8	16	34	26	p
Pingli	7	58	33	57	p
Xeciven	8	21	34	0	p
Sinyang	7	54	34	5	p
Hanyn	8	41	34	3	p
Peho	7	44	33	50	p
Çuyang	8	0	34	24	p
Urbs IV.					
Pingleang	9	41	37	12	p
Çungsin	9	31	37	2	p
Hoating	9	56	37	4	p
Chinyven	10	5	37	37	p
Kuyven ⊙	10	7	37	18	p
King ⊙	9	10	37	6	p
Lingt'ai	9	3	36	56	p
Choangleang	10	15	37	0	p
Lungte	10	13	37	10	p
Cingning ⊙	10	30	37	11	p
Urbs V.					
Cungch'ang	11	34	36	51	p
Ganting	11	21	37	9	p
Hoeining	11	20	37	25	p
T'ungguei	11	20	36	52	p
Chang	11	36	36	52	p
Ningyven	10	58	36	38	p

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars
Fokiang	11	0	37	0	p
Siho	10	30	36	2	p
Ching	10	30	35	28	p
C'in ⊙	10	44	36	20	p
C'ingan	10	46	36	32	p
C'ingxui	10	11	36	20	p
Li	10	12	35	47	p
Kiai ⊙	12	16	34	55	p
Ven	12	14	34	40	p
Hoei ⊙	10	9	35	34	p
Leangtang	9	51	35	40	p
Urbs VI.					
Linyao	12	6	36	47	p
Gueiyven	11	52	36	44	p
Lan ⊙	12	20	37	4	p
Kin	11	57	37	24	p
Ho ⊙	13	4	36	50	p
Urbs VII.					
Kingyang	9	6	37	27	p
Hoxi	8	53	37	20	p
Hoan	9	15	37	40	p
Ning ⊙	8	54	37	5	p
Chinning	8	43	37	15	p
Urbs VIII.					
Iengan	8	20	37	37	p
Gansai	8	10	37	32	p
Canciven	8	16	37	20	p
Ganting	8	16	38	8	p
Paogan	8	29	38	2	p
Ychuen	7	56	37	2	p
Ienchuen	8	2	37	57	p
Ienchang	7	42	37	37	p
C'ingkien	7	52	37	52	p
Feu ⊙	8	15	37	9	p
Cochuen	8	0	37	13	p
Chungpu	8	5	36	56	p
Ykiun	8	0	36	50	p
Suite ⊙	7	50	38	14	p
Miche	7	41	38	40	p
Kia ⊙	7	25	39	0	p
Upao	7	26	38	38	
Xinmo	6	50	39	20	
Fuco	6	35	39	17	
Civitates militares.					
Socheu ⊙	16	55	38	48	p
Xacheu ⊙	15	24	38	40	p
Xancheu ⊙	15	4	38	28	p
Yaocheu ⊙	12	50	35	48	p
Mincheu ⊙	12	6	36	0	p
Leangcheu ⊙	13	30	38	5	
Fortalitia.					
Iungchang ⊙	13	56	38	5	p
Choanglang	13	0	38	4	p
Sining	14	6	37	20	p

Chiny

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Chiny ⊙	16	7	39	4	p
Culang ⊙	13	0	37	40	p
Ninghia	10	20	38	50	p
Ninghiachung	11	10	38	40	p
Cinglu	11	3	38	8	p
Yulin	7	30	39	20	p
Chinfan	13	24	38	50	p
Xetu	12	57	37	55	p
Hantung	15	50	38	30	p
Pinglu	10	10	39	0	p
Mingxa	11	0	38	33	p
Guei	10	50	38	36	p
Sengguei	10	0	38	56	p
Semuen	6	36	40	0	p
Kint'ang	8	6	38	50	p
Hoama	9	3	38	20	p
Pecho	9	28	38	16	p
Taxun	9	48	38	16	p
Pukive	10	10	38	15	p
Miço	7	6	39	40	p
Minora castra.					
CHangyu	10	47	33	44	p
Yuchin	10	49	34	10	p
Chintao	11	12	35	0	p
Pinglo	11	40	35	12	p

XANTVNG IV. PROVINCIA.

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Urbs Metropolitana.					
CInan	0	30	37	0	o
Chankieu	0	45	37	10	o
Ceup'ing	0	54	36	50	o
Changxan	1	4	37	8	o
Sinching	1	16	37	10	o
Ciho	0	30	37	20	o
Citung	0	58	37	15	o
Ciyang	0	45	37	20	o
Chichuen	1	0	37	0	o
Iuching	0	10	37	19	o
Linye	0	36	37	35	o
Changcing	0	13	36	56	o
Fiching	0	12	36	46	o
Cingching	1	12	37	30	o
Ling	0	26	37	46	p
T'aigan ⊙	0	43	36	36	o
Sintai	1	15	36	19	o
Laiúú	1	2	36	35	o
Te ⊙	0	34	37	42	p
Tep'ing	0	20	37	50	o
Pingyven	0	0	37	28	
Vuting ⊙	1	0	37	44	o
Yangſin	1	12	37	50	o
Haifung	1	7	37	57	o
Loling	0	46	37	50	o
Xangho	0	53	37	33	o
Pin ⊙	1	22	37	40	o
Licin	1	30	37	45	o
Chenhoa	1	23	37	51	o
P'uta'i	1	30	37	32	o
Urbs II.					
YEncheu	0	15	36	18	o
Kioheu	0	14	36	8	o
Ningyang	0	16	36	30	o
Ceu	0	13	36	0	o
T'eng	0	36	35	46	o
Ye	1	2	35	33	o
Kinhiang	0	18	35	58	p
Yut'ai	0	0	35	50	-
Tan	0	45	35	38	p
Chinguu	0	55	35	56	p
Çao ⊙	1	34	36	2	p
Çao	1	32	35	40	p
Tingt'ao	1	20	35	50	p
Cining ⊙	0	0	36	5	-
Kiaciang	0	40	36	14	p
Kiuye	0	26	36	5	p
Kiunching	0	59	36	24	p
Tungp'ing ⊙	0	5	36	34	p
Venxang	0	10	36	20	p
Tungo	0	12	36	45	p
P'ingyn	0	25	36	25	o
Iangco	0	46	36	40	p
Xeuchang	0	34	36	40	p
Y ⊙	1	22	35	28	o
T'anching	1	35	35	14	o
Fi	1	0	35	48	o
Suxui	0	40	36	0	o
Urbs III.					
TUngchang	0	52	37	3	p
Tangye	1	8	37	6	p
Pop'ing	0	16	37	5	p
Choangping	0	18	36	56	p
Kieu	1	16	37	18	p
Sin	1	6	36	44	p
C'ingp'ing	0	40	37	10	p
Keu	1	34	36	54	p
Lincing ⊙	0	52	37	26	p
Quont'ao	1	33	37	10	p
Caot'ang ⊙	0	0	37	13	-
Gen	0	33	37	28	p
Hiacin	0	22	37	14	
Vuching	0	41	37	36	p
Po ⊙	1	24	36	28	p
Fan	1	8	36	26	p
Quonching	1	37	36	34	p
Chaoching	1	26	36	44	p
Urbs IV.					
CIncheu	1	30	36	36	o
Linchi	1	20	36	56	o
Pohing	1	32	37	10	o
Caoyven	1	30	37	22	o
Logan	1	43	37	14	o

Xeuquang

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Xeuquang	2	0	37	4	o
Changlo	1	44	37	3	o
Linkiu	1	43	36	47	o
Gankieu	1	48	36	23	o
Chuching	1	59	36	3	o
Mungyn	1	27	36	3	o
Kiu ⊙	1	39	35	54	o
Yxui	1	40	36	14	o
Gechao	2	4	35	45	o
Urbs V.					
TEngcheu	3	26	37	20	o
Hoang	4	0	37	3	o
Foxan	4	12	36	56	o
Leuhia	4	7	36	40	o
Chaoyuen	3	32	36	6	o
Laiyang	3	40	36	50	o
Ninghai ⊙	4	40	37	4	o
Venteng	4	51	36	57	o
Urbs VI.					
LAicheu	3	9	36	57	o
Pingtu ⊙	2	58	36	26	o
Vi	2	6	36	50	o
Changye	2	30	36	56	o
Kiao ⊙	3	2	35	46	o
Caomie	2	23	36	27	o
Cieme	3	13	36	21	o
Fortalitia.					
NIngc'ing	4	55	36	18	o
C'inghai	5	10	36	20	o
Chingxan	5	21	36	55	o
Gueihai	5	0	37	11	o
Sanxan	3	25	36	6	o
Kixan	4	27	37	13	o
Divenxan	3	8	35	54	o
Mauan	3	14	36	2	o
Syaoye	5	20	37	7	o
Haiçang	2	57	36	57	o
Punglai	3	50	37	10	o
Chin	4	4	37	25	o
Xechin	3	45	37	24	o
Haiuon	1	56	37	50	o
Siaoching	1	54	37	35	o

HONAN V. PROVINCIA.

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Urbs Metropolitana.					
CAifung	2	54	35	50	p
Chinlieu	2	40	35	47	p
Ki	2	33	35	36	p
Tunghiu	2	50	35	34	p
Taikang	2	22	35	13	p
Gueixi	3	3	35	36	p
Gueichuen	3	12	35	14	p
Ienling	2	52	35	13	p
Fukeu	3	4	35	6	p
Chungmeu	3	16	35	42	p
Iangúú	3	16	36	6	p
Iuenúú	3	30	35	58	p
Fungkieu	2	52	36	6	p
Iencin	3	30	36	9	p
Laniang	2	32	35	57	p
Chin ⊙	2	21	34	48	p
Xangxui	2	39	34	41	p
Sihoa	2	50	34	51	p
Hiangching	2	8	34	30	p
Xinkieu	2	0	34	16	p
Hiu ⊙	3	36	35	6	p
Linyú	3	30	34	52	p
Siangching	3	47	34	53	p
Ienching	3	17	34	46	p
Changco	3	29	35	19	p
Iu ⊙	3	55	35	24	p
Sinching	3	40	35	26	p
Ching ⊙	3	35	35	46	p
Mie	4	4	35	26	p
Iungyang	3	43	35	52	p
Iungçe	3	54	36	0	p
Hoin	4	14	35	50	p
Súxúi	4	8	35	34	p
Ifung	2	21	35	56	p
Urbs II.					
QVeite	1	32	35	10	p
Ningling	1	46	35	11	p
Loye	1	44	34	45	p
Hiaye	0	55	35	17	p
Iungching	0	46	35	12	p
Iuching	1	20	35	20	p
Ciu ⊙	2	7	35	34	p
Hiaoching	2	4	35	51	p
Xeching	2	4	35	12	p
Urbs III.					
CHangte	3	26	37	0	p
Tanging	3	20	36	52	p
Linchang	3	22	37	18	p
Lin	3	40	37	7	p
Çu ⊙	3	25	37	18	p
Vugan	3	42	37	32	p
Xe	4	0	37	40	p
Urbs IV.					
GVeihoei	3	20	36	30	p
Çoching	3	26	36	21	p
Sinhiang	3	39	36	26	p
Hoekia	3	56	36	27	p
Ki	3	17	36	38	p
Hoei	3	38	36	36	p
Urbs V.					
HOaiking	4	35	36	10	p
Ciyúen	5	8	36	10	p
Sieúúú	4	6	36	16	p
Vuche	4	12	36	8	p
Meng	4	50	36	4	p
Ven	23	23	36	7	p

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Urbs IV.					
HOnan	5	5	35	38	p
Ienſu	4	42	35	40	p
Cung	4	30	35	50	p
Mengcin	4	50	35	50	p
Yyang	5	30	35	2	p
Tengfung	4	34	35	20	p
Iungning	6	0	35	17	p
Singan	5	24	35	52	p
Mienchi	5	50	35	48	p
Cao	4	46	35	26	p
Xen ⊙	6	30	35	53	p
Lingpao	6	50	35	53	p
Xeuhiang	7	20	35	56	p
Luxi	6	28	35	4	p
Urbs VII.					
NAnyang	5	15	33	53	p
Chinp'ing	5	25	33	50	p
T'ang	4	37	33	50	p
Pieyang	4	15	33	57	p
T'ungpe	3	55	33	44	p
Nanchao	5	35	34	0	p
Teng ⊙	5	42	33	40	p
Nuihiang	6	27	34	2	p
Sinye	5	25	33	55	p
Chechuen	5	54	33	35	p
Yu ⊙	4	34	34	20	p
Vuyang	3	35	34	23	p
Ye	4	12	34	41	p
Urbs VIII.					
IUning	2	56	33	53	p
Xangçai	2	59	34	13	p
Sip'ing	3	29	34	13	p
Sinçai	2	29	33	41	p
Suiping	3	16	34	3	p
Chinyang	2	59	33	33	p
Sinyang ⊙	3	22	33	20	p
Loxan	3	0	33	21	p
Kioxan	3	17	33	40	p
Quang ⊙	1	50	33	20	p
Quangxan	2	2	33	13	p
Cuxi	1	20	33	24	p
Sie	2	15	33	30	p
Xangching	2	0	33	46	p
Civitas major.					
IU ⊙	4	57	35	5	p
Lnxan	5	35	34	45	p
Kia	4	25	34	50	p
Paofung	4	46	34	36	p
Yyang	5	6	35	13	p

SVCHVEN VI. PROVINCIA.

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Urbs Metropolitana.					
CHingtu	12	38	30	47	p
Xoanglieu	13	7	30	34	p
Venkiang	12	55	30	45	p
Sinfan	13	13	30	56	p
Sintu	13	2	30	55	p
Kint'ang	12	30	30	56	p
Ginxeu	12	26	30	40	p
Cingping	12	20	31	0	p
Pi	13	15	30	46	p
Ç'u	12	5	30	22	p
Nuikiang	11	58	30	6	p
Quon	13	34	30	55	p
P'eng	12	49	31	45	p
Çungning	13	23	31	41	p
Gan	13	8	31	16	p
Kien ⊙	12	23	30	26	p
Çuyang	12	24	30	16	p
Çungking	12	58	30	27	p
Sincin	12	35	30	24	p
Han ⊙	12	32	31	22	p
Xefang	12	48	31	0	p
Miencho	12	55	31	13	p
Teyang	12	48	31	30	p
Mien ⊙	12	5	31	40	p
Changming	12	15	31	31	p
Lokiang	12	40	31	12	p
Mieu ⊙	13	42	31	40	p
Venchuen	13	36	31	22	p
Quei ⊙	13	55	31	40	p
Pao	14	0	31	28	p
Urbs II.					
PAoning	11	0	31	53	p
Çangki	11	7	32	10	p
Nanpu	11	1	31	38	p
Quangyven	10	53	32	34	p
Pa ⊙	10	25	32	0	p
Chaohoa	11	15	33	10	p
Tungkiang	10	0	33	0	p
Kien ⊙	11	24	32	42	p
Çutung	10	40	32	30	p
Nankiang	11	35	31	55	p
Urbs III.					
XVnking	10	40	31	17	p
Sike	11	3	31	15	p
Fung ⊙	10	10	31	33	p
Iuugxan	10	25	31	20	p
Ylung	10	26	31	40	p
Quanggan ⊙	10	14	31	0	p
Kiu	9	57	31	5	p
Tacho	9	46	31	27	p
Gochi	10	29	30	48	p
Linxui	10	16	30	49	p
Urbs IV.					
SIucheu	12	26	29	13	p
Kingfu	12	32	29	3	p
Fuxun	12	11	29	23	p
Nanki	11	47	29	7	p
Hinguen	11	52	28	53	p
Changning	12	3	28	36	p

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Iunlien	12	45	28	43	p
Cung	12	42	28	30	p
Cao	13	5	28	33	p
Kungchang	12	18	28	44	p
Urbs V.					
CHungking	10	23	30	23	p
Kiangcin	10	40	30	19	p
Changxeu	9	46	30	24	p
Taço	11	10	30	39	p
Iungchuen	11	16	30	0	p
Sankiu	11	30	30	35	p
Iungchang	11	33	29	46	p
Kikiang	10	40	29	48	p
Nanchuen	9	50	30	50	p
Kiuckiang	8	37	30	17	p
Ho ⊙	10	56	30	50	p
Tungleang	11	28	30	15	p
Tingyven	11	8	31	0	p
Piexan	10	57	29	55	p
Chung ⊙	9	20	30	51	p
Fungtu	10	6	30	34	p
Tienkiang	9	34	31	0	p
Feu ⊙	10	0	29	45	p
Vulung	10	4	30	0	p
Pengxui	9	30	29	57	p
Urbs VI.					
QVeicheu	8	3	31	3	p
Coxan	7	38	31	24	p
Tachang	8	3	31	42	p
Taning	8	20	31	45	p
Iunyang	9	0	30	52	p
Van	8	42	31	0	p
C'ai	8	47	31	40	p
Ta ⊙	9	18	31	38	p
Sinning	9	32	31	47	p
Leangxan	9	0	31	20	p
Kienxi	7	56	30	24	p
Tunghiang	9	9	32	10	p
T'aip'ing	8	20	31	3	p
Urbs VII.					
LVnggan	12	10	32	45	p
Kiangyeu	12	10	32	20	p
Xeciven	12	30	32	34	p
Urbs VIII.					
Mahu	13	19	29	5	p
I. *Civitas major.*					
TAngchuen ⊙	11	57	31	13	p
Xehung	11	16	31	12	p
Ienting	11	39	31	21	p
Chungkiang	12	5	30	51	p
Suining	11	26	30	50	p
Fungki	11	30	31	10	p
Sango	11	45	30	30	p
Lochi	11	50	30	40	p

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
II. *Civitas major.*					
MVicheu ⊙	12	42	30	18	p
Pengxan	12	56	30	20	p
Tanleng	12	44	30	0	p
Cingxin	12	40	29	45	p
III. *Civitas major.*					
KIating ⊙	13	2	29	48	p
Somui	13	12	29	53	p
Hungya	13	16	29	32	p
Laikiang	13	52	30	10	p
Kienguei	12	51	29	29	p
Iung	12	26	29	47	p
Gueyven	12	38	29	38	p
IV. *Civitas major.*					
KIung	13	30	30	16	p
Taye	13	36	30	32	p
Pukiang	13	10	30	17	p
V. *Civitas major.*					
LIucheu	11	27	29	14	p
Nak'i	11	4	29	12	p
Hokiang	11	10	29	24	p
Kiangan	11	20	29	4	p
VI. *Civitas major.*					
YAcheu ⊙	14	14	30	38	p
Mingxan	13	58	30	31	p
Iungking	14	32	30	32	p
Luxan	14	33	30	46	p
Urbes militares quatuor.					
TVngchuen	14	0	27	30	p
Vmung	13	44	27	45	p
Vsa	13	27	27	12	p
Chinhiung	13	0	26	55	p
Civitas militaris.					
Kienchang ⊙	15	41	28	31	p
Fortalitia illi subjecta.					
CIenguei	15	33	28	42	p
Ningp'o	14	42	28	50	p
Yuesui	14	45	29	6	p
Iencing	15	45	28	43	p
Hoeichuen	14	53	27	19	p
Po ⊙	11	50	27	35	p
Hia ⊙	10	32	29	4	p
Chin ⊙	11	4	28	44	p
Chaoking ⊙	9	10	29	34	p
Fortalitia.					
IVngning	14	50	28	21	p
Yeuyang	8	30	29	24	p
Xequei	8	44	29	38	p
Yemui	10	21	29	55	p
Tienciven	14	19	30	50	p
Ly	14	15	29	45	p
Pingchai	9	36	29	16	p

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Sungfan	13	25	33	2	p
Tieki	13	23	32	15	p
Hoangchuen	14	15	27	8	p
Ielung	14	15	26	40	p
Le	14	40	26	43	p
Hiugin	14	30	26	54	p
Vúgan	15	14	27	26	p
Xecie	9	13	30	10	p
Hieu	14	4	29	13	p
Tantang	11	21	27	54	p
Hoangping	10	54	28	15	p
Chungço	15	42	29	10	p
Kiúngpu	14	15	29	8	p
Maçu	15	40	27	44	p
Techang	15	18	28	10	p
Cinci	15	29	28	0	p
Sungguei	15	5	27	30	p
Lungyo	15	26	27	24	p

HVQUANG VII. PROVINCIA.

Urbs Metropolitana.

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
VUch'ang	3	16	31	0	p
Vuchang	2	41	31	0	p
Kiayú	3	51	30	30	p
Puki	3	42	29	50	p
Hienning	3	6	29	46	p
Çungyang	3	29	29	45	p
Tungching	4	10	29	39	p
Hingque ⊙	2	22	30	20	p
Taye	2	49	30	45	p
Tungxan	3	10	30	13	p

Urbs II.

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
HAnyang	3	43	30	50	p
Hanchuen	4	11	31	4	p

Urbs III.

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
SIangyang	5	33	32	28	p
Iching	5	44	32	30	p
Nanchang	5	48	32	9	p
Çaoyang	5	14	32	12	p
Coching	6	0	32	36	p
Quanghoa	6	3	32	58	p
Kiun ⊙	6	30	33	13	p

Urbs IV.

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
TEgan	4	10	31	51	p
Iunmung	3	55	31	40	p
Hiaocan	3	53	31	22	p
Ingching	4	20	31	38	p
Sui ⊙	4	25	32	5	p
Ingxan	3	53	32	10	p

Urbs V.

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
HOangcheu	2	50	31	23	p
Lotien	2	25	31	41	p
Maching	3	10	31	38	p
Hoangpi	3	26	31	30	p
Hoanggan	3	10	31	26	p
Kixui	2	30	31	10	p
Ki ⊙	2	26	30	55	p
Hoangmui	2	2	31	30	p
Hoangci	2	3	30	55	p

Urbs VI.

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
KIngcheu	5	48	30	50	p
Cunggan	5	38	30	43	p
Xexeu	5	30	30	26	p
Kienli	5	6	30	20	p
Sungki	5	59	30	40	p
Chikiang	6	10	30	50	p
Iling ⊙	6	50	31	12	p
Changyang	6	50	31	0	p
Itu	6	25	30	50	p
Iuengan	6	26	31	35	p
Quei ⊙	7	12	31	0	p
Hingxan	7	0	31	22	p
Patung	7	30	30	59	p

Urbs VII.

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
YOcheu	4	40	30	5	p
Linſiang	4	17	30	3	p
Hoayung	5	26	29	55	p
Pingkiang	4	20	29	15	p
Fung ⊙	5	15	30	6	p
Xemuen	5	56	30	17	p
Çuli	6	17	30	35	p
Ganhiang	5	46	30	2	p

Urbs VIII.

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
CHangxa	5	6	28	50	p
Siangt'an	5	3	28	30	p
Siangyn	5	5	29	13	p
Ninghiang	5	22	29	11	p
Lieuyang	4	31	29	3	p
Liling	4	40	28	35	p
Ieyang	5	40	29	18	p
Sianghiang	5	19	28	32	p
Xeu	4	20	28	38	p
Ganhoa	6	10	28	58	p
Chaling ⊙	4	25	28	0	p

Urbs IX.

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
PAoking	6	5	27	43	p
Sinhoa	6	0	28	23	p
Chingpu	6	36	27	33	p
Vuchang ⊙	7	0	27	10	p
Sinning	6	28	27	0	p

Urbs. X.

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
HEngcheu	5	13	27	48	p
Hengxan	4	50	28	3	p
Liuyang	4	47	27	18	p
Changning	5	8	27	20	p
Gangin	4	50	27	45	p
Ling	4	56	26	52	p
Queiyang ⊙	4	53	26	27	p

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Linuu	4	50	25	54	p
Lanxan	5	14	25	46	p
Urbs XI.					
CHangte	6	8	29	38	p
Ta'oyuen	6	30	29	30	p
Lungyang	5	52	29	32	p
Iuenkiang	5	50	29	21	p
Urbs XII.					
XIncheu	6	35	29	6	p
Luki	7	40	28	52	p
Xenk'i	8	0	28	38	p
Xopu	6	26	28	45	p
Iúen ⊙	8	29	28	0	p
Kiuyang	8	22	27	50	p
Mayang	8	18	28	23	p
Urbs XIII.					
IUngcheu	6	0	26	42	p
Kiyang	5	43	27	0	p
Tau ⊙	5	50	26	5	p
Tunggan	6	14	26	35	p
Ningyven	5	30	26	5	p
Iungming	6	18	26	3	p
Kianghoa	5	48	25	41	p
Urbs XIV.					
CHingtien	5	20	31	35	p
Kingxan	4	46	31	31	p
Cienkiang	5	14	31	10	p
Mienyang ⊙	4	56	30	40	p
Kingling	4	40	30	55	p
Kingmuen ⊙	5	48	31	30	p
Tangyang	6	6	31	18	p
Urbs XV.					
CHingyang	6	52	33	0	p
Fang	7	13	32	14	p
Choxan	7	30	31	49	p
Xangcin	7	9	33	40	p
Choki	7	34	32	28	p
Chingſi	6	45	33	40	p
Paokang	6	26	32	36	p
I. *Civitas major.*					
CIngchieu ⊙	7	14	28	0	p
Hoeitung	7	46	27	40	p
Tungtao	7	16	27	30	p
Suining	7	0	27	35	p
II. *Civitas major.*					
CHincheu	4	25	26	30	p
Iunghing	4	35	26	40	p
Ychang	4	30	26	10	p
Hingning	4	20	27	0	p
Queiyang	4	6	27	32	p
Queitung	4	5	26	29	p

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Civitates militares.					
XI ⊙	8	0	29	38	p
Iungxun	7	52	29	32	p
Paocing	8	8	29	5	p
Nanguei	7	35	30	10	p
Xiyung	7	26	29	45	p
Xangki	7	10	29	50	p
Lankiang	7	30	29	20	p
Sanping	8	27	29	43	p
Iunting	6	53	30	20	p
Tienkia	7	39	30	26	p
Iungmui	6	32	30	10	p

KIANGSI VIII. PROVINCIA.

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Urbs Metropolitana.					
NAnchang	1	36	29	13	p
Fungching	1	45	28	37	p
Cienhien	1	6	29	5	p
Fungſin	2	5	29	15	p
Cinggan	2	16	29	21	p
Ning ⊙	2	59	29	11	p
Vuning	2	20	29	43	p
Urbs II.					
IAocheu	0	32	29	40	p
Yukan	0	30	29	26	p
Loping	0	8	29	33	p
Feuleang	0	7	29	44	p
Tehing	0	10	29	20	o
Sangin	0	28	29	0	p
Vannien	0	22	29	14	p
Urbs III.					
QVangſin	0	21	28	36	o
Ioxan	0	55	28	40	o
Ieyang	0	10	28	49	o
Queiki	0	19	28	41	p
Ienxan	0	3	28	20	o
Iungfung	0	35	28	25	o
Hinggan	0	6	28	40	o
Urbs IV.					
NAnkang	1	13	30	2	p
Tuchang	0	54	30	5	p
Kienchang	2	0	29	50	p
Gany	1	48	29	41	p
Urbs V.					
KIeukiang	1	34	30	25	p
Tegan	1	50	30	2	p
Xuichang	1	56	30	20	p
Hukeu	1	8	30	26	p
Pengçe	0	54	30	43	p
Urbs VI.					
KIenchang	0	43	28	12	p
Sinching	0	20	27	55	p
Nanfung	0	49	27	42	p

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Quanchang	1	9	27	31	p
Luki	1	10	27	43	p
Urbs VII.					
Vucheu	1	7	28	42	p
Çunggin	1	22	28	44	p
Kinki	0	42	28	30	p
Yhoang	1	10	28	10	p
Logan	1	46	28	2	p
Tunghiang	0	51	28	52	p
Urbs VIII.					
Linkiang	2	0	28	35	p
Sinkin	2	5	28	23	p
Sinyu	2	22	28	30	p
Hiakiang	2	30	28	11	p
Urbs IX.					
Kiegan	2	49	27	42	p
Taiho	2	42	27	28	p
Kiexui	2	30	27	47	p
Iungfung	2	5	27	46	p
Ganfo	3	10	27	55	p
Lungciven	3	11	27	0	p
Vangan	2	48	27	8	p
Iungſin	3	31	27	25	p
Iungning	3	55	27	12	p
Urbs X.					
Xvicheu	2	12	28	52	p
Xangcao	2	23	28	47	p
Sinchang	2	40	28	49	p
Urbs XI.					
Ivencheu	3	12	28	25	p
Fueny	2	40	28	30	p
Pinghiang	3	46	28	28	p
Vançai	3	3	28	42	p
Urbs XII.					
Cancheu	2	25	26	10	p
Vtu	1	50	25	50	p
Sinfung	2	12	25	55	p
Hingque	1	55	26	41	p
Hoeichang	1	35	25	30	p
Ganyuen	1	55	25	12	p
Ningtu	1	20	27	10	p
Xuikin	1	10	26	0	p
Lungnan	2	18	25	8	p
Xeching	1	10	25	30	p
Changning	2	10	25	30	p
Tingnan	2	30	25	20	p
Urbs XIII.					
Nangan	3	3	25	49	p
Nankang	2	49	25	56	p
Xangyeu	3	0	26	15	p
Çungy	3	20	26	15	p
KIANGNAN vulgo NANKING, IX. PROVINCIA.					
Urbs metropolitana.	gr.	min.	gr.	min.	
Kiangning ſive Nanking	1	26	32	40	o
Kiuyung	2	0	32	32	o
Lieyang	2	15	32	20	o
Liexui	1	54	32	12	o
Caoxun	1	30	32	3	o
Kiangpu	1	14	32	48	o
Loho	1	45	32	50	o
Urbs II.					
Fungyang	0	30	33	48	o
Linhoai	0	10	34	7	o
Hoaiyuen	0	2	34	0	o
Tingyuen	0	29	33	31	o
Vho	0	43	34	10	o
Hung	1	0	34	17	o
Xeu ⊙	0	31	33	32	p
Hokieu	1	0	33	27	p
Mungching	0	35	34	12	p
Su ⊙	1	15	34	3	o
Hiutai	1	38	34	0	o
Tienchang	1	52	33	55	o
So ⊙	0	0	34	36	-
Lingpi	0	24	34	45	o
Ing ⊙	1	2	34	5	p
Taiho	1	40	34	23	p
Hao ⊙	1	28	34	34	p
Ingxan	1	40	34	3	p
Urbs III.					
Sucheu	3	30	31	52	o
Quenxan	3	57	32	0	o
Changxo	3	52	32	13	o
Ukiang	3	30	31	34	o
Kiating	4	15	31	34	o
Taiçang ⊙	4	15	32	13	o
Çungming	5	24	32	20	o
Urbs IV.					
Sungkiang	4	30	31	10	o
Xanghai	4	49	31	32	o
Cingpu	4	10	31	18	o
Urbs V.					
Changcheu	2	50	32	45	o
Vuſie	3	5	32	30	o
Kiangyn	3	16	32	39	o
Gnihing	2	38	32	17	o
Cingkiang	3	0	32	54	o
Urbs VI.					
Chinkiang	2	28	32	49	o
Tanyang	2	32	32	40	o
Kintan	2	26	32	30	o

Urbs

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Urbs VII.					
YAngcheu	2	15	33	6	o
Ychin	2	3	32	56	o
Taihing	2	38	33	5	o
Caoyeu ⊙	2	22	33	33	o
Hinghoa	2	49	33	53	o
Paoyng	2	14	38	8	o
Tai ⊙	2	45	33	20	o
Iucao	3	36	33	12	o
Tung	3	38	32	58	o
Haimuen	4	10	32	48	o
Quache ingens Fortalitium.	2	29	32	53	o
Urbs VIII.					
HOaigan	2	12	34	17	o
Cingho	2	2	34	30	o
Gantung	2	46	34	36	o
Taoyuen	1	30	34	40	o
Moyang	2	10	34	40	o
Hoi ⊙	2	31	35	13	o
Çanyu	2	15	35	30	o
P'i ⊙	0	46	35	6	o
Sociuen	1	6	34	55	o
Ciuning	0	48	34	50	o
Urbs IX.					
LVcheu	0	8	33	4	p
Xuching	0	30	32	35	p
Lukiang	0	2	31	58	p
Vuguei ⊙	0	28	32	4	o
Çao	0	12	32	30	p
Logan ⊙	0	57	32	38	p
Ingxan	1	38	32	8	p
Hoxan	1	8	32	58	p
Urbs X.					
GAnking	0	20	31	20	p
Tungching	0	0	31	40	-
Cienxan	1	4	31	44	p
Taihu	1	26	31	36	p
Sofung	1	17	31	3	p
Vangkiang	1	0	31	15	p
Urbs XI.					
TA'ipi'ng	1	10	32	20	o
Vuhu	0	57	32	16	o
Fachang	0	59	32	7	o
Urbs XII.					
NIngque	1	0	31	40	o
Ninque	1	13	31	9	o
King	0	54	31	20	o
T'aiping	0	28	30	45	o
Cingte	0	58	30	49	o
Nanling	0	40	31	54	o
Urbs XIII.					
CHicheu	0	15	31	36	o
Cingyang	0	40	31	30	o
Tungling	0	30	31	45	o
Xetai	0	40	31	3	o
Kiente	0	15	30	42	p
Tunglieu	0	32	31	8	p
Urbs XIV.					
HOeicheu	0	55	30	18	o
Hieuning	0	40	30	15	o
Vuyuen	0	41	29	30	o
Kimuen	0	16	30	10	o
In	0	16	30	30	o
Cieki	1	19	30	16	o
I. *Civitas major.*					
QVangte ⊙	1	50	31	32	o
Kienping	1	56	31	10	o
II. *Civitas major.*					
HOcheu ⊙	1	0	32	50	o
Hanxan	0	41	32	40	o
III. *Civitas major.*					
CHucheu ⊙	1	26	33	31	o
Civenciao	1	11	33	15	o
Laigan	1	39	33	20	o
IV. *Civitas major.*					
SIucheu	0	3	35	3	o
Siao	0	13	34	51	p
Tangxan	0	30	35	6	p
Fung	0	35	35	20	p
Poi	0	14	35	26	p

CHEKIANG X. PROVINCIA.

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Urbs Metropolitana.					
HAngcheu	3	10	30	27	o
Haining	3	45	30	34	o
Fuyang	3	0	30	10	o
Iuhang	2	50	30	35	o
Lingan	2	38	30	15	o
Yucien	2	10	30	22	o
Sinching	2	42	30	2	o
Changhoa	2	0	30	6	o
Urbs II.					
KIahing	4	0	31	15	o
Kiaxen	4	10	31	8	o
Haiyen	4	26	30	45	o
Pinghu	4	20	30	54	o
Çungte	3	39	30	54	o
Tunghiang	3	41	31	9	o
Urbs III.					
HVcheu	3	3	30	57	o
Changhing	2	45	31	12	o
Gankie ⊙	2	16	31	3	o
Tecing	3	15	30	53	o
Hiaofung	1	50	30	46	o
Vukang	2	37	30	49	o

Urbs

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars
Urbs IV.					
Niencheu	2	24	29	33	0
Xungan	1	53	29	48	0
Tungliu	2	35	29	43	0
Suigan	1	28	29	28	0
Xeuchang	1	59	29	28	0
Fuenxui.	2	17	29	56	0
Urbs V.					
Kinhoa	2	12	28	57	0
Lanki.	2	9	29	8	0
Tungyang	3	12	29	15	0
Yú	2	59	29	14	0
Iungkiang	2	39	28	45	0
Vúy	2	4	28	41	0
Pukiang	2	31	29	20	0
T'angki	2	41	29	8	
Urbs VI.					
Kiucheu	1	37	28	42	0
Lungyeu	1	48	28	54	0
Changxan	1	10	28	30	0
Kiangxan	1	19	28	23	0
C'aihoa	0	56	29	0	0
Urbs VII.					
Chucheu	3	5	28	12	0
Cingtien	3	16	27	46	0
Cinyún	3	7	28	25	0
Sungyang	2	30	28	6	0
Suichang	2	6	27	52	0
Lungciven	2	19	27	19	0
Kingyven	2	18	27	0	0
Iunho	2	30	27	40	0
Siuenping	2	41	28	25	0
Kingning	2	59	27	33	0
Urbs VIII.					
Xaohing	3	30	30	16	0
Siaoxan.	3	16	30	13	0
Chúki	3	19	29	36	0
Iuyao	4	30	29	50	0
Xangyu	4	12	29	56	0
Xing	3	40	29	22	0
Sinchang	3	56	29	6	0
Urbs IX.					
Ning'po	4	46	29	40	0
Çuki	4	52	29	56	0
Funghoa	5	3	29	15	0
Tinghai	5	18	30	0	0
Siangxan	6	0	29	18	0
Urbs X.					
Taicheu	4	25	28	38	0
Hoangnien	5	0	28	28	0
Tientai	4	7	28	55	0
Sienkiu	4	6	28	42	0
Ninghai	5	18	29	3	0
Taiping	4	30	28	28	0

Nomina.	Longit gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Urbs XI.					
Vencheu	4	4	27	38	0
Xuigan	3	49	27	20	0
Locing	4	28	27	49	0
Pingyang	4	4	27	10	0
Taixun	3	1	26	59	0
Fortalitia.					
Chinxan	4	49	30	53	0
Kinxan	4	38	30	25	0
Tinghai	5	38	29	56	0
Quo	6	6	29	30	0
Ninghai	5	28	29	10	0
Cioki	5	30	28	42	0
Sinho	5	29	28	30	0
Xetie	5	26	28	14	0
Puontun	5	6	28	10	0
Çúmuen	5	5	28	0	0
Tungchi	4	57	27	56	0
Haigan	4	40	27	45	0
Sining	4	30	27	32	0
Haifung	4	40	27	15	0
Cheuxan Insula	7	0	30	15	0
Changque Insula	6	40	29	15	0
Nan	4	6	27	20	0
Iungmuen	4	10	26	0	0

FOKIEN XI. PROVINCIA.

Nomina.	Longit gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Urbs Metropolitana.					
Focheu	2	40	25	58	0
Cutien	1	55	26	22	0
Mincing	1	53	26	2	0
Changlo	3	10	25	48	0
Lienkiang	2	59	26	11	0
Loyuen	3	16	26	20	0
Iungfo	2	4	25	45	0
Focing	3	13	25	36	0
Urbs II.					
Civencheu	2	9	25	0	0
Nangan	2	29	25	14	0
Tehoa	1	5	25	24	0
Gänki	1	34	25	4	0
Tunggan	1	50	24	50	0
Iungchung	1	29	25	14	0
Urbs III.					
Changcheu	1	10	24	42	0
Changpu	0	53	24	29	0
Lungnien	0	35	24	52	p
Nancing	0	34	24	39	0
Changrai	0	56	24	54	0
Changping	0	0	24	55	-
Pingho	0	7	24	37	0
Chaogan	0	40	24	0	0
Haicing	1	16	24	22	0
Ningyang	1	15	24	56	0

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Urbs IV.					
Kienning	1	0	27	0	o
Kienyang	0	45	27	22	o
Çunggan	0	28	27	41	o
P'úching	1	12	27	47	o
Chingho	1	59	26	47	o
Sungki	1	32	26	55	o
Xeuning	2	27	26	35	o
Urbs V.					
Ienping	0	57	26	34	o
Cianglo	0	6	26	39	o
Xa	0	35	26	20	o
Yeuki	1	26	25	56	o
Xunchang	0	29	26	45	o
Iunggan	0	13	26	4	o
Tatien	0	40	25	56	o
Urbs VI.					
Tingcheu	0	55	25	40	p
Ninghoa	0	44	26	30	p
Xanghang	1	2	25	8	p
Vuping	1	35	25	10	p
Cinglieu	0	29	26	9	p
Lienching	0	28	25	34	p
Queihoa	0	20	26	31	p
Iungting	1	0	24	32	p
Urbs VII.					
Hinghoa	2	35	25	27	o
Sienlieu	2	10	25	28	o
Urbs VIII.					
Xaoúu	0	2	27	10	p
Quangçe	0	15	27	24	p
Taining	0	30	26	54	p
Kienning	0	44	27	13	p
Civitas major.					
Foning ⊙	4	0	26	33	o
Fogan	3	19	26	46	o
Ningte	3	34	26	32	o
Fortalitia.					
P'umuen	4	25	27	0	o
Foning	4	8	26	15	o
Tinghai	3	22	26	10	o
Muihoa	3	21	25	52	o
Xe	3	28	25	50	o
Haikeu	3	50	25	50	o
Vangan	3	34	25	29	o
Ganhai	2	3	24	45	o
Hiamuen	1	59	24	35	o
Chungxe	1	26	24	30	o
Tungxan	0	57	24	15	o
Hiuenchúng	0	46	24	0	o
Iungting	1	18	24	33	p

QUANGTVNG XII. PROVINCIA.

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Urbs metropolitana.					
Quangcheu	4	2	23	15	p
Xunte	4	16	23	12	p
Túngúon	3	22	22	50	p
Cengching	3	15	23	13	p
Hiangxan	3	39	22	36	p
Sinhoei	4	18	22	30	p
Cingyúen	4	8	23	45	p
Sinning	4	39	22	18	p
Çunghoa	3	29	23	30	p
Lungmuen	3	10	23	35	p
Sanxui	3	56	23	33	p
Lien ⊙	4	48	24	55	p
Iangxan	4	25	25	0	p
Lienxan	4	58	24	38	p
Singan	3	49	22	40	p
Macao ⊙	3	10	22	19	p
Urbs II.					
Xaocheu	3	42	24	42	p
Lochang	4	7	25	7	p
Ginhoa	3	49	35	7	p
Iuyuen	4	5	24	41	p
Vngyuen	3	15	24	28	p
Ingte	3	46	24	2	p
Urbs III.					
Nangiung	3	10	25	32	p
Xihing	3	23	28	8	p
Urbs IV.					
Hoeicheu	2	46	23	9	p
Polo	2	48	23	29	p
Haifung	2	5	23	6	p
Hoyúen	2	25	23	20	p
Lungchuen	2	31	23	45	p
Changlo	2	25	23	33	p
Hingning	2	6	23	45	p
Hop'ing	2	50	23	59	p
Changning	2	29	23	0	p
Iunggan	3	6	23	4	p
Urbs V.					
Chaocheu	1	0	23	30	p
Chaoyang	1	33	23	20	p
Kieyang	1	28	23	54	p
Chinghiang	1	56	24	15	p
Iaoping	1	36	24	22	p
Tapu	0	44	24	0	p
Hoeilai	1	40	23	4	p
Chinghai	1	0	24	10	p
Puning	0	30	23	40	p
Pingyuen	0	30	24	20	p
Urbs VI.					
Chaoking	4	45	23	30	p
Suhoei	4	40	23	45	p

Nomina.	*Longit.* gr.	min.	*Latit.* gr.	min.	*Pars.*
Sinhing	4	55	26	6	p
Yangchun	5	3	22	50	p
Yangkiang	4	50	22	0	p
Caoming	5	30	23	8	p
Genping	4	49	22	40	p
Teking ⊙	5	18	23	55	p
Quangning	5	0	23	55	p
Fungchuen	5	30	23	37	p
C'aikien	5	36	24	8	p
Urbs VII.					
CAocheu	5	40	22	33	p
Tienpe	5	25	22	30	p
Siny	5	41	23	13	p
Hoa ⊙	5	56	23	10	p
Vuchuen	5	45	21	37	p
Xeching	5	58	28	40	p
Urbs VIII.					
LIencheu	7	12	22	0	p
King ⊙	7	55	22	18	p
Lingxan	7	15	23	0	p
Xilien	6	50	22	20	p
Urbs IX.					
LUicheu	6	20	28	58	p
Suiki	6	20	22	18	p
Siúúen	7	3	20	40	p
Urbs X.					
KIuncheu	6	36	19	40	p
Chingyu	7	3	19	44	p
Lincao	7	10	19	48	p
Tinggan	6	58	19	26	p
Venchang	6	20	19	20	p
Hoeitung	6	49	19	20	p
Lohoei	6	23	19	10	p
Chen ⊙	8	0	19	37	p
Changhoa	8	16	19	21	p
Van ⊙	6	23	18	52	p
Lingxui	6	52	18	24	p
Yay ⊙	8	1	18	13	p
Cangen	8	39	19	2	p
Civitas major.					
LOting ⊙	5	9	23	25	p
Tunggan	4	56	23	20	p
Sining	5	29	23	23	p
Fortalitia.					
TAching	1	5	24	20	p
Tung ⊙	1	22	24	17	p
Hanxan	1	10	23	42	p
Cinghai	1	14	23	25	p
Kiaçu	1	29	23	12	p
Kiexe	1	49	22	50	p
Hiung	6	30	21	30	p
Iungching	5	49	23	45	p
Ciúnling	8	10	19	30	p

QUANGSI XIII. PROVINCIA.

Nomina.	*Longit.* gr.	min.	*Latit.* gr.	min.	*Pars.*
Urbs metropolitana.					
QVeilin	7	32	25	54	p
Hinggan	7	32	26	12	p
Linchuen	7	50	26	7	p
Yangſo	7	10	25	33	p
Iungning ⊙	7	39	25	36	p
Iungfo	7	48	25	43	p
Yning	8	0	26	0	p
Ciuen ⊙	6	51	26	8	p
Quonyang	6	36	26	0	p
Urbs II.					
LIeucheu	8	42	25	10	p
Coyung	8	32	25	25	p
Loching	9	26	25	27	p
Lieuching	9	8	25	15	p
Hoaiyuen	9	5	26	0	p
Yung	9	16	25	45	p
Laipin	9	53	24	54	p
Siang ⊙	8	21	25	2	p
Vuçiuen	8	9	24	40	p
Pin ⊙	9	3	24	21	p
Cienkiang	8	45	24	25	p
Xanglin	9	25	24	5	p
Urbs III.					
KIngyuen	9	46	25	2	p
Tienho	9	41	25	26	p
Sugen	10	21	25	5	p
Hochi ⊙	10	38	25	6	p
Hinching	9	54	24	36	p
Nanchuen	10	47	24	33	p
Lypo	10	25	24	52	p
Tunglan ⊙	10	58	24	5	p
Pangti ⊙	10	14	24	17	p
Urbs IV.					
P'Inglo	7	0	25	26	p
Cungching	6	50	25	42	p
Fuchuen	6	27	25	26	p
Ho	6	8	25	11	p
Liepu	7	36	25	15	p
Sieugin	8	1	25	12	p
Iungan ⊙	7	20	25	8	p
Chaoping	6	43	24	47	p
Urbs V.					
GUcheu	6	33	24	2	p
Teng	6	51	24	7	p
Yung	7	33	23	25	p
Cengki	7	0	23	34	p
Hoaicie	6	14	24	16	p
Yolin ⊙	7	40	23	5	p
Pope	7	56	22	53	p
Pelieu	7	40	23	35	p
Lochuen	7	38	22	54	p
Hingye	8	1	23	19	p

Nomina.	Longit gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Urbs VI.					
CIncheu	8	0	23	55	p
P'ingnan	7	36	24	5	p
Quei	8	39	23	42	p
Vucing	8	21	23	33	p
Urbs VII.					
NAnning	9	30	23	40	p
Lunggan	10	51	23	20	p
Heng ⊙	9	6	23	40	p
Yunghiang	9	16	23	32	p
Xangſu ⊙	11	30	23	3	p
Sining ⊙	10	13	23	30	p
Urbs VIII.					
TAiping	12	20	23	20	p
Taiping ⊙	12	20	23	28	p
Ganping ⊙	12	24	23	38	p
Yangli ⊙	11	53	23	30	p
Vanching ⊙	11	44	23	25	p
Ço ⊙	11	35	23	48	p
Ciuenming ⊙	11	56	23	23	p
Suching ⊙	12	6	23	30	p
Chinyuen ⊙	11	33	23	38	p
Sutung	11	45	23	13	p
Kielung ⊙	11	46	23	37	p
Mingyng ⊙	12	35	23	26	p
Xanghia ⊙	12	48	23	23	p
Kiegan ⊙	11	45	23	47	p
Lungyng ⊙	11	56	23	42	p
Tukie ⊙	12	0	23	52	p
Çungxen	12	36	23	36	p
Iungkang	12	5	23	42	p
Loyang	11	35	23	16	p
Toling	11	30	23	25	p
Lung	12	51	23	12	p
Kiang ⊙	12	26	23	13	p
Lope	12	5	23	20	p
Urbs IX.					
SVming	12	71	23	8	p
Suming ⊙	12	14	22	57	p
Xangxe ⊙	12	15	22	40	p
Hiaxe	12	0	22	58	p
Pingciang	12	17	23	6	p
Sucheu ⊙	11	53	23	8	p
Chung ⊙	11	48	23	0	p
Siping	12	0	22	48	p
Sulin	12	5	22	30	p
Urbs X.					
CHingan	11	55	24	0	p
Fulao	11	20	24	0	p
Tucang	12	10	24	0	p
Fungy	11	56	24	6	p
Queixun	12	14	23	50	p
Hianguu	11	45	23	56	p
Urbs XI.					
TIencheu	11	30	24	11	p
Xanglin	11	10	23	43	p
Lung ⊙	11	9	24	16	p
Queite ⊙	11	0	23	50	p
Cohoa ⊙	10	50	23	35	p
Urbs Militaris.					
SVngen	10	25	24	5	p
Vúyuen	10	30	23	52	p
Funghoa	9	55	24	5	p
Civitas major.					
SVching	12	25	24	6	p
Ly ⊙	12	27	24	17	p
Ching	11	50	24	18	p
Fortalitia.					
XAnglin	12	47	23	57	p
Ganlung	12	57	24	4	p

QVEICHEV XIV. PROVINCIA.

Nomina.	Longit gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Urbs Metropolitana.					
Queiyang	11	46	26	0	p
Fortalitia ſubjecta Urbi.					
Kinkiun	11	52	25	51	p
Moqua	11	45	25	37	p
Tahoa	11	45	25	20	p
Chingfan	11	32	25	53	p
Gueifan	11	32	25	53	p
Fangfan	11	40	25	48	p
Hungfan	11	31	25	42	p
Golungfan	11	36	25	34	p
Kinxefan	11	55	25	43	p
Siaolungfan	11	15	25	30	p
Lofan	11	24	25	35	p
Talungfan	11	44	25	44	p
Siaochingfan	11	2	25	32	p
Xangmakiao	11	3	25	45	p
Luxan	11	40	25	30	p
Lufan	11	9	25	23	p
P'ingfa	11	57	26	0	p
Mohiang	11	30	25	26	p
Urbs II.					
Sucheu	9	2	27	53	p
Fortalitia.					
Tuſo	8	20	27	51	p
Xiki	8	46	27	14	p
Hoangtao	8	33	27	25	p
Urbs III.					
Sunan	10	20	27	59	p
Fortalitia.					
Vuchuen	10	41	28	38	p
Inkiang	10	9	28	5	p
Xuitekiang	10	20	28	34	p
Many	10	40	27	50	p
Langki	10	10	27	55	p
Ieuki	10	14	28	18	p

Nomina.	*Longit.* gr.	min.	*Latit.* gr.	min.	*Pars.*
Urbs IV.					
CHinyuen	9	23	27	34	p
Xikien	9	35	27	50	p
Fortalitia.					
Cinyung	9	40	27	30	p
P'ienxiao	9	30	27	20	p
Inxui	9	10	27	34	p
T'aipi'ng	8	58	27	40	p
Urbs V.					
Xecien	9	42	27	55	p
(*Fortalitia*)					
Miaomin	9	53	27	58	p
Lungciuen	9	55	28	25	p
Cochang	9	55	27	42	p
Urbs VI.					
TVnggin	8	45	28	20	p
Sengki	9	15	28	22	p
Tiki	9	26	28	40	p
Fortalitia.					
Tauanxan	8	49	28	31	p
Ulo	9	36	28	35	p
Pingteu	9	5	28	40	p
Pingnan	9	20	28	48	p
Pingchai	8	58	28	23	p
Urbs VII.					
LIping	8	35	26	42	p
Iungçung	8	50	26	35	p
Cu ⊙	9	2	27	0	p
Húng	8	15	26	27	p
Fortalitia.					
T'anki	8	36	27	2	p
Pacheu	8	41	26	55	p
Çaotie	9	15	26	44	p
Sixan	8	34	26	27	p
Huul	9	5	27	15	p
Leangſai	8	36	27	11	p
Geúyang	8	45	27	6	p
Sinhoa	8	56	27	18	p
Chunglin	9	14	27	6	p
Cheki	8	19	27	13	p
Lungli	8	56	27	9	p
Urbs VIII.					
TVcho	10	3	25	55	p
Toxan ⊙	9	19	25	55	p
Maho ⊙	9	58	26	31	p
Cingping ⊙	10	0	26	53	p
Fortalitia.					
Pangxui	10	18	26	13	p
Pinglang	10	30	26	13	p
Pingcheu	10	44	26	2	p
Lotung	10	10	26	5	p
Hokiang	9	45	26	40	p
Loping	10	35	26	30	p
P'ingting	10	20	26	26	p
Fungning	9	42	28	48	p

Nomina.	*Longit.* gr.	min.	*Latit.* gr.	min.	*Pars.*
Civitates majores.					
I. *Civitas.*					
P'úgan ⊙	13	5	25	25	p
II. *Civitas.*					
Iungning ⊙	12	20	25	2	p
Fortalitia.					
Múyo	12	50	25	5	p
Tinging	12	25	24	42	p
III. *Civitas.*					
Chinning ⊙	12	5	25	0	p
Fortalitia.					
Kangço	11	50	25	7	p
Xeuling	12	7	25	23	p
IV. *Civitas.*					
Ganxun ⊙	12	6	25	35	p
Fortalitia.					
Ningco	12	16	25	25	p
Sipao	12	24	25	37	p
Urbs Militaris.					
P'úting	12	7	26	4	p
Urbs II.					
Sintien					
Fortalitia.					
Siaopingſa	10	59	26	24	p
Paping	10	46	26	23	p
Cheuping	11	6	26	13	p
Cheuhing	11	11	26	40	p
Urbs III.					
Pingyue	10	32	27	0	p
Fortalitia					
Yangy	10	12	26	46	p
Lop'ing	10	33	27	19	p
Urbs IV.					
Lungli	11	9	26	27	p
Fortalitia.					
Pingſa	10	59	26	0	
Tapingſa	11	18	26	10	
Fortalitia.					
Picie	13	6	26	30	p
Gueicing	11	38	26	15	p
Ganchoang	12	23	26	2	p
Cingping	10	5	27	3	p
P'ingpa	10	14	27	9	p
Gannan	12	45	25	41	p
Uſa	13	50	26	35	p
Hinglung	9	51	27	10	p
Chexúi	12	57	27	0	p
Caili	12	46	27	6	p
Iungning	12	42	27	33	p
Xúitúng	12	37	27	20	p
Lokeu	12	50	27	20	p
Xangtang	13	48	26	12	p

Nomina.	Longit. gr.	Longit. min.	Latit. gr.	Latit. min.	Pars.
Vatien	13	36	26	42	p
Hoanglien	13	25	26	45	p
Cugni	13	13	26	53	p

IUNNAN XV. PROVINCIA.

Nomina.	Longit. gr.	Longit. min.	Latit. gr.	Latit. min.	Pars.
Urbs Metropolitana.					
IUnnan	14	25	25	0	p
Fumin	14	38	25	3	p
Yleang	14	20	25	30	p
Caoming ⊙	14	46	25	10	p
Cynning ⊙	14	12	24	52	p
Queichoa	14	20	25	10	p
Chingcung	14	20	25	20	p
Ganningo	14	41	24	45	p
Loçu	14	46	24	50	p
Lofung	14	57	24	43	p
Quenyang	14	30	24	38	p
Sanpao	14	40	24	25	p
Ymuen	14	50	24	35	p
Urbs II.					
TAli	16	56	25	27	p
Chao ⊙	16	40	25	46	p
Iunnan	16	12	25	32	p
Tengch'uen ⊙	16	55	25	34	p
Lanckiung	16	56	26	0	p
Pinchuen	17	10	25	43	p
Urbs III.					
LIngan	14	19	24	6	p
Kienxui ⊙	14	19	23	50	p
Xeping ⊙	14	28	24	0	p
Omi ⊙	13	57	24	2	p
Ning ⊙	14	0	24	10	p
Sinp'ing	14	25	23	42	p
T'unghai	14	10	24	14	p
Hoſi	14	29	24	10	p
Siego	14	43	24	15	p
Mungçu	13	56	23	35	p
Fortalitia.					
Naleu	14	25	23	19	p
Kiaohoa	14	16	23	36	p
Vanglung	14	5	23	34	p
Hiyung	14	14	23	18	p
Kichu	15	6	23	33	p
Sut'o	14	40	23	33	p
Çoneng	14	49	23	15	p
Loc'ung	14	30	23	28	p
Gannan	13	50	23	21	p
Urbs IV.					
ÇUhiung	15	24	24	56	p
Quangtung	15	19	24	43	p
Tingyuen	15	51	25	23	p
Tingpien	16	9	25	18	p
Okia	15	17	24	24	p
Nangan ⊙	15	12	24	55	p
Chinnan	15	36	24	40	p
Urbs V.					
CHingkiang	14	4	24	29	p
Kiangchuen	13	53	24	21	p
Yangçung	14	5	24	45	p
Sinhing ⊙	14	17	24	34	p
Lunan ⊙	13	49	24	31	p
Urbs VI.					
MVnghoa	16	38	25	23	p
Linglung	17	10	25	24	p
Urbs VII.					
Kingtung	16	30	24	52	p
Urbs VIII.					
QVangnan	13	25	24	0	p
Fu ⊙	12	59	23	48	p
Urbs IX.					
QVangſi	13	35	24	14	p
Suçung ⊙	13	40	24	0	p
Mile ⊙	13	46	24	12	p
Vimao ⊙	13	25	23	29	p
Urbs X.					
Chinyuen	16	26	24	37	p
Fortalitium.					
Loco	15	56	24	37	p
Urbs XI.					
IVngning	15	48	27	33	p
Laçuho	15	34	27	39	p
Ketien	16	5	27	41	p
Hianglo	16	3	27	53	p
Valu	16	38	27	49	p
Urbs XII.					
Xunning	17	18	24	46	p
Urbes Militares.					
Urbs I.					
KIocing	13	48	25	35	p
Yeço	13	28	29	19	p
Chanye ⊙	13	58	25	15	p
Loleang ⊙	13	51	25	6	p
Malung ⊙	13	50	25	44	p
Lohiung ⊙	13	36	24	57	p
Urbs II.					
YAogan	15	50	26	3	p
Yao ⊙	15	31	25	55	p
Tayao	16	0	26	8	p
Urbs III.					
CIoking	16	40	26	28	p
Kiench'uen ⊙	16	59	26	34	p
Xen ⊙	16	35	26	48	p
Urbs IV.					
VUting	14	59	25	27	p
Hokio ⊙	15	3	25	16	p
Yuenmeu	15	6	25	52	p
Lokiuen ⊙	14	46	25	39	p
Urbs V.					
Cintien	13	52	26	4	p

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars
Urbs VI.					
LIkiang	16	58	26	54	p
Paoxan ⊙	16	45	27	9	p
Lan ⊙	17	26	27	16	p
Kiucin	17	24	27	1	p
Linſi	17	19	27	31	p
Urbs VII.					
Iuènkiang	15	33	23	54	p
Fortalitia.					
Lopie	15	20	23	53	p
Urbs VIII.					
IVngchang	17	42	24	58	p
Laye ⊙	18	38	25	29	p
Lukiang	17	56	24	49	p
Iungping	17	16	25	10	p
Fungki	17	27	25	10	p
Xitien	17	46	24	37	p
Fortalitium.					
Lukiang	18	15	25	21	p
Civitates majores.					
PExing ⊙	16	8	26	44	p
Sinhoa	14	55	24	5	p
Fortalitia.					
Chelo	16	16	24	18	p
Lançang	16	19	27	3	p
Civitas.					
Langkiu ⊙	15	55	27	28	p
Fortalitia.					
TEngheng	17	30	25	45	p
Cheli	16	59	22	42	p
Mopang	18	21	22	51	p
Civitates.					
MEngyang ⊙	17	55	23	6	p
Mengking ⊙	17	39	23	17	p
Fortalitia.					
Menglien	17	25	23	16	p
Mengli	18	5	24	3	p
Mengting ⊙	18	5	24	29	p
Mengtien	18	48	22	8	p
Mengco	19	6	22	0	p
Mengchang	16	50	23	32	p
Mien	19	19	23	3	p
Pape	18	30	22	0	p
Santihiung	18	0	22	8	p
Sochung	18	16	21	58	p
Mungyang	19	4	23	17	p
Mitien	18	42	23	17	p
Laochua	16	58	22	3	p
Canyai	18	38	24	31	p
Nantien	18	43	25	8	p
Civitates.					
LVngchuen ⊙	18	28	24	16	p
Queiyuen ⊙	16	55	24	20	p

Nomina.	Longit. gr.	min.	Latit. gr.	min.	Pars.
Vantien ⊙	17	36	24	31	p
Chingc'ang ⊙	17	19	24	17	p
Taheu	16	56	24	28	p
Fortalitia.					
Nieuki	16	3	23	30	p
Mangxi	18	10	23	51	p
LEAOTUNG Regionis Loca.					
Urbs Metropolitana.					
LEaoyang	5	33	39	30	o
Ycheu ⊙	3	32	40	14	o
C'aiyuen	6	15	39	46	o
Quangning	4	4	39	44	o
Ningyuen	2	38	40	26	o
Kingcheu	3	8	40	10	o
Caicheu	5	24	38	7	o
Ningyuen ⊙	2	55	40	13	o
Tuxun	6	8	39	56	o
Kincheu ⊙	4	55	38	38	o
Focheu	4	46	39	23	o
Haicheu	5	10	38	35	o
Loca Minora.					
TIeling	5	48	39	12	o
Liúxun	4	37	38	30	o
Chekiao	3	17	39	43	o
Chehai	2	54	39	38	o
Chungcu	4	25	39	44	o
Puho	4	5	39	48	o
Quangning	2	33	40	4	o
Tingleao	5	20	39	44	o
Ganlo	5	32	38	56	o
Pieyang	5	47	38	44	o
Sanuan	6	5	39	20	o
Tanyang	4	50	39	50	o
Fortalitia Minora.					
CHungtun	3	52	40	15	o
Cientun	4	15	40	10	o
Quangning-chung	4	5	40	2	o
Quangninço	3	50	40	14	o
Qangningyeu	4	23	39	57	o
Quangningheu-tun	3	53	39	44	o
Quangningyeu-tun	4	33	39	40	o
COREÆ *Regni Provinciæ Octo, quarum nomina ſunt ſequentia*					
REgia Kingki	7	40	38	0	o
Hienking	8	20	39	20	o
Pinggan	6	50	39	0	o
Kiangyuen	8	30	38	20	o
Kingxang	8	15	37	15	o
Hanghai	6	45	37	30	o
Chungcing	6	30	36	30	o
Ciuenlo	7	25	36	0	o


F I N I S.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM
HUIUS ATLANTIS.



DE REGNO CATAYO ADDITAMENTVM.

JACOBVS GOLIVS LECTORI.



Eniam facile dabis, benigne & curioſe Lector, quod impletæ eximii Operis menſuræ hoc, quod vides, corollarium adjiciatur aliena manu: quippe rem ipſam per ſe minime alienam eſſe aut vulgarem, neque, ut ſpero, lectionis tuæ ſtudio indignam cognoſces. Nam quamvis novi Atlantis hujus pagina 3 & 28 luculentis indiciis oſtenderit Auctor, intelligentiſſimus Martinius, Catayos ſive Cathæos, de quibus diu multumque antehac diſceptatum fuit, num alicubi terrarum, atque ubinam exiſtant, & celeberrimos Sinas ſolo duntaxat nomine, ſive ejuſdem regni populive ſedibus differre; unum tamen inſuper, quod non levioris ſit momenti, exquiſitis judiciis deſiderari poſſet argumentum, quo amborum linguam & uſitatos maxime ab omni ævo mores etiam convenire perſpicuum fiat. Cujus rei ſimul utriuſque exempla evidentia, & indubitata teſtimonia, ut proferri intelligebat idem Auctor, haud ſecus ac nuncio quodam optatiſſimo mirifice lætatus fuit. Atque inter mirabiles, quos varios expertus eſſet, caſus, hoc quoque haud immerito reputare videbatur, quæſitum ad extremos, ubi revera ſitum erat, Orientis terminos Catayum; in Occidentis parte inde remotiſſima quaſi, non minus certò deprehenſum eſſe fortuito Belgæ congreſſu, quam ſuſceptis, in eum etiam præcipue finem, peregrinationibus explorari potuiſſet. Atque hoc ipſum tanti viſum fuit, ut omnibus talium rerum ſtudioſis communicandum judicaret: quin ſi ejus ad ipſum Atlantem acceſſio fieret, ita illi futurum ornamento, ut & lectori ejuſdem peculiari foret uſui ac voluptati. Quod cum alienis potius verbis, ceu teſtimonio quodam, faciendum videretur, & vix alterius quam meis fieri poſſet, qui & occaſionem & materiam non ita obviam mea ſponte præbuiſſem, ſimulque ad eam, quam excolendam nactus ſim, Spartam pertineret; tum ingenuitas ipſa & humanitas, tum veritatis illuſtrandæ amor non perſuaſerunt tantum, ſed quodam etiam jure ſuo flagitarunt, ne bono publico tantillum officii denegarem. præſertim poſtquam V. Cl. qui hoc benevole etiam expeteret, non potiorem modo contuliſſet partem; ſed multa alia quæ ſcire voluiſſem, ex eodem rariſſimæ ſcientiæ penu liberaliter mihi impertiiſſet. Et quis ei rei oportunior poterat concedi locus, ut in territorium ſuum aſſeri & poſtliminio vindicari poſſent Cathæi, quam ubi totum illud (alio quanquam nomine, ob quod excluſi videantur,) limitibus ſuis & comprehenſis partibus accuratiſſime jam deſcriptum eſſet? Hoc itaque quicquid eſt, ingenuorum æquanimitate fretus, deſiderati Atlantis in lucem prodituri ſyrmati ſubjungendum permitto. Licet autem fimbriæ velut loco futurum, non purpura vel auro fulgeat, neque ullo artificio conſtet; non dubito tamen, quin tibi, candide Lector, ſimplicis materiæ ſuopte pretio, & vel ſola quam ibi ſpectabis ſymmetria commendare ſe & placere poſſit. Sed rei occaſionem ipſam & miri caſus hiſtoriam paucis prænarrari ante, operæ pretium & forſan non ingratum fuerit.

Cum ſub initium proximæ æſtatis fama increbuiſſet, multiplici ſcientia virum, eaque rara & inaudita, quam inter Sinenſes plurium annorum conſuetudine acquiſiviſſet, navibus noſtris ex India Orientali delatum in haſce veniſſe oras; equidem videndi ejus & compellandi cupido me haud mediocris inceſſit, ut rerum Sinicarum expetita dudum cognitione aliqua augeri

poſſem, & aliquem linguæ guſtum atque ea principia delibare, ad quæ cumprimis opus eſſet peritiæ iſtiuſmodi & vivæ vocis præſidio. Ea quoque me impellebat cauſa, quod librorum Sinenſium ſupellectilem poſſiderem non ita exiguam; de quibus non aliquid, & vix ipſos apices mihi eſſe perſpectos, ſæpenumero dolebam. Quamvis enim cum variis Orientis gentibus, quæ eruditionem & animi cultum in honore habent, in Aſia verſari atque conferre licuiſſet; nunquam tamen cujuſquam Sinice docti copia mihi data erat. Vt autem ea, quæ nunc daretur, aliquatenus frui poſſem, expectandum eſſe putavi operæ finem, quam edendo Atlanti ſuo Auctor deſtinaſſet. Futurum enim ſperabam, ut ſi quid forte otii ſupereſſet, partem ejus à levato ac liberiori animo facilius mihi impetrarem. Sed vix dum laboris metam contigerat, cum in Brabantiam reditum pararet, acceleraturus quod porro in Italiam haberet iter. Itaque tota ſpes mihi reliqua fuit in exigui temporis mora, quam illius per noſtram urbem tranſitus, quem futurum acceperam, permittere forſan poſſet. De ea vero opportunitate, jam offerente ſe, ut certior eſſem factus, invigilandum equidem putavi, ne ea ſine aliquo ſaltem expectationis meæ fructu dilaberetur. Quamprimum acceſſi, perhumaniter exceptus, ex paucis dictis & reſponſis facile perſpexi, de inſignibus Viri dotibus minime vanam aut fallacem fuiſſe famam, qua ad indaginis deſideratæ & propoſitæ ſtudium, atque diligentiam excitus eſſem.

Cum autem in tam præcipiti occaſione feſtinandum viderem, & quæſitorum delectu utendum; inter cætera forte aliquid de Cathæis in mentem incidit, de quibus dudum me tenuerat dubitatio, iidemne cum Sinis, an vero diverſi recenſeri deberent. Quanquam enim in meis ad Alfraganum notis eorum ſententiæ ſubſcripſiſſem, qui Pauli Veneti ætate, & poſtea, Sinenſis imperii partem, in primis Borealem, Catayi nomine appellatam exiſtimarent; tamen inveſtigatione dignum videbatur, an non Cathæi ſint gens Scythica quædam, proprium quorum regnum extra Sinarum terminos & magnum murum conſiſtat, lingua ſua & moribus ab ipſis Sinis diſtincti: qui horum occupato regno ſuum impoſuiſſent nomen, ut ita ejus domini terrarum ubique agnoſcerentur. Quod in aliis quoque Orbis partibus factum eſſe, obviis exemplis demonſtrari poſſet. Recordabar quidem, mihi in Orienti degenti inter Arabes, Perſas, & Turcas, ſæpe auditas eſſe haſce voces, مسك خطاي & چا خطاي *Muſcus Cathaïcus*, & *Cha Cathaïcum*, illud præſtantiſſimi odoramenti, hoc herbæ laudatiſſimæ genus, Atlantis pag. 107 & 108 deſcriptum; quæ tamen in Sina provenire, atque inde quoquoverſum deportari, ipſa experientia docet: quemadmodum iiſdem gentibus etiam non raro صيني *Sinica* dici ſolent. Nihilominus fieri poſſe cogitabam, res illas Sinicas etiamnum propterea Cathæorum nomine inſigniri, quia primum ex Sina ad Cathæos, forte Tartaros inde expulſos, atque ab hiſce ad alios populos pertingant; vel quia, ut ante dixi, idem Cathaï nomen Sinenſi regno olim inditum, etiam hodie pervulgato more attribuatur. Cui dubitantis animi incertitudini feliciter occurri poſſe hac data commoditate in animum inducebam: ſi nempe de Tartaris, qui regnum Sinenſe recens invaſiſſent, atque olim idem tenuiſſe perhibentur, quædam paulo diligentius diſquiri contingeret, & quæſtionibus propoſitis quæ ad eorundem linguam rituſque ſpectant, cum ſimilibus rebus Sinenſibus conferri.

Huic fini, atque tentando huic conſilio, materiam ſatis amplam & idoneam ſuppeditabat Perſa quidam, nomine Naſirodinus, patria Thuſæus, Philoſophus & Mathematicus ſcriptis toto Oriente clarus; ex cujus etiam emendatione, additis ſcholiis, Euclidis elementa Arabice excuſa fuerunt Romæ. Hic cum inter Tartaros illos viveret, qui duce Ulaco Cân Aſſyriam anno Chriſti 1255 occuparant, plurima ſcrutando de Cathæorum rebus didicerat: quin una cum Tartaris, qui eoſdem ſibi tunc temporis ſubditos habebant, eo uſque fuiſſe profectus videtur. Extabant apud nos inter alia Philoſophi illius tabulæ Aſtronomicæ MSS. à me Conſtantinopoli allatæ, in quibus Perſico idiomate accurate expoſita erat tota temporis putandi ratio, qua Cathæi familiariter ac publice utuntur; ubi omnia Cathaïcæ linguæ, ut teſtatur ſcriptor ille, genuinis vocibus expreſſa erant. Hinc ad verbum exſcripta fuerunt, quæ de eadem re ex Ulug Begi traditione Cl. Iohannes Gravius, Anglus, auditor quondam meus, immatura morte Reip. literariæ nunc ereptus, publicavit abhinc quadriennium, Epocharum celebriorum nomine inſcripto. Quem librum etiam allego propterea, ut cuique liceat, ſi libet, eorum de quibus

acturi sumus, ibidem testimonia videre. Quænam proposito isti meo, de quo dixi, materia comparata magis poterat videri, super qua cum tam eximia cognitione atque industria viro, M. Martinio verba conferrem, perquisiturus num ex Sinensi forte regno, eodemque nunc Tartarico, similia pro curioso studio suo retulisset, per quæ evidentius & certius, quam antehac datum esset, Cathæi per idioma suum & mores dignosci possent? Quippe ut temporum usu vix quicquam est antiquius; ita & quæ primitus imposita iis fuerint nomina, tenacius servari solent.

Primo itaque rem experiri visum fuit in Cathæorum duodecim horis, in quas diem civilem ab illis distribui, Nasirodinus scribit: qui & singulas suo Cathaicæ linguæ nomine insignitas, Persicis sive Arabicis literis repræsentat. Vix tertium protuleram nomen, cum ab attento Viro ut vicissim ego paululum conticescerem rogatus, reliqua tanquam familiarissima ex Sinarum lingua & usu prosequentem ordine & recitantem audivi; omnia prorsus consona & eadem cum iis, quæ Nasirodinus Persa suis literis exarasset. Deinde alterum facturus periculum, quæstionem proposui de viginti quatuor partibus, in quas annum tropicum à Cathæis dividi prodidit author. Ubi eodem plane modo compertum fuit, Cathæorum & Sinarum res, & voces inter se ad amussim quadrare: atque insuper quid pro diversis anni tempestatibus voces illæ, idiomati Cathæo adscriptæ significarent, ex ipsa Sinensium lingua idem Martinius facillime expedivit. Quarum quidem rerum, quas ego ex Persa de Cathæis, ille ex familiari cognitione de Sinis, nihil ibi Tartaricum agnoscens, in medium contuleramus, ille idiomatis Persici, ego Sinici ignarus, æqualis per omnia symphonia utrumque nostrum, & alios, qui forte aderant, magna ac simul jucunda affecit admiratione. Non poterat tamen non molestum accidere utrique nostrum, pleniori harum rerum tractatione ob illam temporis angustiam nos excludi. Nihilominus is visus fuit vel breviculi hujus & interrupti colloquii fructus, qui mereretur ex privato publicus fieri communi literarum bono.

Ego vero apud animum perpendens, quantum lucis mihi, idque temporis momento pene, ab ejus Viri peritia in abditæ scientiæ caligine affulsisset, quocunque conatu agendum duxi, ne tam opportunæ, eique rarissimæ, cui par nulla deinceps speranda foret, occasioni deessem. Quapropter monitus nec eam votis defuturam aut desideriis meis, si Antverpiam venire non gravarer, ubi circiter octiduum præstantissimo eidem Viro, quem conventum vellem, subsistendum esset, felicibus auspiciis & velut pernicibus alis illuc contendi. Ubi non minus, quam ante expertus fueram, literario instituto meo fautrix sese pandit humanitas. Ita quidem, ut quæ pro brevi temporis spatio præcipue investigare optassem, tum habitis sermonibus, tum librorum Sinicorum juvenisque Sinæ, minime illiterati, facta copia, mihi visus sim omnino aut magna ex parte esse consecutus. Ac licet Ipse, cui totum hoc acceptum referri oportet, discessum Antverpia, & se longinquiori itineri adornans, vix otii quid reliquum haberet; non piguit tamen ad ea, quæ de Cathæorum temporibus scripto indicassem, ex similibus Sinarum libris scripto pariter reponere proprias earundem rerum notas, & ex linguæ Sinicæ usu, quæ Mandarina Lusitanis dicta totique imperio est communis, spectantes eo cum significatis suis appellationes. Nec etiam sinunt me comites Musarum Gratiæ silere hoc loco, quas pro benevolentia singulari debeo gratias magnifico & nobilissimo viro, D. Iacobo Edelherio, Syndico inclytæ Urbis: qui me nunquam ante visum sibi nec forte cognitum, ad egregiæ domus suæ Sinense musæum, multiplici rerum varietate instructum, ultro & liberaliter invitavit; ubi & raro spectaculo oculos, & docta P. Martinii interpretatione animum, pascere atque oblectare possem. Deinde & in suburbanam villam suam, alterum velut Tusculanum, me deduxit; ubi extra interpellationes omnes, in convivali mensa, deambulatione jucunda, totaque amœna via, res nunquam ante perceptas de Sinensi regno uberius exquirere atque intelligere liceret.

Ex Brabantia domum reversus, quæcunque de Sinarum Kalendario inter alia didicissem, cœpi diligentius cum iis conferre, quæ à Mathematico Persa de Cathæorum temporibus prodita fuerunt. Quam exacte autem utrinque respondeant inter sese consentiantque omnia, ex iis, quæ nunc sigillatim recensuri sumus, quam manifestissime liquebit. Ubi primum ob oculos ponentur Sinarum proprii characteres, quibus propositi nobis argumenti res signare solent. Tum proxime sequentur earundem rerum nomina, quæ esse Catayica traduntur;

duntur; prout literis ea Persicis exaravit noster Persa. Deinde comparandæ subjicientur ipsæ Sinicæ voces literis Latinis scriptæ; una cum accentibus suis, quos ante LX annos eruditi quidam & solertes ex Europa viri in Sina multo studio excogitarunt, ut elocutionis Sinicæ per quam subtiles differentiæ distingui possent. Atque ita ab expertissimis linguæ hominibus expressæ eædem voces, simul indicabunt, quomodo & ipsæ Catayicæ quam optime sint enuntiandæ: ut quas tam accurate exprimere ubique nequivit minus peritus Persa; felix tamen & laudandus, quod in re difficili & ambigua quàm proxime attigerit ipsum veri punctum. Quare de tota ista notatione, studiose Lector, paucis ita habe. Primo quidem, nos hic de rebus Sinicis agentes imitari Sinicum scribendi morem; sive pingendi potius, quia non calamis utuntur Sinæ, sed penicillis: ubi si notarum regulæ ordinesve debeant esse plures, à summo paginæ ad imum singuli descendunt, & à dextra ad sinistram prioribus posteriores succedunt. quo etiam modo notas suas sæpius pingunt Sinæ, ubi duntaxat ordo unus est, solitarius & singularis; quanquam & altera quoque ibi ratio obtineat, quam deorsum ducere diximus. Et ad hasce quidem leges laterculis sequentibus inscribentur non Sinicæ tantum notæ, sed etiam subjunctæ iis exoticæ voces ipsæ.

Deinde ut parilis utrobique, in Atlante atque hac Appendicula, peregrinorum nominum lectio servaretur, eadem hic consonantes potestate usurpavi, qua illic adhibuit Author, & prout ab ipso pag. 171 monitum fuit. Atque ita hic ubique H efferendum Lusitanico more, sicuti aliis CH, & suum ح Arabibus & Persis sonat; quam nos extra Sinicas voces fere per C', uti simplex H per' notamus. I & Y meras consonantes valent: V quodam modo و Arabum, & W Germanorum consonat, sed non ita crasse ex gutture aut pleno ore. Denique A O diphthongus est, cum Lusitanis ut A U pronuncianda: & ON fere ad sonum AN accedit. Quam autem vim & usum habeant accentus, ipsa quasi indicat forma ac situs. Nam cum signo - vox directe & æquabiliter se protendit; cum ˋ fortius deorsum defigitur; & contra cum ˊ liberius effert se & assurgit, qualis fere vox est interrogantis. Præterea ˆ nota soni est per palatum superius protrahendi & tanquam volvendi; at ˆ contraria fere via contrahendi & abrumpendi. Signum ᶜ ut literis alibi, ita hic quoque accentibus aliis fortem adspirationem addit. Denique si . (sc. punctum) vocali adscriptum occurrat præter morem; cum vocali quidem u & i, indicat sibilum ac velut crispans quid immissendum esse: tumque simul u vergit ad sonum; & i u contrario ad sonum u. Cum vocali autem o vel e positum punctum, arguit eam ut ω vel η, sed obscure & clauso quasi ore esse extundendam. Atque hæc quidem prout brevi ipse tempore assequi potuerim, dicta sunto.

Hisce præmissis, nunc quidem initium fiat à nycthemeri sive diei civilis duodecim Horis, de quibus primam à me quæstionem propositam fuisse dixi. Earundem characteres Sinici sunt ipsa signa illa, quæ apud Sinas interdiu, suo quæque tempore, tabulæ inscripta in turribus publico conspectui exponuntur sesquipedali forma & auro splendida; ita uti in Atlante pag. 12 & 111 rem pluribus descriptam videre licet. Ad hunc vero modum se habent

DUODECIM HORÆ

Catayorum sive Sinarum.

XII	XI	X	IX	VIII	VII	VI	V	IV	III	II	I	
亥	戌	酉	申	未	午	巳	辰	卯	寅	丑	子	*Characteres Sinici.*
حاي	سيو	يوو	شن	وي	وو	صر	جن	ماو	يم	چيو	ژو	*Nomina Catayica.*
Haì	Sio̊	yeù	Xīn	Vi̊	V̀	Sú	Xi̊n	Maò	yìn	Ch'eù	Çů	*Nomina Sinica.*
10 & 11,	8 & 9,	6 & 7,	4 & 5,	2 & 3,	12 & 1, Meridies.	10 & 11,	8 & 9,	6 & 7,	4 & 5,	2 & 3,	12 & 1, Media nox.	*Horæ nostræ.*

Nomen III Catayicum in fine م habet, quia & ad eum sonum vergit litera n in ipsa voce Sinica yìn. Ita nomen Catayicum VI definit in ر, ad exprimendum sibilum, quem voci Sinicæ Sú convenire arguit adscriptum punctum. VII vox وو eadem est cum V̀, quia hæc sonum inter Où & Voù habet. Vocum autem IX & V, Xīn & Xi̊n diversas pronunciationes, literarum ش & ج diversitate idem Persa discrevit.

Estque

Eſtque Cathæis alter cyclus, partium & nominum decem: quas illi کان & Sinæ quoque Can, id eſt, *Radices* ſive *Cardines*, appellant, atque hoc charactere 干 pingunt. Nomina ipſa nihil hic, niſi pro ſequenti compoſitione, valent. Sunt autem

DECEM CARDINES SEV RADICES:

X	IX	VIII	VII	VI	V	IV	III	II	I	
癸	壬	辛	庚	己	戊	丁	丙	乙	甲	*Caracteres Sinici.*
كوي	ژم	سن	كن	كي	وو	تين	پين	يي	كا	*Nomina Catayica.*
Queì	Gín	Sīn	Kēn	Kì	Vů	Tīng	Pìng	yì	Kiå	*Sinica Nomina.*

Cum vero cyclum hunc cum præcedenti duodeno componunt, alius inde exurgit annorum cyclus nempe ſexagenus: ad quem non dies tantum ſuos denumerant Cathæi, atque ſeptimanæ vicem explent, Naſirodino teſte; ſed in quo præcipue, & quidem vulgatiſſimo atque antiquiſſimo uſu, ſupputant Solares annos. Ipſoſque per illa compoſita ſua nomina, velut propria, diſtinguunt. Hujuſmodi autem totus ille eſt

ANNORVM SEXAGINTA CYCLVS.

Nomina Sinica.	Nomina Catayica.	Notæ Sinicæ.	Num. annor.	Nomina Sinica.	Nomina Catayica.	Notæ Sinicæ.	Num. annor.	Nomina Sinica.	Nomina Catayica.	Notæ Sinicæ.	Num. annor.
Kiå-xi̊n	كاجن	辰甲	41	Kiå-xīn	كاشن	甲申	21	Kiå-çů	كا ژو	子甲	1
yì-sú	يي صز	巳乙	42	yì-yeù	يي يو	酉乙	22	yì-ch'eù	يي چيو	丑乙	2
Pìng-v'	پين وو	午丙	43	Pìng-sio̊	پين سيو	戌丙	23	Pìng-yìn	پين يم	寅丙	3
Tīng-vi̊	تين وي	未丁	44	Tīng-haì	تين خاي	亥丁	24	Tīng-maò	تين ماو	卯丁	4
Vů-xīn	وو شن	申戊	45	Vů-çů	وو ژو	子戊	25	Vů-xi̊n	وو جن	辰戊	5
Kì-yeù	كي يو	酉己	46	Kì-ch'eù	كي چيو	丑己	26	Kì-sú	كي صز	巳己	6
Kēn-sio̊	كن سيو	庚戊	47	Kēn-yìn	كن يم	寅庚	27	Kēn-v'	كن وو	午庚	7
Sīn-haì	سن حاي	亥辛	48	Sīn-maò	سن ماو	卯辛	28	Sīn-vi̊	سن وي	未辛	8
Gín-çů	ژم ژو	子壬	49	Gín-xi̊n	ژم جن	辰壬	29	Gín-xīn	ژم شن	甲壬	9
Queì-ch'eù	كوي چيو	丑癸	50	Queì-sú	كوي صز	巳癸	30	Queì-yeù	كوي يو	酉癸	10
Kiå-yìn	كايم	寅甲	51	Kiå-v'	كاوو	午甲	31	Kiå-sio̊	كاسيو	戌甲	11
yì-maò	يي ماو	卯乙	52	yì-vi̊	يي وي	未乙	32	yì-haì	يي خاي	亥乙	12
Pìng-xi̊n	پين جن	辰丙	53	Pìng-xīn	پين شن	甲丙	33	Pìng-çů	پين ژو	子丙	13
Tīng-sú	تين صز	巳丁	54	Tīng-yeù	تين يو	酉丁	34	Tīng-ch'eù	تين چيو	丑丁	14
Vů-v'	وووو	午戊	55	Vů-sio̊	وو سيو	戌戊	35	Vů-yìn	وو يم	寅戊	15
Kì-vi̊	كي وي	未己	56	Kì-haì	كي خاي	亥己	36	Kì-maò	كي ماو	卯己	16
Kēn-xīn	كن شن	申庚	57	Kēn-çů	كن ژو	子庚	37	Kēn-xi̊n	كن جن	辰庚	17
Sīn-yeù	سن يو	酉辛	58	Sīn-ch'eù	سن چيو	丑辛	38	Sīn-sú	سن صز	巳辛	18
Gín-sio̊	ژم سيو	戌壬	59	Gín-yìn	ژم يم	寅壬	39	Gín-v'	ژم وو	午壬	19
Queì-haì	كوي خاي	亥癸	60	Queì-maò	كوي ماو	卯癸	40	Queì-vi̊	كوي وي	未癸	20

Hexecontaeridos hujus auctor, ſive invenerit ipſe, ſive ab aliis inventam ſua auctoritate ſanxerit obſervandam, fuit rex Sinarum Hoang Sius; qui 2670 ante Chri-

ſtum annis vixit. Quod ex Sinenſium annalibus me doctiſſimus docuit Martinius.

Et quidem eundem cyclum, quem Cathæi ون, Sinæ Vĕn vocitant, & ita 文 pingunt, Cathæi ternis nominibus pro triplici ordine diſtinguunt: ſcilicet ſuperiorem, medium & imum deſignant. Primus Cathæis شانك ون, Sinis Xáng Vĕn 文下, id eſt, *Superior compoſitio*; alter Cathæis چونك ون, Sinis Chúng Vĕn, 文中: *Media compoſitio*; tertius Cathæis خا ون Sinis Hiá Vĕn 文上, *Inferior compoſitio* dicitur. Atque ita centum & octoginta annis confectis, ad primum computi initium revertuntur.

Cæterum utrique genti, Cathæis & Sinis, in cyclo quovis anni Solares tropici uſurpantur, ab ingreſſu Solis in decimum quintum Aquarii gradum. Atque in hoc anni cujuſque capite ſimul conſtituunt illi principium ſui veris; ut in decimo quinto gradu Tauri initium æſtatis; atque poſt æqualia intervalla duas anni tempeſtates reliquas. Sed ſingulas præterea dividunt in ſenas æquales partes; ut, naturæ quaſi ductum ſecuti, ibi ſpectaſſe videantur principium, medium ac finem, unumquodque iterum bipartientes. Atque ita totus annus diſtribuitur in viginti quatuor æquales partes ſive particulares tempeſtates, & in cœlo Zodiacus iiſdem nominibus in totidem ſigna; nominibus, inquam, deſumptis à temporum qualitate atque mutatione: ita ut ſit parapegma quoddam. Suntque, ut vides, ſegmenta numero dupla noſtris; & principia illorum mediis noſtrorum reſpondent. Partium illarum ſigna Sinica, & appellationes Catayicæ & Sinicæ, una cum ſignificatis ſuis, ex Sinenſium lingua petitis, ſequenti tabula continentur:

XXIV PARTES ANNI.

Significata.	Nomina Sinica.	Nomina Catayica.	Notæ Sinicæ.	Num.	Significata.	Nomina Sinica.	Nomina Catayica.	Notæ Sinicæ.	Num.
Elevatio autumni	Liĕ-çĭeū	ليجوو	秋立	13	*Elevatio veris*	Liĕ-ch'ūn	ليچن	春立	1
Quies caloris	Ch'ŭ-xù	چيو شو	暑處	14	*Pluviæ aqua*	yù-xuì	وو شي	水雨	2
Albus ros	Pĕ-lú	پيلو	露白	15	*Motus reptilium*	King-chĕ	كينچه	蟄驚	3
Autumni pars	Çieū-fuén	سيو فن	分秋	16	*Veris pars*	Ch'ūn fuén	شون فوند	分春	4
Frigidus ros	Hán-lú	خنلو	露寒	17	*Limpida claritas*	Çīng-mĭng	شينك مينك	明清	5
Pruinæ deſcenſus	Xoāng-kiāng	شونكون	降霜	18	*Frugum pluvia*	Cŏ-yù	كو وو	雨穀	6
Elevatio hyemis	Liĕ-tūng	ليتون	冬立	19	*Elevatio æſtatis*	Liĕ-hiá	ليخه	夏立	7
Parva nix	Siaò-ſiuĕ	سياو شه	雪小	20	*Parva repletio*	Siaò muòn	شيو من	滿小	8
Magna nix	Tá-ſiuĕ	دايشه	雪大	21	*Herbarũ ſemina*	Máng-chŭng	منچن	種芒	9
Hyemis ſtatio	Tūng-chí	دونچي	至冬	22	*Æſtatis ſtatio*	Hiá-chí	خا چي	至夏	10
Parvum frigus	Siaò-hán	شيوخن	寒小	23	*Parvus calor*	Siaò-xù	سياو سو	暑小	11
Magnum frigus	Tá-hán	دايخن	寒大	24	*Magnus calor*	Tá-xù	دايسو	暑大	12

Num. 2, in Catayico eſt Vu, in Sinico Yù: diſcrimen exiguum, ſive à librario, ſive à male percepta elatione: tum & ipſis Sinis Vú eſt *nebula*, pluviæ utcunque affinis. Idem habendum eſt de vocibus Catayicis num. 4 & 10, nempe شون & شا: quas pro چون ſeu چن, & خا ſeu خه perperam eſſe ſcriptas, ex iis, quæ hiſce reſpondent num. 1 & 7, ipſiſque ſignificatis liquido apparet. Ita num. 22. ن irrepſit pro ي, litera non multum diſſimilis figuræ. Tribus locis, num. 12, 21, 24, Catayice Dai ſcribitur, quod Sinice Ta exprimitur: ſed etiam Tai pro Ta, T inclinante ad D, Sinis quàm maxime familiare eſt; ita ut revera hic debeat nulla cenſeri differentia.

Certe huc facere videtur, & commode hinc exponi poſſe, quod Curtius lib. VIII. de Indiæ, ſcilicet late ſumptæ, ut & ipſos ſæpe Sinas comprehendit, quibuſdam populis ſcribit: *Menſes in quinos denos deſcripſerunt dies. Anni plena ſpatia ſervantur.*

Quartum

Quartum etiam, tradente Nasirodino, cyclum Cathæi habent, quo ex Astrologorum mente utuntur in eligendis ad consilia & opera, vel vitandis diebus: atque eum pariter ac primum duodenarium fecerunt. Cujus characteres Sinici, nomina Catayica Sinicaque, & ipsæ eorundem significationes sese habent ad hunc modum:

XII DIES ELECTIONIS.

Significata.	*Nomina Sinica.*	*Nomina Catayica.*	*Notæ Sinicæ.*	*Num.*	*Significata.*	*Nomina Sinica.*	*Nomina Catayica.*	*Notæ Sinicæ.*	*Num.*	*Significata.*	*Nomina Sinica.*	*Nomina Catayica.*	*Notæ Sinicæ.*	*Num.*
Perficere	Chíng	چن	成	9	*Stabilire*	Tīng	تن	定	5	*Elevare*	Kién	كن	建	1
Recipere	Xeú	شيو	收	10	*Servire*	Chĕ	چه	執	6	*Partiri*	C'hû	چو	除	2
Aperire	C'āi	خاي	開	11	*Frangere*	P'ō	پو	破	7	*Replere*	Muón	مں	滿	3
Claudere	Pí	پي	閉	12	*Periclitari*	Vî	وي	危	8	*Æquare*	P'īng	پن	平	4

Ex duodecim diebus illis, eodem auctore teste, quatuor Cathæis خي He, nempe *Nigri* sunt, & infausti habentur; quatuor خونك Hoang, hoc est, *Flavi*, qui boni quid promittunt & fausti: tum & duo په Pe, id est, *Candidi*, & felicissimi sunt; & duo هون Hoen, *Fusci & obscuri*, atque infelicissimi censentur. At certo certius est, easdem hasce voces, non minus quam earundem Characteres, Hĕ 黑, Hoâng, 黄, Pĕ 白, & Hoēn 昏, sua origine prorsus Sinicas esse, quibus isti colores denotantur. De ultima duntaxat, an illa vel quæ alia sit hoc usu recepta, dubitari possit: nam super ea peritissimum Virum consulere, per incuriam supersedi.

In quatuor hisce cyclis, trium generum nomina sese offerunt Cathaïca. Quibusdam additum fuit à Nasirodino, quid lingua Catheorum notent: aliis verò à P. Martinio duntaxat adscriptum est, quid Sinice valeant. Utraque hæc communia sunt nomina, quæ Appellativa nuncupant. Cætera denique velut propria existunt, ad significandas ipsas Horas, & ipsos Annos imposita. Prima ad secundi & quarti cycli explicationem pertinent: illius quidem sunt Ven, Xáng, Chúng, Hiá; hujus autem Hĕ, Hoâng, Pĕ, Hoen: quæ Cathæis sonant, inquit Nasirodinus, priori loco *Compositio, Superior, Media, Inferior*; altero *Niger, Flavus, Albus, Fuscus*. At nihil verius est, quam hasce ipsas voces omnes origine & usu prorsus Sinenses esse. Secundi ordinis sunt nomina illa, quibus in cyclo tertio definiuntur Tempestates anni: quorum significata Nasirodino incognita, aut saltem non memorata, non nisi à Sinis peti posse, evidenter liquet. Tantum de harum vocum tertia Kīng-che monendum existimo, significationem ejus *Motus reptilium*, aut quę verior sit, à Cl. Martinio forte omissam, ex mea hic appositam esse conjectura: quod in Glossario Sinensi meo repererim, hanc eandem Sinicam notam 蟄 vocemque Chĕ designare *Reptilia & insecta*, & vocem Kīng cum sua nota 驚 *Turbari & commoveri*. Ignoscent doctiores, si me conjectura fallat. Ultimi generis nomina in duobus primis cyclis leguntur, omnem citra interpretationem; quia per se ipsis illis temporibus signandis inserviunt peculiari instituto & usu. Denotant quidem eædem voces etiam alia; sed quæ nihil faciant ad rem præsentem. Etenim, quemadmodum & ipse Atlas docet, quò pauciores reperire est in lingua Sinensi dictiones; eo singularum ferme plura sunt cum Characteribus suis significata.

Sane eidem linguæ hoc contingit singulare prorsus, & tantum non incredibile; quod omnes ejus voces non tantum monosyllabæ sint, nullis generum, numerorum, inflexionum differentiis Grammaticis obnoxiæ; sed quoque plurimæ adeo inter se affines, ut non nisi tenuissimo, & vix aliis populis perceptibili, elocutionis discrimine distinguantur: Ex. gr. simplex admodum hæc monosyllaba Ko, Sinarum ore pronunciatur vel decem modis: Kō, Kò, Kó, Ko̊, Kô, Kŏ, K'ō, K'ò, K'ó, K'ŏ, K'ŏ: non unam importante unoquoque significationem, cui sua fere semper propria sit nota, ab aliis omnibus diversa. Ita ut linguam hanc non tam ex incidentium rerum necessitate natam, quàm præmeditata arte effictam atque institutam quis dixerit.

Omnia hæc igitur attributa Cathaïcæ linguæ vocabula mere esse Sinica, aperte constat, duoque illa nomina esse unius ejusdemque gentis: quod non magis mirum est aut insolens, quàm linguis diversis rem quamcunque diversimode vocitari. Si enim duæ nationes illæ diversæ essent, utique diversis quoque vocibus, nempe vernaculis,

culis,ea,quæ ante memorata ſunt, appellaſſent. Sic ruſtici Sinenſes, ut D. Martinius teſtatur,& Nomades Turcæ, Scythæve, ut Naſirodinus & alii, in cyclo duodeno per Animalium nomina(eorundem quidem,ſed pro utroque idiomate diverſa,) computant diei horas, ipſoſque dies,& ſuos annos. Et quidem iſtorum temporum, præſertim annorum, cuique ſuam qualitatem & apoteleſma adſcribunt, juxta dominantis animalis naturam. Sunt autem(ut hoc quoque adjiciam) horarum,dierum, & annorum apud ambos initia eadem, quæ aliis Sinis ſive Cathæis uſurpari diximus. Atque hæc ſunt

Nomina Horarum, Dierum, Annorum:

XII	XI	X	IX	VIII	VII	VI	V	IV	III	II	I
Sus	*Canis*	*Gallina*	*Simia*	*Ovis*	*Equus*	*Serpens*	*Draco*	*Lepus*	*Tigris*	*Bos*	*Glis* vel *Mus*
Turcis Orientalibus,											
طونغوز	ايت	داقوق	پيچين	قوي	يوند	ييلان	لوي	طوشقان	پارس	اوط	كسكو
Dongûz	*It*	*Dakûk*	*Pichin*	*Koui*	*Yûnd*	*Yilân*	*Loui*	*Tauxkân*	*Pârs*	*Oth*	*Keſegû*
Sinenſibus,											
Chū	Keù	Kī	Heû	Yâm	Mà	Xě	Lûm	T'ú	Hù, ſeu T'û	Nieû	Xǔ

Turcicorum populorum quidam, pro primo سيجقان Sizjkân, pro ſecundo صغر Sagir, pro ſeptimo آت At, nomina alia, at eorundem animalium, uſurpant.

Sinica hæc vocabula petita ſunt ex Gloſſariis, quæ habeo, illius linguæ: ipſas vero ex iis Sinicas notas adſcribere hic ſupervacaneum duxi. Turcæ autem iſti in Kalendario Turcico, quod ab Æquinoctio verno anni Hegiræ 1036, id eſt, Chriſti 1627, qui ipſis Leporis erat, Conſtantinopoli inſtitutum editumque fuit, vocantur مغولاچين وحكماء دشت وتركان تمغاج *Mogolo-Sinæ*, *Philoſophi Solitudinis*, & *Turcæ Tamgâzj*: ſic regem Cathæorum, uti Sinarum auſtralium regem فغفور Fagfûr appellari, quidam tradunt; alii idem Tamgâzj cognomen Fagfuri eſſe: forſan à Taminga vel Tanga, regiis Sinarum familiis. Ita ut hic commode intelligi poſſint Mogoli & Turcæ, qui ipſis Sinis permiſti vivant; ſive in colonias deducti, ſive aliter recepti. Quin etiam Mogolo-Sinæ recte dici poſſunt Mogoli ipſi, ab imperio illo ſuo quod potentiſſimum tenuerunt: nam hiſce Turcicum illum annorum cyclum ſolennem eſſe & uſu pervulgatum, ex plurimis Mirc'ondi, qui Mogolicas res Perſice conſcripſit, locis manifeſtum eſt atque certiſſimum. Abſoluto autem Solitudinis nomine fere intelligi ſolet, quæ proprio قپچاق Kipchâk, & Aytono Cumania vocatur; planities nempe illa, quæ ab extremo ortu in occaſum, ſupra mare Caſpium uſque Ponti fines, ſe exporrigit longiſſimo tractu.

Hallucinantur autem plerique omnes, qui de horis anniſque Cathæorum tractarunt, exiſtimantes horarum Sinenſium nominibus, quæ antea adducta fuerunt, hæc ipſa proprie Animalia ſignificari. Atque in eo etiam errore videtur fuiſſe Naſirodinus. Cujus hanc arbitror exſtitiſſe cauſam, quod illic poſitum primæ horæ Sinicæ ſive Cathaïcæ nomen Çù, & quod hic primum eſt Xù denotans *Glirem*, tam parum differant enunciatione, ut facile imponere homini peregrino potuerint, & cenſeri unum ac idem. At plurimum inter ſe diſſident characteres ipſi: nam Çù quidem illud per 子; hoc verò Xù per 鼠 deſignatur.

Neque expoſiti computi utriuſque, Sinici & Cathaïci, duntaxat forma, voces, & ſignificata conveniunt, ita uti oſtenſum fuit; ſed etiam utrumque ipſo uſu congruere, & incidere in idem tempus, æque certò demonſtrari poteſt. Nam anno 642 Iezdagirdi, ultimi Perſarum regis, fluxiſſe Cathæis ſcribit Naſirodinus, cycli ſexagenarii annum decimum كوي يو Quèi-yèu dictum. Fuit autem ille Iezdagirdi annus, Chriſti 1273; à quo ad annum noſtrum labentem 1654, ſi abjiciantur ſexagenarii omnes, poſt eundem annum cycli decimum ſupererunt anni 21; hoc eſt, à principio cycli erunt anni 31. Itaque hoc ipſo anno Chriſti 1654, fluit annus Cathæorum triceſimus primus, qui illis dicitur كا وو Kia-v'. Eidemque rei omnino conſentaneum eſt, quod in Tabulis ſuis Ulug-Begus, Tamerlanis nepos, inquit; anno Hegiræ 847, id eſt, à nato Salvatore Chriſto 1443, iniiſſe Cathæis primum cycli ſui ſexagenarii annum كا زه Kia-çù vocatum: proſequentes calculum ad hunc præſentem uſque annum, 1654, comperiemus iiſdem Cathæis nunc labi كا وو

Kia-v',]

Kiȧ-v̀, cycli nempe trigesimum primum. At eundem ipsum hoc nostro tempore inter Sinas computari annum, recenter ab iis redux M. Martinius, & voce & scripto forte casu significaverat mihi, antequam illa duo Cathaici computi exempla apud Persicos scriptores observassem. Quæ quidem demonstratio ceu Mathematica censeri potest.

Porro si supra tres cyclos sexagenos, Summum, Medium & Imum, de quibus ante diximus, eorumve systema centum octoginta annorum, major temporis mensura requiratur; Cathæi, inquiunt Nasirodinus & Ulug-Begus, myriade sive decem millibus utuntur, quam ون Ván appellant. Sed etiam ea ipsa vox plane est Sinicæ linguæ propria, & charactere suo tali 萬 pingi solet. Quanquam vero ab imperiis suorum regum, velut particularibus epochis, sua tempora deducant; tamen & antiquissimum exordium usurpant à primo conditu rerum. Atque ita, juxta exempla ab iisdem Scriptoribus producta, hoc nostro labente anno 1654, ab eadem epocha creati Mundi supputant ultra completas ون Ván sive *Myriades* 8864, labentis 65 myriadis annum 71, qui & cycli sexag. primi, Xáng Vĕn dicti, annus est trigesimus primus Kiȧ-v̀, ut suprà. Eumque يونت Jûnd, alii آت At, EQVI nomine insignitum habent Turcæ. Nimirum, quod etiam ante dixi, primus eorum annus كسكو Kesegû, id est *Gliris*, convenit cum cycli sexagenarii Cathæorum primo Kiȧ-çù. Atque ita hinc, velut à nota epocha, omnes Turcarum anni rursum prorsum cognosci atque computari possunt.

Etenim licet Indorum & Sinarum philosophi complures Mundum esse æternum credant; non pauciores tamen, initium Mundi æque ac æternitatem ejus definire nescientes, id ipsum mythico huic ac prodigioso numero, velut incomprehensibili seu finito & infinito simili, involvisse videntur: vel quas plures contigisse Mundi periodos, Interitus atque Restitutiones, opinabantur, talibus annis magnis metiti esse. Quibus vero gentibus id facere moris sit, Ignatius, Patriarcha Iacobita, ex Mesopotamia Chaldæus, frequenter à magno Scaligero in libris de Emendatione temporum laudatus, diserte recenset in commentariolo suo, quem de Orientalium Chronologia Arabice conscripsit. At ubi auctores alii hac in re maxime celebrant Cathæos, Ignatius eorundem loco substituit Sinenses: ut eosdem esse ambos & ipse statuere videatur.

Etiamsi nunc implevisse me putem munus, quod in me recepi; addere tamen visum est, si quid forte desit ibi, supplementum aliquod, vel quo humanitati humanitas magis respondeat, auctarium etiam aliud; ut quæ de Cathæis & Tartaris in ipso Atlante occurrunt, magis illustrentur, atque ipsa rei veritas confirmetur. Principio animadversione non indignum, Cathæorum nomen inde à multa antiquitate notum fuisse & celebratum Græcis; illis præcipue, qui de rebus Alexandri scripserunt. Hunc enim perhibent in Cathæorum usque ditiones protulisse arma: quas quidem non ita Q. Curtius appellat lib. 10. sed Sophitis regnum, quod prorsus cum illis idem esse ex lib. xv Strab. haud dubie apparet; ita dictum nomine regis, ut idem inquit, qui tunc temporis Καθία, Cathayo imperabat. Id ipsum regnum optimis legibus moribusque fuisse rectum, & gentem præ cæteris sapientia excelluisse, eodem loco Curtius, & Diodorus Siculus lib. xvii tradunt. Quod vero ad situm spectat, eum auctores omnes referunt ad Indiæ fines, atque extrema cogniti eo tempore Orientis. Ptolemæus Geograph. lib. vi. cap. 15 *χαίτας*, Chætas Seris proximos Scythas esse scribit; prout hoc Scytharum nomen ad illas usque ultimas Mundi plagas protendi solet. Si verò non ita exacte rem definiverint, ac quidem requiri possit; id nemini mirum videbitur cogitanti, quid eodem libri xv loco Strabo agnoscat: *propter ignorantiam & longinquitatem nihil de illis locis certo & accurate traditum esse, sed inflatius & portentosius omnia.* Ut etiam arguunt collectanea illa, quæ de monstrosis tractuum illorum populis Plinius habet lib. vii, c. 2.

Et quemadmodum apud historicos Græcos & Latinos, qui remotiores illas res literis mandarunt, longe rarior mentio fit Sinarum; ita posteriorum temporum scriptores, Arabes & Persæ, frequentius de Sinis verba fecerunt, quam de Cathæis. Eos nempe intelligo scriptores, qui ante annum Hegiræ 600, sive 1203 Christi, h. e. antequam Tartari Mogolici in Sinense regnum incursiones fecissent. Atque hoc ipsum Sinense regnum ab auctoribus illis à principio climatis primi vix ultra fines tertii exporrectum fuit: quæ magis Borealia essent, cum vix ullo modo perspecta haberent, gentibus fere Gog & Magog, noti quidem nominis, sed alioquin incognitis, attribuerunt. Qui vero deinde post Tartarici sive Mogolici Imperii initia scripsere, quando into-

intonuiſſet Orbi magni C'âni nomen & fama, ſervatis quidem iiſdem Sinarum finibus, ſuccedentium tractuum incolas Cathæorum nomine celebrarunt: Et قتا Cata ſeu Catay, qui à Tartaris accepere, ſcribunt; unde alii خطا C'atha & C'athay fecerunt. Horum Metropolim C'ân Balek (ex quo Paulus Venetus Cambalu fecit) Abulfeda ita ſubjicit climati quarto, ut ſi inter diſcrepantes, quas de longitudine ejus & latitudine traditiones affert, medium teneamus; quàm proxime conſpirent ambæ in eundem ſitum, qui urbi Peking ex obſervationibus adſcribitur in hoc Atlante. Neque minor in ſtupenda magnitudine eſt conſenſus, ut de qua narrari ſcribit Abulfeda, quæ ſuperent omnem fidem. Sonat autem C'ân Balek ſeu Cambalu, inquit P. Venetus lib. 2, c. 10, *Civitas domini* ſive κυριόπολις; ſcilicet Mogolorum tunc imperantium lingua. Nam C'am ſive C'ân, illis *Imperator* & *Princeps* eſt; Balu vero, id eſt, Orientalium & vera elatione Balak, ex ejuſdem linguæ voce بلقصون Balakſûn deſumptum, *Civitas* eſt. Sic in Gloſſario quadrilingui, cujus mihi eſt exemplum, Arab. Perſ. Turc. & Mogolico, eadem Mogolorum vox per Arabicam بلد Beled, hoc eſt, *Vrbs*, redditur. Neque dubium, quin aliud præterea illi nomen fuerit. Nam inde ab antiquis temporibus inſignem fuiſſe, & regalem urbem idem P. Venetus ſubjungit.

Ex quibus omnibus, quæ jam diximus haud temere quis conjecturam faciat, Cathæorum nomen, uti primùm Alexandri tempore auditum fuit inter Orientis Scythicas gentes; ita & ab hiſce iiſdem una cum ipſo Tartarorum nomine iterum innotuiſſe Arabibus, Perſis, & aliis; per quos longe lateque nomen utrumque fuerit propagatum. Quod tunc temporis accidit, poſtquam Mogoli, quorum pars potior proprio nomine تتار & تتر Tatâr & Tatar (vulgo Tartari) dicebantur, nempe Scythæ extra Imaum montem degentes ortum auſtrumve verſus, reliquas nationes Scythicas, præſertim Orientales, ſub jugum miſiſſent, duce Amochtân C'ân: qui firmato imperio novum nomen Chingîz (Changius Aytono) & primus cognomen Magni C'âni adeptus fuit, circa annum Chriſti 1214. Ille leges & jura condidit, quæ Scythice ياسا Yaſa, & ياسا چنكز خان, id eſt, *Conſtitutiones Chingiz-C'anicæ* dictæ fuerunt. Haſce, velut ſacra & divina effata quædam, religioſe tutati ſunt atque obſervarunt Succeſſores omnes. Quadringentorum millium exercitum equeſtrem per myriades, chiliades, centurias atque decurias peculiari ordine inſtruxit: cujus partem alteram in ortum movere juſſit; alteram in occaſum. Et illic quidem Chinam invaſit, Machinam & Catayum; hîc verò haud multo minora geſſit, victo fugatoque præpotente C'oraſmiorum rege, Gelalodino. Inde iterum anno 1224 cum totis viribus expeditionem in Catayum ſuſcepit: at triennio pòſt extremum obiit diem, totque myriadum, quæ ſub illo perierant (vix pauciores mille numerantur) cumulo etiam ipſe ſuperadditus fuit.

Huic in imperium legibus, armis, victoriis ſtabilitum, ſucceſſit filius Okotai C'ân, qui Abrahamo Zacutho in Iuhaſin abſolute rex Cathæorum, ceu maximi regni nomine, inſcribitur. Succeſſorem habuit filium Gayung C'ân, Is ubi non multo poſt defunctus fuit, Principum ac ſummorum ducum conſenſione Mango C'ân, qui Chingiz C'ani ex filio Toli C'ân nepos erat, Univerſi (ſic ſuperbe loquuntur) Imperator evaſit. Et fratrem ſuum Ulaco C'ân cum exercitu infra Oxum in Aſſyriam miſit anno Chriſti 1255: ubi regni Muhammedici caput, urbs Bagdadum capta, fœdeque direpta, & continuata totos ſeptem dies incolarum cæde, Imperator Muſtáſemus pedibus Tartarorum contritus fuit, C'alifarum, ſive Imperatorum, Abbaſidarum xxxv, & Bagdadenſium omnium ultimus. Quod factum fuit Anno Chriſti 1258, Febr. iv.

Excidii hujus cauſa in libro Iuhaſin imputatur dicto nobis jam ſæpius Naſirodino: quippe qui ad illud Tartaro auctor extitiſſet, ut contumeliam ulciſceretur, quam, poſt alias non paucas, ob librum à ſe conſcriptum meritæ gratiæ loco retuliſſet à C'alifa. Eidem Tartarorum duci, & tunc Aſſyriæ regi, paulo poſt adornare cœpit tabulas illas Aſtronomicas, quarum jam meminimus non ſemel; ſumma illius liberalitate adjutus, non ad eas condendas tantum; ſed etiam ad ſiderum peragendas obſervationes, quibus & quinque alii Mathematici inſignes adhibiti fuerunt. Conſtitutum perficiundo operi totum duodecennium, & pro commodo loco collis quidam, ut inquit Abulfeda, extra Merâgam, celebrem Adjabenæ urbem. Interea Mango C'ân moritur, & defuncti Imperatoris locum obtinuit frater ejus minor, Coblai C'ân. Inde quadriennio fere poſt etiam princeps Ulaco C'ân vita deceſſit, & filium Abgai C'ân in occidui imperii ſive Mediæ

&

& Assyriæ partes reliquit successorem. Cujus tempore novis illis & antiquis observationibus superstructæ tabulæ Astronomicæ, quarum suprà facta mentio, ad finem sunt perductæ. Easque nomine ايلخاني Ilc'anicas (est autem Ilc'ân *Exercitus summus dux*) eidem Abgai C'ano dedicatas, Nasirodinus in lucem dedit. Ubi ante omnia rationem traditurus, qua ad plurium celebriorum gentium Epochas Tabularum suarum usus aptari posset, à Catayorum computo initium fecit: ut quod maxime illustre tunc Tartarorum imperium esset.

Post enumeratos V magnos C'anos, & summos simul Catayi reges, etiam VI eidem regno dominatus fuit Temûr C'an. Exinde gliscente inter Tartaros Muhammetismi religione, & à tantis fortunis corruptela morum, res eorum retro ferri, & dissolvi; tandemque imperium Catayo exterminatum, & extra in partes divisum fuit. Donec illud anno Christi 1384 alter Temûr C'an, nempe famosus ille Tamerlanes, occupavit; eadem stirpe cum Chingiz C'ân conjunctus. Etenim Buzengir C'ân, qui Mogolorum regum omnium sator fuit, Chingiz C'âni serie IX, Temûr Câni XIII pater erat. Hic ad occiduas inde à Mogolis, atque etiam boreales Asiæ partes, maximis potitus victoriis, & majores quoque ad ulteriora Orientis affectans, expeditionem in Catayum instruxit. Eo præsertim, uti videtur, animo & fine, ut augusta Chingiz C'âni gesta adæquare posset, & simul exstirpatam à Cathæis ejusdem familiam sua ibi defixa vindicaret, Chingiz-C'anici nominis per se cultor & observator maximus. At cum in Mogolorum confinibus, loco qui Anzâr vocatur, primarii ad eum duces, cognati, & legiones convenissent, anno Christi 1404, & ipse jam in procinctu esset ut castra moveret, ardentissimo ac fatali morbo correptus, & extinctus fuit.

Ex quibus omnibus manifestum est, non potuisse non Catayorum regnum esse perquam amplum, potens, & opulentum; cujus expugnationem nulli alteri gloria secundam duxerint duo bellicosissimi illi & maximi Imperatores. Et quia Mogolorum regnum, ubi propria velut & ab antiquo eorum sedes fuit, à Sinico regno haud ita procul absit; quinam populi Catayorum nomine indigitari possint præter ipsos Sinenses, prout peculiari hac meridionalium appellatione dici solent incolæ omnes, qui vastissimi imperii, Atlante hoc descripti, limitibus continentur? aut quid Catayum fuerit aliud, quam ditio sive pars borealior quædam Sinensis regni?

Nunc vero & illa accedant, quæ de Cathæis retulere Ioh. Carpinus, & Guiliel. Rubriquis, aliique Religiosi, qui in Tartariam atque ad ejus reges publica auctoritate missi fuere: ille quidem anno Christi 1246 à Papa Innocentio IV, hic autem anno 1253 à Galliæ rege Ludovico IX. Inter cætera ferme hæc sunt: *Catayos ad Orientis extrema Tartaris conterminos ad ipsum pertingere Oceanum Eoum. Circa hosce fines glacie constrictas aquas subinde viam præbere, qua Tartari cum tota virium inundatione irrumpant: pretiosis opibus eosdem pollere Cathæos, & exquisitæ artis opera conficere; abundare copia oryzæ, atque ex ea parare vinum.* Denique ut uno charactere rem absolvam ex ejusdem Rubriquis Itinerario, cap. 37; *Illos penicillo scribere pictorum more, & ita quidem ut in una figura plures ducere lineas videantur.*

Duobus illis scriptoribus posterior fuit M. Paulus Venetus, atque hoc ipso longe recentior Aytonus Armenus, qui Tartariam quoque, & præterea Catayum perlustrarunt. Ex horum narrationibus, præter argumenta tum paulo ante, tum in Atlante inde adducta, etiam alia ad idem propositum spectantia facile hauserit studiosus lector. Ut quod P. Venetus in lib. 2. c. 26. edit. Basil. scribit, *Per totam provinciam Cathai ex montibus erui lapides nigros, qui accensi vivum ignem retineant, & multis in locis penuriam suppleant lignorum.* & c. 27, *Invenisse se decem milliarium intervallo à Cambalu magnum fluvium in Oceanum se exonerantem, per quem naves multæ cum mercibus commearent, instratum marmoreo ponte pulcherrimo, qui trecentorum longitudine passuum, latitudine octo, arcubus seu fornicibus viginti quatuor inniteretur, sculptis leonibus superiorem marginem ornantibus*; quales pontes multi in Atlante describuntur. Item quod capite sequenti memorat *bivium quoddam, 30 circiter milliaribus ab illo fluvio ante dicto: cujus una via ducat per provinciam Cathai; altera vero in regionem Mangi mare versus.* Hæc regio vero est ماچين Machin, ad austrum & ortum vergens pars Chinæ proprie dictæ. Namque c. 53. tradit, *Provinciæ Mangi regem fuisse Facfur nomine, divitem & potentem; quo præter magnum C'an in illis regionibus nullus inveniretur major.* At in scriptis suis Arabes, Persæ, Turcæque testantur, hoc ipsum nomen Facfur (فغفور Fagfûr efferunt

runt illi) Imperatoribus Sinensibus commune esse: quo fere modo suum Ægyptiis Pharao fuit, Assyriis Calîfa, Tartaris suum Cân est. Idem tamen nomen esse exoticum credo, Scythicum aut simile, non Sinicum; quoniam à litera R Sinenses abhorrent. Unde hodieque in Oriente melioris notæ porcellana, hoc est, fictilia Sinarum vasa, *Fagfurina* dicuntur. Adde quæ de tot urbibus, mercatura, arte, ingenio incolarum florentibus, commemorat idem Auctor: quarum & nomina quædam in Fû desinere videas. Hæc syllaba autem omnino Sinica vox est, propriè *magnam urbem* notans. Ex qua syllaba aliis subnexa plurimas urbium suarum appellationes conflarunt Sinæ; uti & Græcis multisque aliis gentibus mos est. Aytonus autem libri sui cap. 1, habet, *Cathai regnum in Orbe maximum esse, divitiis & innumeris thesauris, populique multitudine, industria, sagacitate, atque admirandis operibus nulli prorsus secundum. Homines angustis oculis esse præditos, & naturaliter* quasi *carere barba. Pavidos esse ac minime audaces: & quidem mari potius victores esse, quam terra.* Et c. 2, *Regiones eorum proferre se ad principium Mundi, ultra quod nulla aliarum habitatio gentium:* minus enim tunc Iaponia nota erat. Nec non *ditissimam provinciam, quæ vocatur Sim,* procul dubio Sîn, & Sina, seu pars ejus, *habere situm inter regnum Indiæ, & regnum Cathai.* Et cap. 1, ac alibi: *Idem hoc regnum à Septentrione terminari deserto & monte Belgian: quem* cap. 17 narrat *divino velut miraculo superatum fuisse à Chingiz Can.*

Attamen Chingiz-Canicum in Catayo imperium (ut hoc quoque moneam) apud Catayos ipsos tum demum agnosci, ut videtur, & pro Æra usurpari cœpit, cum idem Catayum penitus & omnino subjugatum esset; & magni Cani legibus adeo obnoxium, ut, pretiosi licet metalli copia non deesset, non alia quam papyracea uti liceret moneta; quæ omne pretium haberet à solo Imperatoris impresso sigillo. Qua de re vide sis Aytonum, c. 1; sed imprimis Paulum Venetum l. 2, c. 21. Hoc quidem imperium Chingiz-Canicum, ut Nasirodinus inquit, Cathæi asscripserunt anno, post 8863 integras à creatione Mundi juxta sententiam suam myriades, labenti 9680; nempe Hexecontaëridos (& quidem tertiæ Hiá Ven vocatæ) anno ultimo Queì-hài: qui tunc concurrebat cum anno Domini 1263.

Hisce quoque subjicere fas sit, quod Constantinopoli anno 1628 agentem me accepisse memini ex ore Astronomi regii, Muhammed Chelebi, viri haud vulgariter eruditi, cum quo tum familiaris versabar: nimirum in Nasirodini nostri scriptis sibi lectum esse, grandia & affabre facta Astronomica instrumenta apud Cathæos exstare, & (si non fallat memoria) Nasirodino ipsi ibidem conspecta; atque ex eorum numero quædam, qualia hodieque apud Sinas superesse in Atlante legitur.

Denique pro Colophone addantur, quæ in descriptione urbis Cambalec noster habet Abulfedæ codex: nimirum (ipsa ad majorem fidem verba Arabica adducam)

قد جلت مدينة طمغاج وبلاد طمغاج هي بلاد الخطا ويزعم المسافرون ان السور داير على بلادهم وضياعهم وساير عمارهم مسيرة ثلثة وعشرين يوما في الطول من الغرب الى الشرق.

Inclyta evasit urbs Tamgâzj: sunt autem regiones Tamgâzj eædem quæ Catayorum. Existimant qui illuc fecerunt iter, murum cingentem urbes eorum & oppida, reliquasque mansiones, in longum ab occasu in ortum exporrigi viginti trium dierum intervallo. Est itaque Catayum intra magnum illum & celebrem murum Sinensis regni. Idem & præcedentia de Catayo testimonia satis convincent, si quis ea cum Atlante Sinico componere non gravetur.

Illud Arabis testimonium de regno Catayorum, alterum Persæ de eorum rege egregie confirmat. Est ille eruditus & accuratus vir, Kasim Caxanus nomine; qui in suo Vocum minus cognitarum Lexico ita habet: تنكو نام پادشاه خطا وختن *Tencu nomen est Imperatoris Catayorum & Cotenorum.* At Sinicum Imperatorem Tiençu, id est, *Cœli filium*, appellari, ex Atlantis pag. 11, col. 2, clarum & certum est. Facileque dixerim, nomen Catayici Imperatoris supra allatum, nempe Tamgâzj sive Temgâzj, si origine Catayicum sit & non Patronymicum, ex hoc ipso nomine Tençu seu Tengu, ab Arabibus vel Persis ita fuisse detortum.

Atque hæc, qualiacunque sint, boni consule, humanissime Lector: & ingeniosæ genti, cæterisque paganis, mecum precatus salutiferam veri Dei in Iesu Christo cognitionem, allucenti ex Oriente novæ rerum scientiæ fave, ac vale.

FINIS.

DE BELLO TARTARICO HISTORIA;

In quâ, quo pacto Tartari hac nostrâ ætate Sinicum Imperium invaserint, ac ferè totum occuparint, narratur; eorumque mores breviter describuntur.

Tartari, antiqui Sinarum hostes.



ARTARI (antiquissima in Asiâ gens, & multarum gentium principium, jam à quatuor millibus annorum Sinico Imperio inimica) sæpe acria bella cum Sinis gesserunt, & quamvis aliquoties victi fuerint, sæpius tamen victores extiterunt. Tartaros autem voco gentem illam, quæ ad partes Septentrionales sita est, ultra famosum murum Sinarum, ab Occasu in Ortum extensum, quo, per trecenta & plura milliaria Germanica continuata quasi serie extructo, excludebatur, ne Sinicum Imperium invaderet. Gentem hanc Sinæ ipsi jam ab antiquis temporibus, ob litteræ R. defectum, Tata vocant. Ea veterem Tartariam, tum Orientalem hactenus Europæis ignotam, tum Occidentalem incolit; ubi *Samahania*, *Tanyu*, *Niuche*, *Niulhan* & similia gentis Regna, à minore Tartaria & Regno Cascar nimirum ad mare usque Orientale supra Iaponiam; ubi per fretum *Anian* ab Americæ *Quevira* separantur, si tamen hoc fretum est, & non continens. Non est autem animus, omnia eorum bella cum Sinis habita hoc loco describere; sed illa tantum, quæ postremis his annis, nobis præsentibus, peracta sunt; reliqua in Epitome mea Sinicarum Historiarum reperientur. Vt autem ordine procedamus, unde, & quo modo hæc orta sint, paulo altius petendum est.

Tartari, qui.

Tartari etiam olim Sinas occuparunt.

Sciendum ergo, Tartaros veteris Tartariæ occidentaliores (de quibus *Marcus Paulus Venetus*, & *Aytonius*) postquam totam fere Asiam in suam potestatem redegissent, Sinis etiam bellum intulisse (quorum regionem *Catayum* & *Mangin* *M. Paulus Venetus*, & *Aytonius* vocant;) idque ante magni Tamerlani tempora, qui numquam Sinas occupavit, ut perperam quidam scripserunt. Floruit enim ille postquam jam Tartari è Sina ejecti fuissent, nimirum circa annum Domini MCCCCVI, quo tempore *Taiçungus*, secundus *Taimingæ* Familiæ Imperator, pacifice toti Sinæ imperabat, nimirum Provinciis omnibus, quæ intra murum magnum clauduntur: Sinicum autem bellum cum Tartaris, quod *Venetus* tangit, (ut ex Sinica patet Historia ac Chronologia) anno à Christo nato MCCVI, incœptum fuit, & ipsos LXVIII annos perduravit. His exactis annis tandem victores omnino Tartari, totum potentissimum Imperium, extincta Sunga Imperiali familia, occuparunt, anno nimirum MCCLXXVIII, & ita pacifice satis rexerunt annis LXX, nova stabilita familia, quam Ivenam vocabant; ex quâ, continua successione, novem omnino fuêre in Sinis Tartari Imperatores. *Venetus* autem nondum omnino confecto bello Sinico, cum Tartaris Sinas ingressus est anno MCCLXXV, ut patet ex illius scriptis.

Tamerlanus Sinas non occupavit.

Tartari in Sina Imperatores.

Interea Sinicis deliciis fracti, Sinicos induerunt mores, & paulatim fortitudinem Tartaricam dediscentes, nimia debilitati pace, Sinæ evaserunt. In eos itaque vilissimus quidam homuncio, *Chu* dictus, insurrexit; erat is Idolorum sacrificulorum famulus. Hic gentis Sinæ sortem miseratus, & regnandi ambitione tactus, primo latronis egit personam; cui, cum natura generosus, audax, manu ingenioque promptus esset, nec animus, nec artes, nec socii, nec fortuna defuerunt; quibus paulatim excrescens, ingentes congregavit exercitus. Relictis ergo montibus & latronis persona, jam Dux factus, aperto marte Tartaros ag-

Vilis ac infimæ sortis homo Tartaros è Sinis ejicit.

gredi est ausus, ac multis confectis bellis, egregias de illis reportavit victorias. Demum ex toto Imperio Sinico eos omnino ejecit, & totum Imperium victoriarum præmium habuit, anno Domini M CCC LXVIII. Hic *Taimingam* Familiam Imperialem instituit, & primus illius Imperator, *Hunguus* dici voluit, quod magnum Belligerum sonat.

Origo Taimingæ Familiæ apud Sinas.

Facillime ergo tamquam patriæ Servator ab omnibus Provinciis fuit agnitus, eumque tanquam Sinam civem suum, summi æque ac infimi amplexati sunt. Sinica enim gens non magis exteros odio prosequitur ac vilipendit, quam suos amat ac æstimat. Quare in maxima *Nanking* urbe, ad *Kiang* maximi fluminis ripam (quod Sinæ ob magnitudinem & aquarum molem Filium maris vocant) Regiam sedem posuit; & brevissime stabilitis Imperii rebus, de suis Sinis securus, non contentus Tartarorum ex Sina ejectione, in ipsam irrupit Tartariam, & victoriam prosequitur; variis cladibus eos afficit, terramque fœdissime vastat: demum ad tantas angustias Tartaros Orientales redigit, ut depositis armis, promisso tributo, pacem petere coacti sint. Hoc præcipue *Niuche* Tartari fecerunt, ad quorum terras Tartarorum pars ex Sinis profligata confugerat. Hi ergo quotannis per vicinas *Leaotung* terras, Sinas ingrediebantur, ad commercia tamquam subditi vel amici admissi, bellum autem non cogitabant, fere ad egestatem redacti. Adferebant autem Ginsem, radicem illam à Sinis adeo æstimatam; animalium pelles omnis generis, Castorum, Vulpium, Martium ac Zibellinas pretiosissimas; demum & equorum crines, ex quibus Sinenses reticula sua conficiunt: quibus & mares capillos stringunt capitis, hoc ornamenti genere stolide læti. Paulatim autem Tartari illi in septem Hordas sive Dynastias creverunt: & demum inter se bellantes, in Regnum unum evaserunt, circa annum Domini M DC, *Niuche* Regnum vocarunt.

Nanking, regia Vrbs.

Tartari victi ac tributarii.

Tartariæ merces.

Occidentalioribus autem Tartaris *Tanyu* Regni, pace inita tributum vel dona Imperator Sinicus quotannis transmittebat, ut ab armis quiescerent. Nec indecorum sibi hoc credunt Sinæ, ut bellum avertant, quod ex Philosophorum suorum doctrina damnant maxime, & solum suscipiendum, cum reliqua omnia ad quietem & conservationem Provinciarum desunt.

Sinicus Imperator sine infamiæ nota Tartaris dona dat.

Interea meticulosi Sinæ, & antiquis suarum divitiarum hostibus parum fidentes, numquam murum illum magnum absque ingenti præsidio relinquebant, decies centena militum millia seu millionem (ut vocant) ad illius custodiam continuo alentes, qua longe ab Ortu in Occasum extenditur.

Præsidium ingens ad muri custodiam contra Tartaros.

Imperium itaque Siuicum sic stabilitum ac firmatum, sub *Taiminga* Familia constanti pace ac quiete fruebatur fere per ducentos quinquaginta annos. Eo autem tempore quo Tartarorum septem Dynastæ inter se pugnabant, felicissimus *Vanlieus* Imperator, ex *Taiminga* Familia decimustertius, toti Imperio jura dabat. Hic Imperium sumpsit anno à partu Virginis M D LXXIII, & usque ad M DC XX, perbelle rexit, magna cum prudentiæ, tum æquitatis ac justitiæ fama. Interea vero *Niuche* Regni Tartari ita excreverant ex quo in unum coluerant Regnum, ut Sinis indies magis magisque formidabiles essent: quare de illis in officio continendis & vastandis Sinici Præfecti secreta inter se consilia habuerunt. Tanta est autem penes Sinicos Præfectos auctoritas ac potestas, ut quamvis tamquam Regis sui mancipia ad illius nutum vivant; tamen in commisso sibi munere ob bonum publicum peragendo, tamquam absolutissimi domini agant, nisi vel ab Imperatore, vel à majoribus forte impediantur Præfectis: atque ideo à Lusitanis Præfecti illi nuncupati fuêre *Mandarini*, quia *mandare* ipsis ita proprium est, ac si suprema quadam potestate præditi videantur. Interea prætermisso nomine Mandarinarum, Præfectos eos nuncupabo.

In Sinis multorum annorum continua pax.

Tartarorum multiplicatio Sinis formidabilis.

Sinæ de Tartaris vastandis cogitant.

Primo itaque Præfecti Tartaros mercatores male in *Leaotung* Provincia, quæ *Niuche* Regno confinis est, excipiunt, ac bonis subinde privant: mox, cum Rex *Niuche* Regni, filiam suam alteri Tartaro Regi in uxorem dare vellet, politicis rationibus Status adducti hoc ipsum impediunt: demum *Niuche* Regem, nihil sibi ab amicis metuentem, fraude capiunt, ac perfide occidunt. Hujus vero filius, has ulturus injurias, collecta valida militum manu, repente murum magnum superat, per frigore concretum fluvium copias inducens, & eodem impetu ingentem Vrbem *Caiyuen*, alii *Tuxun* dicunt, Tartariæ vicinissimam invadit ac capit anno M DC XVI.

Prima belli Tartarici causa.

Secunda causa.

Tertia causa.

Prima in Sinas Tartarorum irruptio.

Ex hac Urbe per Indum idolorum sacrificulum (*Lama* vocant) ad Imperatorem Sinicum epistolam mittit, Tartarico exaratam charactere sed non barbara continentem:

Protestatio Tartarorum contra Sinas.

tem: in ea verbis plane humilioribus, ac submissione plenis, Imperatorem admonebat, se quidem ob acceptas à Sinicis Præfectis injurias, bellum movisse; Urbem tamen redditurum, ac arma omnino depositurum, si audiretur, & illata per injuriam damna sarcirentur. Accepta hac epistola, *Vanlieus* Imperator, licet alioquin magna polleret prudentia, ac insigni esset in rebus agendis experientia præditus, in hoc tamen negotio jam senex minus provide egisse visus est. Nam minoris rem ducens, quam ut in Aula regia tractaretur, summis Præfectis causam commisit. Hi vero pro consueta superbia, nec responso Tartaricum Regem, tamquam Barbarum, dignati, quod inveniretur qui apud suum Imperatorem de injuria expostularet, indignabantur.

Sinicorum quorundam Præfectorum superbia Tartaricum bellum accendit.

Tartarus Rex spretum se videns, nec responso de justissima re, quam petebat, dignatum, ira in rabiem versa, ut patri suo parentaret, ducenta Sinarum millia se occisurum vovet, more gentis. Tartari enim cum nobiliores moriuntur, simul famulos aliquos, mulieres, equos, arcus ac sagittas in rogum injiciunt, ut mortuo etiam post mortem servitia sint; quamvis modo, occupato Sinico Imperio, barbarum hunc morem reliquerint, ab ipsis Sinis correcti. Mox etiam ultricia arma circumfert, & cum quinquaginta equitum millibus *Leaotung* Provinciæ *Leaoyang* metropolim infesto petit agmine, ac obsidione cingit. Urbem ingens militum numerus custodiebat, qui ut plurimum sclopetis armati erant: Tartari autem solo acinace, arcu ac sagittis, iisque admodum præstantibus incredibili dexteritate utuntur. Cum autem sclopetariorum pilas quam maxime formidarent, ignotum illis armorum genus stratagemate eluserunt. Militibus enim antesignanis crassum asserem pro scuto dedit Rex Tartarus, quo tecti ac constipati equites, ligneum parietem conficiebant; hos sequebantur qui scalas ad mœnia scandenda portabant; ultimum agmen fortissimi occupabant equites. Ita ex quatuor partibus Urbem aggressus est: primas sclopetariorum pilas asserum muro excepit; tunc velocissime undique scalæ applicatæ sunt, mœnia superata, ac demum Urbs occupata. Ea autem fuit Tartarorum velocitas (qua insignes sunt, cuique præcipuas roboris partes tribuunt) ut Sinis spatium non dederint ad denuo oneranda sclopeta, Nec parum Sinis obfuit sclopetariæ artis imperitia, unde repentino malo attoniti, qua data porta

Barbarum ac superstitiosum Tartari Regis votum.

Leaoyang metropolis obsidetur ac capitur.

Stratagema contra sclopeta.

fugerunt: sed à velocissimis Tartarorum equitibus occupati plurimi occisi sunt. Hac obtenta urbe, non diu cunctatus Rex Tartarus eodem impetu alias minoris nominis in suam redegit potestatem; inter quas etiam nobilissimam *Quangning* occupavit. Inde progressus quam celerrime, *Leaotung* Provincia superata, in vicinam *Peking* penetravit. Sed cum à regia urbe septem tantum aut circiter distaret leucis, ultra, ne intercluderetur, progredi timuit, quod undique Sinarum ingentes confluerent exercitus. Tantus autem regionis, per quam Tartari vagabantur, incolas ac milites invaserat pavor, ut maxima ex parte mœnibus vacuis relictis aufugerent. Tartarus enim resistentes urbes ac civitates non modo diripiebat, sed igne ac ferro omnino vastabat; illas vero, à quibus sine vi admittebatur, spoliata dumtaxat urbe, ac incolis salvis relictis, mitius tractabat. Ita quamplurimis collectis divitiis victor ad *Leaotung* metropolim reversus, novis mœnibus eam cinxit ac munivit, antiquis dirutis, ea infausta esse ab ariolis edoctus. Hic demum se Sinarum Imperatorem vorari jussit: & quamvis nihil ex Sinico Imperio occupasset præter ultimam illam Orientalem appendicem in *Leaotung* Provincia; tamen jam spe totum Imperium devorarat. Dictus est ergo Sinico nomine *Thienmingus*, anno regni sui tertio, qui fuit à Christo Domino MDCXVIII.

Variæ Civitates occupantur.

Tartari captas urbes ut tractent.

Tartarus Rex, Sinarum Imperatorem se vocat.

Eodem anno, Imperator *Vanlieus*, rogatus à quibusdam ut Patres Societatis Jesu, Christianæ fidei propagatores, Regno expelleret; postquam sæpius abnuisset (nam Christianam rem ac Patres amore prosequebatur) tandem importunitate maximi cujusdam Præfecti, *Xinkio* dicti, victus, (qui capitalis Christianæ Religionis hostis pridem fuerat) decretum fecit, ut Patres, qui Christianam rem in Sinis procurabant, ejicerentur omnes. Per varias Provincias Patres sparsi erant; unde aliqui occulte à Christianis Præfectis servati sunt, reliqui caveis clausi, *Macaum* sunt ablegati; quo in itinere incredibilia die noctuque in summis angustiis illis perpessi sunt; aliqui etiam crudeliter à Præfectis verberibus cæsi, non sine gaudio, quod digni habiti essent pro nomine Jesu aliquid pati. Ad hæc *Vanlieus* Christianam Religionem suis interdixit. Hac occasione Sinenses, qui ex idolorum silvis ad Domini pascua accesserant, pulcherrima suæ Fidei ac constantiæ dedere exempla: cujus persecutionis narratio pro-

Ob persecutionem in Christianos motam Deus Sinas punit.

prolixior etsi alterius est loci, perstringenda hic tamen fuit, ut Divinam Providentiam admiremur, quæ tunc acre bellum Sinis movit, quando rem pacemque Christianam perturbabant. Eo certè anno effectum est, ut Tartari radices illas in Sinico Imperio figerent, ex quibus tantum posteà creverunt, ut *Taimingam* Familiam extirparint, ac Sinicum ferè totum occuparint Imperium, quando aliqui inter Sinas Christianam rem radicitus extirpatum ibant. Sed crevit, uti solent, persecutione Fides eam in magnitudinem, quà hodie lætatur Ecclesia; & suum Sinæ Imperium, nisi rebus illorum afflictis succurrat Deus, pene amiserunt.

Interea tamen Sinenses de expellendo hoste solliciti, per Præfectos tota Sina delectum habent. Sexcenta selectorum militum millia conscribunt: Rex etiam *Coreæ* (quæ oblonga peninsula est inter Sinam & Japoniam) duodecim millia Sinico Imperatori in auxilium mittit. Cum hoc ergo potentissimo exercitu circa Martii initium MDCXIX in Tartaros movent. Tartari audacter obviam procedunt: aperto, & diu dubio marte pugnatum: tandem Sinarum exercitus fusus, & quinquaginta millia cæsa, & præcipui exercitus Duces. Tartari, ut solent, velocissime victoriam prosequuntur: duas eodem die civitates diripiunt ac comburunt, igne ferroque vastantes omnia. Post hæc, prædantes ad ipsa usque *Peking* Regiæ mœnia penetrant; urbis tamen expugnationem tentare non ausi, in qua infinita erat tormentorum copia, & ad octoginta militum millia præsidium. Fatentur Sinæ, tantum pavoris ac confusionis Regiam invasisse, ut jam de deserenda Regia Imperator cogitaret, ac Australiores petere Provincias decerneret: quod re ipsa fecisset, nisi Præfectorum aliqui obstitissent, suggerentes illi, hanc fugam animos Tartaris addituram, & omnino totum turbaturam Imperium; nihil enim aliud esse fugere, quam terras inimicis cedere. Fatentur præterea, quod si Tartari impressionem fecissent, urbem omnino occupaturos fuisse. Verum hi potius prædæ ubique inhiarunt. Longe enim lateque diffusi, urbes, civitates, ac oppida obvia diripuerunt, & ubique ingentem Sinarum vim crudelissime mactarunt; ac demum reliquis locis omnibus relictis sine præsidio, in ultimam *Leäotung* partem regressi sunt, spoliis onustissimi.

Tartari in pugna victores.

In Regia Peking pavor ac confusio.

Abductis prædis revertuntur Tartari.

Post hæc anno MDCXX moritur Imperator *Vanlieus*: succedit eodem anno filius *Taichangus*; qui, dum contra Tartaros novas colligit vires, nondum absoluto quarto Imperii mense, & ipse moritur. Succedit *Thienkius*; qui ubi Imperium assumpsit, destinato ad *Coreæ* Regem Legato, actisque de misso ad avum subsidio gratiis, consolatur eum de suorum clade in Sinico servitio accepta; magnificentissima ac Sinico Monarcha digna munera mittit, ea mente ut majora extorqueret auxilia. *Coreani* enim, ut situ loci, ita fortitudine bellica ad Japones accedunt proxime.

Moritur Vanlieus. Succedit Taichangus; sed cito moritur. Eligitur Thienkius.

Coreani Sinis fortiores.

Ut porro solidius imminenti malo obviam iret, ex toto Imperio nova accersit auxilia: ita ingentes exercitus in *Leäotung* transmisit, Tartaris in reliquas Provincias ulteriorem ingressum prohibiturus; quibus ut facilius provideret, annonam & reliqua submittendo, in *Thiencin* quoque portu ingentem navium classem præparavit. *Thiencin* autem statio est, ad quam qua mari, qua fluminibus, ex tota Sina facile naves penetrant, ac congregantur incredibili sæpe numero. His igitur compendio itineris mari omnia facile submittebat. *Leäotung* enim Provincia tota fere mari alluitur, & maritimo itinere duorum tantum dierum à *Thiencin* emporio distat; cum terra in multo longiorem se tractum exporrigat.

Novæ contra Tartaros præparationes.

Thiencin portus commodissimus.

Inter Duces auxilia adducentes, mulier fuit, quam vere Amazonem Sinensem vel Penthesileam alteram vocabimus. Illa ex *Suchuen*, Provincia satis remota, cum tribus millibus adfuit, viriles non modo animos, sed & vestes induta, imo & titulos assumens qui in virum, non feminam convenirent. Hæc non rara contra Tartaros dedit fortitudinis exempla; & postea quamplurima contra rebelles, qui in Sinicum insurrexerant Imperatorem. Venerat autem filioli loco, quem bello ætate non parem domi reliquerat in proprio Regno. In montibus enim *Suchuen* Provinciæ Regnum quoddam est Sinis non subjectum, sed juris sui: solum quippe honoris causa titulum Regium ab Imperatore accipit Sinico; de reliqui Montani soli suo obediunt Regi, ac tributa solvunt: ac fortitudine bellica cæteris totius Imperii militibus longe præstant.

Amazon Sina fortissima.

Hac usi occasione, Christiani Doctores (Doctorum autem summa isthic æstimatio atque auctoritas est) præsertim *Paulus* & *Michaël*, Imperatori persuaserunt, ut à Lusitanis

Pium Christianorum inventum.

ſitanis majora nonnulla tormenta peritoſque eorum libratores depoſcat. Erat Chriſtianorum Præfectorum mens, eadem occaſione Patres ac rem Chriſtianam apud Sinas reſtituere. Placuit res Imperatori: Patres, qui hactenus occulte rem Divinam procurabant, adeſſe jubentur; novi non pauci admiſſi cum Luſitanis militibus ſunt: ita res Chriſtiana, conſenſu Imperatoris, ad hæc uſque tempora, fremente dæmone ac Chriſtianæ Religionis inimicis, perbelle proceſſit, continuoque augetur. Ac Deus quidem Imperatoris in rem Chriſtianam amorem liberaliſſime remuneratus eſt. Antequam enim Luſitanica advenirent ſubſidia, & Tartari omnino ex *Leaotung* ejecti ſunt, & incolæ nimiam Tartari Regis crudelitatem deteſtantes, advenientibus Sinis ultro portas aperuere, in præſidia ſic inſurgentes, ut ipſam etiam metropolim *Leaoyang* recuperarint. Nam Rex Tartarus, aliis bellis in Tartaria occupatus, ſubvenire in tempore non potuit. Ita partim res Imperii reſpirarunt, partim Tartari repreſſi ſunt.

Tartari omnino ejiciuntur.

Ceterum quamvis inſtabilis fortuna Sinis lætiorem oſtenderet vultum, quieta tamen, more ſuo, non fuit. Nam Rex Tartarus, confectis in Tartaria rebus, iterum in *Leaotung* irrupit, ac præmiſſis ſexaginta equitum millibus imperavit, ut metropolim *Leaoyang* obſidione cingerent; ſe deinceps priorem exercitum cum majoribus copiis ſubſecuturum. Quadraginta horarum ſpatio munitiſſima urbs iterum in Tartarorum pervenit poteſtatem, quibus tanta contentione utrimque pugnatum eſt, ut ex Sinico præſidio triginta millia deſiderarentur. Nec Tartaris incruenta victoria fuit: magnam enim & quantam vix antea ſtragem acceperunt, viginti millibus ſuorum deſideratis: imo urbem non recuperaſſent, niſi à Sinico Præfecto, ingentibus ſponſionibus corrupta, porta, ut Sinæ loquuntur, aperta fuiſſet. Utut fuerit, Tartari urbem receperunt: Pro-rex dolore victus ſuſpendio vitam abrupit: Viſitator Regius vivus in hoſtium venit poteſtatem; numquam tamen Tartaris honorem aut nomen Regium dare voluit, indignum ducens, Barbaro ſe ſubmittere. Ea conſtantia ab ipſis hoſtibus laudata, libertatem obtinuit. Verum qui ab hoſte vita donatus eſt, illo longe crudelior, eam laqueo ſibi ipſe ademit, quod ſciret, more gentis, apud Sinicum Imperatorem mortis ſe eſſe reum, quia infeliciter pugnarat. Occupata in hunc modum urbe, Tartari civibus edicto publico ſignificarunt, neminem ſe occiſuros, ſi more Tartarico capillos raderent, ac veſtes Tartaricas induerent. Tartari enim (ut ex occaſione nonnullos eorum deſcribam mores) capillos non alunt; caput continuo radunt; barbam etiam totam eradicant, oblongis relictis myſtacibus; in occipite modicos ſinunt excreſcere capillos, quos pulchre contexunt, & ab humero quaſi caudam contemptim demittunt: biretum capiti æquale rotundum gerunt, at humile; hoc pretioſæ pellis faſcia per circuitum ambit, ad duorum vel trium digitorum latitudinem (ea plerumque caſtoris vel zibellinarum eſt;) hæc pellis aures, frontem ac tempora à frigore defendit: quantum vero bireti ſupra pellis faſciam eminet, tantumdem rubra byſſus undique ſparſa tegit, vel nigri aut purpurei equorum crines, quos pulcherrime tingunt: geſtamen plane commodum nec inconcinnum. Veſtes illis ſunt oblongæ, ad talos uſque demiſſæ, ſed ſtrictis manicis (non latis, ut Sinarum ſunt) & parum ab Hungaricis aut Polonicis differunt: manicæ in equinæ ungulæ figuram deſinunt: cingulo ſe ſtringunt, ex quo à lateribus utrimque ſtrophiola pendent, ad faciei manuumque munditiem: cultellus etiam ad uſus pendet, & marſupia duo, in quibus tabacum aut ſimilia ſervant. Siniſtro latere ex eodem cingulo acinacem ita ſuſpendunt, ut acumen præcedat, manubrium à tergo elevetur; unde etiam à tergo dextera manu extrahunt cum pugnant, quod una manu fit abſque vaginæ contactu. Calceis vix utuntur; ocreas ſine calcaribus adhibent, ex curato equino corio, aut ſerico panno factas; ſoleas ſæpe ad trium digitorum altitudinem pulchre æquales extollunt: ſtapedes equitando adhibent; ephippia noſtris humiliora ſunt, & latiora. Ceterum ſatis pulchra faciei ac corporis conſtitutione ſunt, albo colore; latam plerumque ut Sinæ faciem habent, naſum non omnes æque ſimum, neque oculos tam parvos: parum loquaces, & quaſi cogitabundi equitant: mores eorum reliqui, noſtris Boſphori Tartaris non abſimiles, ſed minus barbari. Exteris mire gaudent: moroſam Sinarum gravitatem non ferunt; atque hac de cauſa in primo congreſſu humaniores apparent.

Iterum Tartari bellum movent.

Leaoyang urbs iterum obſidetur ac capitur.

Proditor Sina.

Edictum Tartarorum.

Tartarorum veſtis, ac mores.

Hæc de illorum moribus pauca. Ut vero ad urbem ab illis occupatam revertamur; cum in ea ex aliis Provinciis quamplurimi ditiſſimi adeſſent mercatores, liberum

rum

rum illis diſceſſum cum rebus ſuis permiſerunt, jubentes ut quamprimum urbem deſererent. Hi non intellecta Tartarorum perfidia, cum divitias ac merces egreſſi urbe exportarent, vix tribus millibus paſſuum ab urbe aberant, quando à Tartaris invaduntur, & ad unum necantur; illi ſpoliis ditiſſimi, in urbem timore plenam (nam ſimilem Tartarorum perfidiam formidabant) regreſſi ſunt.

Tartarorum perfidia.

Tartari quieſcunt.

Verum, quia Tartaris magno ſtetit prædictæ urbis expugnatio, ſuorum clade deterriti, ultra progredi non ſunt auſi: nam in reliquis urbibus ſimilia timebant. Sciebant enim omnibus optime proviſum à Sinicis fuiſſe Præfectis. Imperator enim *Thienkius* non modo antiqua loca bene munierat, verum multas in difficilioribus aditu locis munitiones extruxerat; quas inter *Xanghai* maxima ac nobiliſſima erat in Inſula *Cu*, ubi ingentem militum numerum diſpoſuit, quibus Tartaris tranſitum prohibebat. Sed maxime Tartaros inhibuit fortiſſimus Dux *Maovenlungus*; qui ingenti claſſe Inſulam Coreæ vicinam occupaverat in faucibus *Talo* fluminis. Hic Tartaros à tergo infeſtavit quàm-maxime, adeoque ſæpiſſime in variis velitationibus fudit: unde totam Tartarorum in ſe curam converterat. Erat *Maovenlungus* ex *Quangtung* Provincia, ubi ex Luſitanorum commercio multa rei militaris rudimenta didicerat: quamplurima etiam tormenta, quæ naufraga Hollandorum navis in littore depoſuerat, conſecutus, eorum non nullis mœnia *Ningyvenſium* inſtruxit. Hanc enim urbem Sinarum Imperator loco *Leaoyang* Metropolis titulo donaverat, in qua novus Pro-rex, ac Regius habitabat Viſitator, cum exercitus robore.

Regis Sinarum fortiſſimus Dux.

Nova Metropolis in Leaotung.

Quievere itaque Tartari ad annum uſque MDCXXV, quo demum cum maximis copiis *Ningyven* novam metropolim aggreſſi ſunt, poſtquam magnis promiſſis *Maovenlungi* fidem tentaſſent. Ut ad ſuas eum partes allicerent, dimidium Sinici Imperii promittunt, ſi ad illud occupandum cum delecta ſuorum manu ſe adfuturum ſponderet: at ille non minus fortis quam fidus, ſpretis Tartarorum promiſſis, *Nyngyven* urbi per ſuos auxilio fuit: unde Tartari cum clade decem millium rejecti, inter quos & Regis filius. Quamobrem ira frementes, per concretum mare *Thaoyven* Inſulam invaſerunt; decem millia præſidiariorum ad unum occiderunt, & incolas omnes miſerè trucidarunt: atque ita cladem acceptam ulti, in Tartariam redierunt, non quieſcendi animo, ſed vires majores congregandi. Ita rebus ad annum uſque MDCXXVII, quo *Thienkius* Imperator adhuc juvenis obiit, utcumque quietis, cum eo Sinicum Imperium quodammodo corruit. Sed & Tartarus Rex, eodem anno, qui crudeliſſime tot occiderat homines, mortuorum numerum auxit. *Thienkio* in Sinico Imperio ſucceſſit illius frater *Zungchinius*, infeliciſſimus Imperator ob ſuorum perfidiam; de quo plura infra. A *Thienmingo* vero Regnum Tartaricum ad *Thienzungum* filium devenit. Hic patris gubernandi modum mutavit: Sinas melius tractare cœpit, ac humaniter excipere, ſalubri quidem conſilio, ſi longior ei vita contigiſſet; ſed & bono eventu, quia filio exemplum reliquit, comitate potius quam armis debellandi Sinas.

Fideliſſimus Sinis Dux.

Clade afficiuntur Tartari.

Tartarorum crudelitas.

Moritur Thienkius Imperator, & Rex Tartarus.

Zungchinius in Sinis eligitur Imperator.

Thienzungus, Rex Tartarorum, humanior.

Hoc autem anno, cum inſolentes *Maovenlungi* milites ab hoſtibus otium haberent, amicis Coreanis, rapinis ac aliis militaribus inſolentiis negotium faceſſunt: vicinas terras ubi in præſidio erant, *Hienkien* præcipuè Provinciæ incolas ita vexarunt, ut eorum quamplurimi indignatione moti, ad Regem Tartariæ tranſierint; cui & ſuaſerunt, ut per milites Coreano indutos habitu, Sinicum invaderent exercitum, nihil ſibi ab amicis Coreanis metuentem; & ſuam inſuper ad hoc facinus (Patriæ, Regi, ac Sinico Imperatori perfidi) operam obtulerunt. Placuit Tartaro conſilium: Pro-regem ergo cum potentiſſimo exercitu mittit. Hi itinera monſtrantibus Coreanis, nihil tale ſuſpicantem Sinicum exercitum, per agros palabundum invadunt. Ac primum quidem nondum paratum ad vim repellendam, ingenti ſtrage afficiunt; deinde, ubi *Maovenlungus* Tartaros eſſe animadvertit, quanta poteſt diligentia ordines inſtruit, ac egregie Tartarorum vim repellit. Pugnatur utrimque acerrime, donec tandem *Maovenlungi* virtus coacta eſt cedere. Cum ſuis itaque ad naves fugit, ac Inſulam repetit, relicta manu quæ Tartarorum vim ſuſtineret, dum reliqui naves conſcenderent. Tartari, quod eum omnino non debellaſſent, & *Maovenlungus* evaſiſſet, quem unicum petebant, ſe à Coreanis deceptos credunt; præſertim cum & cruentam habuiſſent victoriam. Inde ira frementes, in ipſos perduelles irrumpunt, & ad unum necant: id quod & ipſe Rex Tartarus poſteà damnavit. Eodem deinde impetu, con-

Militum inſolentiæ Coreanos exaſperant.

Tartari in Coream introducti.

Maovenlungus invaditur.

Corea vastatur.

confines Tartariæ Boreali ores quatuor Coreæ Provincias depopulantur. Interea Rex Coreæ exercitum suum colligit, ut Tartaris resistat; & *Maovenlungus* quoque reparatis viribus Coream ingreditur, cladem à Tartaris acceptam ulturus. Pervenerant jam Victores Tartari ad fauces montium, per quos ad Regiam urbem Coreæ iter est, septem leucis ab ea distantes: has Rex Coreæ cum magno occupaverat exercitu, quem Tartari animose invadunt. Vix prælium inierant, quando magnis itineribus *Maovenlungus* adest, & à tergo Tartaros adoritur. Hi à fronte ac à tergo clausi, ubi nullum nisi in manu & armis effugium vident, salute utrimque desperata divisi, duorum exercituum vim egregie sustinent. Pugnantium is ardor fuit, cui parem Sinæ numquam viderant. Mira dictu res, ex tribus exercitibus nullus victor fuit, deleti prope omnes: ex Tartarico quinquaginta millia desiderata sunt; ex Coreano septuaginta millia; ex Sinico autem rarissimi evaserunt: quod maxime in eum Tartari, aperiendæ sibi fugæ irruissent; qua data, effuse Tartariam repetivere. Ita eorum nullus victoriam obtinuit, aut victoriæ cursum prosequi potuit: Coreæ tamen Rex, reparato utrimque exercitu, vacuas à Tartaris Provincias facile recepit suas.

Trium exercituum pugna, ac strages.

Orientalis Leaotung pars Tartaris paret.

Post hæc sæpe *Leaotung* ingressi Tartari, Orientalem partem totam in suam redegerunt potestatem; inde in aliam partem ingressi, prædas egerunt; pedem tamen figere numquam potuerunt; sæpe cladibus affecti sunt, ac repressi. Iam enim Lusitani tormentorum tractandorum periti septem advenerant, qui tum per se, tum per Sinas à se edoctos egregiam Imperatori Sinico navarunt operam; præcipue ubi summam belli regebat *Sun Ignatius* Pro-rex, Christianis sacris initiatus; de cujus rebus ac exitu aliqua infra dicenda.

Lusitanica auxilia adsunt.

Subdolus ac perfidus Sinarum Dux.

Hoc rerum statu, Imperator *Zungchinius* cum ampla potestate, ac novis exercitibus *Yvenum* Ducem misit in *Leaotung*, eique mandavit ut pacem iniret cum Tartaris, si illam admitterent. Iam enim intra Sinicum Imperium latrones exorti, illud perdituri excreverant, qui magis quam Tartari Imperatorem anxium habebant. Erat *Yvenus* subdolo ac astutissimo ingenio præditus, sermone simul & calamo eloquentissimus, qui rationibus ex militari peritia deductis, non modo Imperatorem, sed & Regiæ summos Præfectos dementarat. In eo itaque spem totam Sinæ posuerant: nec spe sua Imperator frustratus fuisset, si nequissimus *Yvenus* bonum publicum ac fidem speratis divitiis prætulisset: nam à Tartaris ingentem auri vim accepit; quo corruptus, primo *Maovenlungum* (quem unum Tartari timebant) fidissimum ac fortissimum, convivio exceptum, propinato veneno necavit: deinde iniquissimis conditionibus pacem cum Tartaris fecit, ad Tartarorum arbitrium, quorum opibus inhiabat. Eas conditiones, à Pacificatore empto admissas, ubi Imperator vidit, indignatione motus, rescidit. Quid faciat hoc loco *Yvenus?* Ut Imperatorem ad eas admittendas cogeret, anno MDCXXX Tartaris suadet, ut alia via, non per regionem quam ipse cum præsidio habebat, Sinas ingrediantur; se enim nihil moturum. Tartari cognita illius avaritia, securi consilium admittunt, à tergo jam nihil metuentes, *Peking* Provinciam ingrediuntur; quamplurima diripiunt loca; urbes ac civitates vastant; ipsam demum *Peking* Regiam obsident. Iam Præfecti Imperatori suadebant, ut ea relicta Australes peteret Provincias: at ille mortem sibi potiorem ratus, quam è Borealibus partibus fugam; ne ex Regia quidem abeundi facultatem cuiquam concessit. Interea Tartari impressionem faciunt, & cum clade suorum sæpius rejiciuntur. Advocatur etiam *Yvenus*, cujus nondum innotuerat perfidia, ut Tartaris resistat. Adest illico, ne videatur perduellis: ad ipsa usque mœnia Regiæ accedit, cujus vastitas magnum inter duos exercitus intervallum erat, unde & Tartaricus & Sinicus videbatur exercitus. Sed *Yvenus* nihil magni agit; imo Imperatori persuadere conatur, ut à se factas Pacis conditiones admittat. Mens una illi erat, ut quàm ditissimus domum suam rediret. Nec fefellit *Zungchinium* proditoris, quamvis alta simulatione tecta, cupiditas. Ergo nullo cum Præfecto re communicata, *Yvenum* invitat in urbem ad militare consilium. Per murum intromissus est, nulla aperta porta, obtendente Imperatore nimiam Tartarorum vicinitatem; revera autem, ne illius ingrederetur exercitus. Habebat summos Præfectos fautores aliquos ac amicos *Yvenus*, à quibus cum non admoneretur de infesto Imperatoris animo, quem & ipsimet ignorabant, satis securus ingreditur. At ubi vero ad conspectum Imperatoris venit, capitur illico, & brevi habita quæstione trucidatur. Tartari cognita illius morte,

Maovenlungus veneno occiditur.

Regia Peking obsidetur.

Perfidus Dux mira arte capitur ac occiditur.

te, antequam novus daretur Sinico exercitui Præfectus, urbe Regia relicta, circumjacentem Regionem vaſtant, in *Xantung* uſque progreſſi: demum ſpoliis onuſti in *Leaotung* regrediuntur. Poſt hæc ad annum uſque M DC XXXVI varia fuit belli fortuna; numquam tamen Tartari intra Sinas pedem figere potuere, ſemper ejecti. Eodem anno moritur Tartarus Rex *Thienzungus*, cui filius ſucceſſit *Zungteus*, qui, modo Sinicum Imperium gubernantis, pater fuit: de quo hæc ſunt memoriæ tradita.

Tartari Peking Provincia vaſtata, excedunt.

Moritur Tartarorum Rex; alter ſuccedit.

Zungteus, novus Tartarorum Rex, comis ac prudens.

Jam antequam regnare cœpiſſet, magnam prudentiam præ ſe tulit *Zungteus*; comitatem in primis ac reliquas Regias virtutes, ſi quis alius gentis ſuæ, coluit. A patre miſſus, adhuc puer, Sinicas indutus veſtes, inter Sinas occultus vixit; mores, litteras, doctrinam ac ſermonem Sinenſium accurate perdidicit. Regnum adeptus, Deceſſorum ſuorum gubernandi modum in melius mutavit; patriſque exemplum hac parte ſecutus feliciter ſuperavit. Nam animadvertens ſuorum nimiam crudelitatem in tractandis Sinis, ne quid magni efficerent, obſtitiſſe; ut Imperium, cui inhiabat, non minus amore quam armis ſubigeret, alios mores induit: advenientes Sinas quoſcumque amore & benevolentia demerebatur, captivos bene habebat, & ad obſequium ſuum invitabat, vel liberos dimittebat. Ita, creſcente comitatis ejus fama, quamplurimi Duces & Præfecti ad eum confugiebant: à quibus deinde adjutus, ſicut eorum amorem ſibi conciliare noverat, ita & Imperium magna ex parte occupavit. Satis enim conſtat, plus ſæpe in obtinendis ac firmandis Regnis valuiſſe amorem, quam arma; & nimia in ſubditos ſævitia frequenter amiſſum, quod armorum potentia fuerat feliciter occupatum. Ubi ergo Sinis innotuit, ſe apud Tartarum Regem non modo aſylum, ſed & gratiam habere, plurimi, Sinici Imperatoris iram fugientes, ad Tartarum ſe recepere. Eſt enim Sinicæ gubernationis inhumana illa quidem, ſed in ſpecie neceſſaria, ob quorumdam perfidiam ac avaritiam conſuetudo, ut Duces & Præfecti illi morte mulctentur, in quorum adminiſtrationem infelicius quidpiam inciderit: facile enim ſibi perſuadent, illud non ex inconſtantis fortunæ viciſſitudine ortum, ſed vel ex negligentia, vel perfidia. Si quis adverſo Marte pugnam iniit, ſi commiſſam ſibi Provinciam perdidit, ſi populi defectione, milites ſeditione tumultuantur, ea Reip. vulnera, undecumque provenerint, ad Præfectos tranſeunt, quorum paucis vita relinquitur. Cum itaque non rari Duces aut Præfecti hinc Tartari humanitatem, inde Imperatoris iram reformidarent, hanc fugientes, illam data occaſione amplectebantur.

Comitas potior in occupandis Regnis.

Barbarus Sinarum mos.

Quæ res me admonet, ut quid Proregi *Ignatio*, Deo ac Regi fidiſſimo non minus quam fortiſſimo Duci acciderit, exponam. Hic, tota ſtupente Sina, Tartarorum aſylum, & ſuorum militum promiſſas vires vitæ poſtpoſuit ac fidelitati; & maluit in ingrata Patria, etiam injuſta ex ſententia, carnifici caput amputandum ſubmittere, quam vel illam relinquere, vel minimum in Imperatorem, etiam iniqua ſtatuentem, crimen committere. Poterat fortaſſe (ut milites illi ſuadebant ſui) & Regnum occupare; ſed occumbere maluit, quam infidus, vel Patriæ profugus ac proditor audire. Poſtquam ergo non raras habuiſſet victorias, & quamplurimas à Tartaris recepiſſet urbes, ac omnino eos jam debellandi ſpes adeſſet, accidit, ut illius milites, multo tempore ſolitis ſtipendiis carentes, per ſeditionem, amicam urbem invaderent ac diriperent. Sæpius *Ignatius* de ſuorum militum inopia Imperatorem monuerat, & ſtipendia per ſupplices libellos petierat: ſed ejus libelli in Regia à Præfectis ſupprimebantur, quorum avaros animos pecunia aut donis, ut reliqui ſolent, non emebat. Præterea cum Chriſtianis ſacris initiatus eſſet, ac vere pius, nihil niſi rationi ac juſtitiæ conſentaneum in ſua agebat gubernatione. Qua re Expræfectorum præcipuè in ſe odium accendit, qui (ut eſt pluribus ſolemne) ob accepta à litigantium parte munera, contra aliam partem favorem petebant apud *Ignatium*. Sed fruſtra erat, ſi à poſtulatis abeſſet juſtitia. Quam illi repulſam non virtuti, ſed ſuperbiæ tribuentes, ſeque ab *Ignatio* contemptos rati, cum amicis in Regia Præfectis agebant, ut ſtipendia differrentur, hac ratione *Ignatinm* perdituri. Accedebat & ipſorum in Regia Præfectorum invidia & indignatio, non ferentium hominem ſua virtute ad illam perveniſſe dignitatem, quam ſolis Doctoribus debitam crederent: perinde ac ſi doctiores etiam fortiores eſſent. Erat enim *Ignatius* ſecundi litteratorum gradus, & Lauream Licentiati, non Doctoris, obtinuerat. Hoc rerum ſtatu, ſeditione non contenti milites, ubi proximum amantiſſimi Ducis periculum ipſorum cauſſa inſonti jam incumbens animadvertere, ut Pro-

Ignatius fortiſſimus Dux Chriſtianus, injuſtè occiditur.

Ignatii fidelitas.

Ignatii juſtitia.

ut Provinciam ſibi occupet, ac regnet, hortantur: imo ut debitum jam pridem tantæ virtuti Imperium invadat, perſuadere conantur; operam ad omnia fideliſſimam ſpondent; extirpandos clamant Præfectos, qui privato potius odio explendo, quam Imperatoris ſui promovendo obſequio ſtuderent. Sed *Ignatius* prudentibus monitis militem à majori violentia prohibet, imò obſequentem reddit & quietum, ac pro Sinico Imperatore ſtare jubet, cui fidem juraſſet; auctores etiam præcipuos ſeditionis punit. Merebatur hæc *Ignatii* fidelitas majorem æſtimationem ea, quam apud Imperatorem, vel ſummos in Regia Præfectos invenit. Ea enim contemptui habita, ſubmiſſo alio Duce ac Prorege, *Ignatius* in Regiam adeſſe jubetur. Non ignorabat ſe tunc temporis ad mortem peti; quod & militibus ſuſpicari facile erat: unde ira frementes pro illo arma ſumunt: nullo pacto ſe Ducem ſuum optimum deſerturos conjurant, & denuo *Ignatio* ſuadent ut ad Regiam non accedat: *Noſtrum,* inquiunt, *erit te incolumem conſervare; nobis uires ſunt, perfidorum æmulationi & potentiæ pares.* Ad hæc ſurdus *Ignatius* indignantes demulcet, urgetque ut Imperatori ſuo fidelem ſemper operam navent. Atque ita maluit ingratum patriæ ſolum proprio ſanguine irrigare, quam inimicorum ſuorum ſanguinem militum viribus propinare, ſatius ducens in patria ſubire immeritam necem, quam ad invitantem Tartarum confugere. Non eadem quamplurimis illius exercitus Ducibus ac militibus fides fuit. Ad Regem enim Tartarum defecere, multorum exemplum ſecuti, quos à Tartaro bene exceptos videbant, non vero *Ignatii* in fide conſtantiam. Horum jam aliqui Tartarorum ſunt ſummi præfecti in Sinico Imperio; aliqui etiam Regulorum obtinuerunt dignitatem, quia fidelem illi contra Sinas operam navarunt, cuneorum inſtar, qui in ſui generis ligna facillime penetrant.

Ignatius mavult mori, quam regnare, vel Tartaro ſervire.

Ceterum hoc bellum Tartaricum, quamvis Sinis hactenus magnum feciſſet negotium, deinceps tamen quaſi ſopitum elanguit: ita ut Sinas à majoris damni metu ſecuros redderet. Occidentalis enim *Leäotung* pars undequaque valide munita erat, & ingens in confiniis contra Tartaros exercitus ſtabat, qui inſulam *Cu* occupans, ulteriorem ingreſſum intercludebat Tartaris, qui Orientalem occupabant partem. Maximum itaque periculum à perduellibus ac latronibus intra ipſum fuit imperium; à quibus demum deſtructum eſt, ac Tartaris traditum. Supra jam horum motus attigi: deinceps fuſius de illis agendum, ut, quo pacto Tartari Imperium occuparint, intelligatur.

Potiſſima perdendi Sinici Imperii cauſa Latrones.

Primi perduelles inſurrexerunt in *Suchuen* Provincia, quorum tam proſpera fuit fortuna atque audacia, ut poſt direptas multas civitates; demum & Metropolim ipſam *Chingtu* obſiderent; de qua & actum fuiſſet, niſi Amazon illa Sinenſis ſupra memorata cum ſuis ſubveniſſet. Ejus igitur fortitudine inde cum clade expulſi, ſed non omnino deleti, montes repetivere, novas perditorum hominum turbas congregantes. Hos ſecuti ſunt alii in *Queicheu* Provincia, qui ob latam injuſtam ſententiam in lite duorum Dynaſtarum, inſurrexerunt, duce uſi, qui cauſa ceciderat, Magnate; ac primo impetu Præfectos injuſtæ ſententiæ auctores occiderunt, & Proregis exercitum fuderunt. Verum reparato mox exercitu, ab eodem ſuperati, ſed non extincti ſunt. Sub hæc urgente fame, quæ ingens eo tempore in Boreali Sinarum parte per inauditam locuſtarum plagam fuit, quamplurima alia latronum capita exorta ſunt, præcipue in *Xenſi* Provincia ac *Xantung*. Hi primo, numero pauci ac viribus, prædas per pagos & oppida agebant, inde montes petentes in iis latitabant; cumque tam facile negotio ſine ullo labore non modo cibos, ſed & divitias raperent, quamplurimi continuo aggregabantur. Huic ſeditioni magnum incrementum addidit Imperatoris *Zungchinii* inſignis avaritia, qui à populis tributa omnia extorquebat, perinde ut anno felici rebuſque florentibus. Hi ergo cum à Præfectis reprimi citò non poſſent, paulatim numero ac animis aucti, in octo per varias Provincias creverunt juſtos exercitus. Ab his ut quiſque manu audaciaque promptiſſimus habebatur, in Ducem eligitur; & mox acta jam latronis perſona, armis ac divitiis fortes, jam ad ipſum aſpirant Imperium. Ac primo quidem, ut quiſque alteri præriperet quod ipſe optabat, inter ſe pugnarunt: demum res eo devenit, ut duo tantum Duces præcipui ſupereſſent, qui reliquorum milites, poſt victorias, extinctis eorum Ducibus, ad ſua ſequenda vexilla ac fortunam invitarunt. Illi verò cum minime dubium expectarent ſupplicium, ſi quo caſu à Sinicis Præfectis exciperentur, facile victorem ſequebantur. Primus inter hos latronum Duces *Licungzus* dictus eſt, ſecundus

Latrones varii.

Latrones reprimuntur, ſed non delentur.

Fames Latrones auget.

Et avaritia Imperatoris.

Latrones Duces evadunt, ac ad Imperium aſpirant.

Latronum præcipua capita.

dus *Changhienchungus*; uterque facinoribus editis & ferocia insolens; qui, ne alter ab altero tamquam æmulo deleretur, longius invicem discesserunt, fortunam quisque suam secuturi. *Licungzus* Boreales *Xensi* Provinciæ ac *Honan* partes tenuit; alter *Suchuen*, & *Huquang* divexabat. Verum ne, si de utroque mixtim agamus, confundatur narratio, *Licungzo* priorem locum dabimus: qui potissime in causa fuit, cur Tartari Imperium illud occupaverint; quod ipse jam tenebat, si moderationi clementiam adjunxisset. Subsequentur deinceps res ab altero gestæ.

Latrones Provincias Xensi & Honan vexant.

Anno itaque MDCXLI, latrones ex Provincia *Xensi* (ubi quamplurimas civitates ac oppida expilaverant) ingenti numero in amœnissimam *Honan* Provinciam irrumpunt, & recta nobilissimam metropolim, *Caifung* dictam, petunt ac obsident. Illam ingens defendebat præsidium; unde tormentorum curulium sæviente in eos procella, cum clade obsidionem deserere coacti sunt. Inde populabundi circumvicinas invadunt civitates ac urbes, & quamplurimas diripiunt. Ita viribus aucti, annona quamplurima, ac perditis hominibus congregatis, iterum metropolitanam petunt; quam cum desperarent vi aut assultibus occupari posse, longa obsidione ad deditionem cogere statuunt, ut ditissimis opulentissimæ urbis spoliis augerentur. Vrbs hæc tametsi trium fere leucarum ambitum habet, undequaque tamen cingunt, ut nihil urbem invehi posset. Præfecti per duos menses, quibus alio latrones diverterant, quamplurimam quidem annonam congregaverunt; sed quod tota Provincia frugum alioquin abundantissima, earum inopiam à sterilitate pateretur, non fuit tanta annonæ copia, quanta sex mensibus infinitæ populi multitudini alendæ sufficeret. Sex ergo menses tenuit hæc obsidio pertinacissima; & quamvis ad summas angustias famis præsidiarii prævenissent, numquam tamen cum hoste pacisci voluerunt, auxilium ab Imperatoris exercitu sperantes. Calamitatis magnitudo excessit modum, & Ierosolymitanæ similis, si non major, videri potuit. Orizæ libra argenti libra vendebatur; corii antiqui putridi libra, decem argenteis: cadaveris humani caro publice tamquam porcina prostabat: mortuos in plateis exponere, ut illorum essent cibi qui mox aliorum futuri erant, pietas putabatur. Reliqua dirissima taceo. Vrbs in planitie sita est ad Australem partem ingentis ac præcipitis fluminis, quod *Hoang* Sinæ vocant, nos *Croceum* vel luteum dicimus, à colore luteo; quo semper turbidum fluit: una fere leuca distat hoc flumen ab urbe; cumque ejus aquæ urbis planitie altiores sint, ejusdem littora aggere longissimo ex quadratis lapidibus muniuntur, ne superfundat se urbi. Ad hos aggeres tandem Imperatoris exercitus venit, ratus sine pugna hostes omnino deleri posse aquis, si aggeres dissolveret. Ac suspicio aberat aquas ad tantam altitudinem perventuras, ut altissima urbis mœnia superarent. Forte per id tempus Autumni crebriores solito pluviæ fuêre, quibus sic flumen intumuit, ut majores volvens undas, ruptis latius quam pro necessitate aggeribus, non modo quamplurimos hostium ruina involverit, sed & amicam urbem totam submerserit, plus quam trecentis hominum millibus aqua haustis. Ita nobilissima urbs, quæ jam antiquis temporibus Imperatorum sedes fuerat, non campus, sed lacus quidam repente fuit, domus omnes undarum vi non modo tectæ, sed & omnino dirutæ sunt. Cum illis periit & Templum, & Sacerdos Societatis nostræ R. P. *Robertus de Figueredo* ibidem submersus: qui cum mature se periculo posset subducere, maluit animam suam pro ovibus suis ponere; non raros enim Christianos urbs habebat. Contigit hujus urbis excidium nona Octobris MDCXLII. Eodem tempore latronum Dux *Licungzus* Regis titulum assumpsit, dictus *Xunuang*, quod prosperum Regem sonat; & mox iterum *Xensi* Provinciam invasit, ac totam occupavit, postquam *Honan* fere totam in suam redegisset potestatem. Vbi ad *Xensi* Provinciæ Metropolim *Sigan* venit, à præsidio quidem aliquantisper repugnatum est: post trium tamen dierum obsidionem urbs intercepta est: totidem dierum spatium militibus ad prædam concessum in victoriæ præmium. Intra eamdem deinde urbem totius fere Provinciæ annonam collegit, tum ut populos in officio contineret, tum ut Imperatoris militibus vastitatem objiceret. De Imperio quoque velut obtinendo jam securus, titulum Imperatoris assumpsit, & familiam quam fundare meditabatur, *Thienxunam* dixit. *Thienxun* Cælo obedientem sonat: quo titulo populis ac militibus suis persuadere conabatur, Cæli esse voluntatem ut imperaret, atque à Cælo Imperium sibi tradi, ut populos ab Imperatoris avaritia liberaret,

Caifung nobilissima urbs obsidetur.

Inaudita fames.

Caifung urbs aquis mergitur.

Dux latronum Regis titulum assumit.

Xensi Provincia occupatur.

Latronum Dux Imperatoris Sinarum nomen assumit.

raret, & Præfectos sui studiosos, populoque graves extirparet. Speciosus titulus, cui Sinæ facile arrident : à Cælo namque dari Imperia credunt ; nec humanis artibus aut vi occupari debere existimant. Post hæc, ut factis præ se ferret quod titulo ostentabat, plebem perbelle tractare cœpit, nullam suis violentiam permittere: Præfectos solos, quotquot assequi poterat, neci tradere ; Expræfectos pro modo divitiarum, quas collegerant, pecunia mulctare ; subjugatis populis tributa remittere, novos Præfectos urbibus ac civitatibus occupatis assignare ; denique ut subditos comiter ac magna tractent æquitate severe præcipere. Ita facillimo negotio occupatas regiones subditas habuit, novum regiminis modum omnibus laudantibus atque amantibus : alias enim parva est fidelitatis cura, ubi extorta obsequia tyrannis imperat. Duo Patres nostri versabantur hac in urbe, R. P. *Ignatius d'Acosta*, & R. P. *Petrus Fabri*, quos initio quidem, cum milites Metropolim diriperent, perstrinxit communis clades : demum pro exteris cogniti, tamquam hospites bene sunt habiti.

Bonum latronis regimen.

Alia perdendi Sinici Imperii causa, Præfectorum discordia.

Interea in Regia tertia ac potissima perdendi Imperii causa excrevit, cujus initia jam tum Imperatore *Thienkio* pullularunt, Præfectorum dissidia, factiones, ac æmulatio ob nimiam Eunucho *Gueio* concessam potentiam ; quem non modo ad summos honores evexerat *Thienkius*, Imperii universo plenoque regimine illi concesso ; sed & Patris titulo honorabat. Hic ergo gratia abutens, summos etiam Præfectos levissima de causa vel necabat, vel in ordinem redigebat ; præcipuè illos, qui vel scriptis, vel verbis, vel minori exhibito honore Eunucho non adulabantur, vilissimo homini subesse dedignantes. Et quamvis alioquin satis bene Rempublicam administrasset, multos tamen exasperavit ; atque inter eos, etiam Principem, qui post *Thienkium* sine sobole extinctum Imperator fuit, *Zungchinius* ; cui in adeundo Imperio Eunuchus quidem obstitit, sed irrito & infelici conatu. Hinc Præfecti in binas (ut ipsi vocant) Academias divisi, paulatim se extulere, rei propriæ magis quam publicæ intenti. Cæterum dum quælibet ex partibus aliam opprimere ac extirpare conatur, utraque bonum Imperii publicum prætendens, illud ipsum negligebat ; partiarios tantum suos extollere, aut rebus præficere, invida æmulatione tentabat : & cum huic potentissimo malo mederi vellet *Zungchinius* ipse Imperator, non paucos ex præcipuis Præfectis ac Eunuchis exasperavit. Vbi enim Imperium assumpsit, supra modum in Eunuchi fautores sævit, & Eunuchum tandem ipsum cum pluribus aliis eidem factioni illigatis de medio sustulit, mirabili plane tragœdia ; cujus hæc est catastrophe. *Zungchinius*, ut Eunuchum pessumdaret, atque ab Imperii gubernaculis amoveret, dedit illi mandatum, in speciem honorificum, ut magnifica Imperatorum ac parentum suorum sepulchra viseret, inspecturus num aliquid operis ornamento deesset. Non potuit Eunuchus tam splendidum Imperium detrectare : sed brevi didicit, quo consilio ad sepulchra visitanda mitteretur. Cum enim aliquousque progressus esset in itinere, oblata est ei capsula inaurata, funem byssinum continens, quo seipsum, mandato Imperatoris, suspendere debuit ; quod genus mortis apud Sinas maxime censetur gloriosum. Inde factum est, ut ex utraque factione plurimi Imperatorem prodiderint, qui cum latronibus secreta habebant consilia. Hinc vel nulli mittebantur exercitus, vel nihil magni efficiebant, ab æmulis turbati ac impediti : imo sæpe, cum possent rem bene gerere, occasionem dimittebant, ne Magistratibus, quorum Duces æmuli erant, meritum aut gratiam apud Imperatorem victoriis conciliarent, quasi eorum ductu & consilio hostes vicissent. Quæ dissensiones tam opportune acciderunt latronibus, ut ad ipsam Regiam accedentibus, idem fuerit venisse, vidisse, ac vicisse : quod jam narrare aggredior.

Latrones Xansi Provinciam occupant.

Cum hæc agerentur in Regia, *Licungzus* latronum ductor, stabilitis in *Xensi* Provincia rebus, Ortum petit. *Croceum* fluvium nullo defendente tam facile superat, quam facile à parva manu impediri transitus potuisset : fluit enim ille magna aquarum mole ac violentia, medius inter *Xensi* & *Xansi* Provincias, illam ad Occasum, hanc ad Ortum habens ; sed cum nemo obsisteret, superato fluvio, facile quoque primam civitatem ditissimam *Kiangcheu* occupavit, quæ in Australiori jacet Provinciæ parte, *Croceo* vicina. Est etiamnum illa in urbe superstes R. P. *Michaël Trigautius* è Societate Iesu, viri illius Apostolici P. *Nicolai Trigautii* nepos. Exinde eodem fortunæ cursu civitates reliquæ ultro se *Licungzi* potestati dediderunt, vel ut se à majoribus molestiis liberarent, vel novum regimen inconsultè

ſultè amplexantes. Sæpe enim in noſtram perniciem novitatibus ac mutationibus gaudemus, & veteribus meliora ſperantes, deteriora invenimus. Sola Metropolitana urbs *Taiyuen* aliquot diebus vim experiri voluit: ſed ipſa quoque occupata, ingentes moræ pœnas dedit. Præfecti omnes necati, ac novi à latronibus ſubſtituti ſunt. *Zungchinius* Imperator, ubi audivit latrones jam Croceum ſuperaſſe, & *Xanſi* Provinciæ, Regiæ confini, imminere, ingentem per Colaum, ſummum ſcilicet Præfectum, exercitum miſit, qui latronem detineret ſaltem, ſi debellare non poſſet. Nihil tantus egit exercitus, & maxima quoque militum pars ad latrones defecit: Præfectus ipſe, qui Colaus Lius dicebatur, rebus deſperatis ſibi ipſi laqueo vitam ademit. His auditis, cogitabat Imperator Borealem *Peking* Regiam relinquere, & *Nanking* Auſtralem petere: ſed ut maneret, tum à fidis, tum à perfidis perſuaſum eſt: ab his quidem ut facilius, antequam eorum paterent proditiones, latroni Imperatorem traderent; ab illis, bono ut putabant conſilio: nam fugere, erat Imperium magis turbare: ſperabant enim Regiam, ingenti præſidio munitam, defendi poſſe; & ob Imperatoris præſentiam reliquas omnes Provincias ad defenſionem advolaturas non dubitabant. Bonum videri poterat horum conſilium, ſi Regia proditoribus caruiſſet.

Imperator Sinicus turbatur.

Latronum ſtratagema.

Interea latronum Ductor (quia non minus ingenio, quam manu promptus erat) vulpinam pellem leoninæ aſſuens, ex ſuis militibus quamplurimos mutato habitu in Regiam paulatim intromittit, data pecunia ut mercaturam in ea latitantes exercerent; conductiſque tabernis, caupones, aut minorum rerum mercatores eſſe jubet, donec ad mœnia cum toto exercitu adveniret: tunc vero ut intra urbem tumultus excitent imperat. Mirum fuit horum ſilentium, quodque inter perditiſſimos infimæ ſortis homines ſperari vix potuiſſet. Huic velut cuniculo intra Regiam parato, alium ſuperaddit, ſecretum videlicet commercium cum ſummo Militaris Tribunalis Præfecto; qui cum Imperatoris rem perditam eſſe animadverteret, ut rebus ſuis caveret, cum latrone de urbe tradenda conveniſſe dicitur. Vtut fuit, latrones celeri itinere Regiam *Peking* petunt. Ingens præſidium urbem defendebat, & curulium tormentorum magna vis pro mœnibus ſtabat diſpoſita: verum illa parte, qua à perduellibus admoniti latrones impetum faciebant, ſolo pulvere, nullo globo impoſito, explodebantur. Vnde hac parte ſecuri, menſe Aprili M DC XLIV, antequam luceſceret, per apertam ultro à conſciis portam ingrediuntur. A fidis quoque non diu pugnatum præſidiariis. Nam intra mœnia hactenus latitantes latronis milites, ac confœderati perduelles, tumultus excitarunt ex condicto. Hinc ingens orta confuſio, cum nemo ſciret cum quo rem haberet; & non minor undique confuſa ſtrages. Inde *Licungzus* per confuſam illam Babylonem victor tranſiens, recta palatium Imperatoris petit, ac nequicquam fidioribus Eunuchis vim repellentibus, ipſum occupat. Iam hoſtes, quod mirum, primum palatii murum tenebant, & Imperator omnium adhuc periculorum inſcius vivebat. Perduelles enim Eunuchi, qui majoris erant auctoritatis, data opera admonere differebant, ne forte effugeret formidantes: at ubi fugæ ſpem nullam vident, tunc Imperator admonetur de urbe ac palatio jam occupato. Qui ſic admonitus, interrogavit primò, num hoſtium manus evadere fuga poſſet: verum intellecto omnia itinera eſſe intercluſa, epiſtolam proprio, ut ferunt, ſanguine ſcripſit, in qua Præfectos de perduellione, ſed ſero cognita, increpabat; ſubditos innoxios proclamabat; à *Licungzo* petebat, ut, quandoquidem cœlo dante Imperium occupaſſet, pro ſe de illis ultionem acciperet. Poſtea arrepto gladio filiam nubilem obtruncat, ne latroni in ludibrium cederet: mox pomarium ingreſſus, de arbore pruno, ex vitta qua caligas alligabat laqueo facto ſe ſuſpendit infeliciſſimus Imperator, qui & ultimus cenſetur *Taiminga* Familiæ. Nam licet alii deinde electi ſint (ut infra ſum narraturus) quia tamen partem tantum Imperii habebant, inter Imperatores non numerantur: atque ita Familia, quæ à latrone iuchoata fuit; à latrone extincta eſt. Tam vilis arbor, & viliſſimus laqueus, tanti Imperii, tot deliciis & divitiis cumulati, ac vitæ ipſius regalis fragile filum abrupit. Ad ejus exemplum ſummus Præfectus, qui Colaus dicitur, ibidem reſti cervicem implicuit: idem Reginæ, idem aliquorum præterea ex fidiſſimis Eunuchorum exitus fuit. Ita arbores illæ amœnæ, ſub quibus ſæpiſſime genio ac deliciis indulſerant, velut in funeſtiſſimas cupreſſos mutatæ ſunt. Sed non minus in urbe ipſa, quam intra palatium quamplurimi in ſeipſos ſævierunt; alii in lacus inſilientes, alii laqueo volun-

Capitur Regia Peking.

Imperator obtruncata filia, ſeipſum ſuſpendit.

voluntariam sibi mortem inferentes, gentis more: nam cum Imperatore suo mori, ne alteri inimico subesse cogantur, vel ab illo occidantur, summum credunt fidelitatis decus. Quid autem jam magnum, quid stabile mortalibus videbitur, quando tantis opibus viribusque exaggerata felicitas tristi momento in nihilum recidit, nullo alio quam inspectantium aut audientium lacrymis relicto vestigio?

Licungzus interim victor palatium ingreditur, & Imperiale solium occupat, inque eo considet. Memorant prima sessione eum inquietissime se habuisse, ac plane titubasse. Omnino videbatur solium ipsum non diu duraturam tyranni felicitatem prænuntiare, & tamquam indignum excutere velle. Altera die Imperatoris cadaver in minutissimas partes concidi jubet, adjecto probro, quod in subditos pessime juxta ac crudelissime consuluisset; perinde quasi ipse, nefarius latro ac perduellis, tot jam contrucidatis mortalibus, tot regionibus fœdissime vastatis, nulla noxa contactus esset. Ita plerumque in aliis damnat improbitas, quod ipsa committit, & aliorum mala, etiam minima, amplificans, cæcutit in suis. Susceperat Imperator *Zungchinius* tres mares filios: unus ætate major numquam inventus est, licet à latrone diligenter ac diu conquisitus. Hunc alii fuga elapsum, alii intra lacum voluntaria morte periisse scribunt. Minores duo, adhuc puerili, in latronis manus vivi pervenere, quos tertia exinde die extra urbis mœnia abreptos immani crudelitate capitibus plecti jubet. Sed innoxio sanguine satiari hæc bellua non potest; ac mox in apertum erupit atrox indoles, cui hactenus ad dementandos clementiæ simulatione populos speciem benignitatis obduxerat. In urbe itaque omnes Præfectos conquiri jubet, ingentem numerum exquisitis tormentis enecat, alios maxima pecuniæ vi mulctat: palatium Imperatoris sibi servat: urbem nobilissimam ac ditissimam militibus ad prædam concedit, ubi nullum sævitiæ, nullum violentiæ genus à latronibus prætermissum: quæ ut referre longum, ita recordari molestum fuerit. Atque hac tam barbara immanitate Imperium, quod felicissime occuparat, ac comitate servare potuisset, merito perdidit.

Latronis sævitia, ac crudelitas.

Inter alios quos cepit Præfectos, senex fuit, *Us* dictus, cujus filius *Usangueius* contra Tartaros in confinibus *Leaotung* excubabat, totius exercitus Sinici summam exercens Præfecturam. Huic ergo crudelissimam mortem minitatur *Lieungzus*, nisi filium in suum obsequium cum toto exercitu jurare vi paternæ obedientiæ cogat; ea apud Sinas sacrosancta habetur: deinde omnia magna patri ac filio promittit. Bonus ergo senex hanc ad filium epistolam dedit: *Solum, Cælum, ac fatum, has quas videmus afferre possunt mutationes. Scias fili, Zungchinium Imperatorem, ac Imperium periisse Taiminga Familiæ: Licungzo illud Cælum dedit. Tempori cedendum est, & necessitas in virtutem mutanda, ut ejus tyrannidem evitemus, ac crudelissimam mortem; liberalitatem vero experiamur. Regalem tibi promittit Dignitatem, si cum tuis eum agnoscas Imperatorem. Ex tua responsione vita mea pendet: quid illi debeas, qui tibi vitam dedit, considera.*

Usangueius filius brevissimis verbis tale dedit responsum: *Qui Imperatori suo fidus non est, mihi quoque non erit, mi pater: & si tu ipse debitam Imperatori tuo fidelitatem oblitus es, me nemo reprehendet, si debitam tali patri obedientiam obliviscar. Mori malo, quam latroni servire.* Missa hac epistola statim ad Tartarum Regem Legatum mittit: rogat ut sibi auxilio sit contra Sinici Imperii latronem; byssi, sericorum pannorum, auri, argenti ingentem vim, & certum puellarum numerum promittit, quas præcipue Tartari expetunt, quod illis careant, maribus vero abundent. Rex Tartarus hanc bene rem suam agendi non negligit occasionem: eodem die cum octoginta millibus, quæ in præsidiis *Leaotung* expedita erant, adest, & *Usangueium* ita affatur: *Ut nostra certa sit victoria, suadeo, ut tuos milites Tartarica veste ac pileo, scissisque capillis uti jubeas; ita fiet ut latro nos omnes Tartaros credat: majora enim auxilia ex Regno meo advocare tam cito non possum. Usangueius* nihil non admittit vindictæ cupidus, ignorans, ut Sinæ dicunt, se tygrides intra Imperium admittere, ut canes ejiceret. *Licungzus* Tartaros advenisse audiens cum *Usangueio*, & resistere non audens, ut facile Regiam occupavit, ita velocissime deseruit. *Palatii* ergo divitias compilat, ac *Xensi* Provinciam petit, ubi Regiam sedem fixit in nobilissima *Sigan* urbe, quæ olim sæpe Imperatorum fuit sedes. Narrat fama, octo ipsos dies per quatuor palatii portas, currus, equos, camelos ac bajulos continuo exivisse, nihil nisi pretio eximium exportantes, plurimis per festinationem in eo relictis.

Tartari contra latrones invitati.

Latro Tartaros fugit.

Palatii divitiæ auferuntur.

ctis. Ita ingentes auri, argenti ac pretiosarum rerum thesauri, per ducentos octoginta annos, à *Taimingæ* Familiæ Imperatoribus sexdecim, ac per otium congregatæ, brevissimo tempore dispersæ sunt. Verum quamvis magna recederet velocitate latro, Tartarorum equos vix ipse effugit; qui ingentem gazam, ac impedimenta, necnon & ultimum illius agmen insecuti per multos dies tandem occupant. Croceum porro fluvium superare vel noluerunt, vel neglexerunt, ut sic paventes ac confusas *Peking* terras facilius occuparent. Revertuntur ergo Tartari victores ac divites, & *Peking* urbem ingrediuntur, à Sinis admissi; quæ res una universum illis Imperium dedit. Ubi notandum illud rarum in Tartara gente, quod nec Rege suo ad primum in Sinas ingressum extincto, hujus belli expeditionem reliquerit. *Zungteus* enim Tartarorum Rex, dum ex *Leaotung* Sinas ingreditur, fato functus est; & Imperium, cui tantopere inhiabat, non obtinuit quidem; quamquam suis viam ac modum illud obtinendi aperuit. Moriens sexennem filium successorem declaravit, fratribus imperans, ut pro illo rem strenue gererent; tutelam majori natu commendavit: quæ ultima imperia summa fide servarunt, ac stupenda, in ambitiosa gente, concordia, quam vix sperare in alia possis.

Rex Zungteus moritur.

His ita gestis, *Usangueius*, expulso latrone, jam cogitabat è *Taiminga* Familia proximum Regulum invitare, ac in Sinicum eligere Imperatorem. Promissorum itaque memor, Tartaris gratias ingentes habet; laudataque eorum fortitudine, ac fideli pro Sinico Imperio navata opera, liberaliter promissa præmia offert, & simul rogat, ut illis acceptis in Tartariam redire, ac continuam in posterum cum Sinis pacem habere velint, antiquas obliti injurias, quas jam satis superque ulti fuissent. Huic orationi responsum jam à multo tempore præparaverant Tartari, longe aliud quam *Usangueius* expectabat machinantes. Itaque sic *Usangueium* affantur: *Nondum te ac Imperium Sinicum deserendi tempus idoneum esse arbitramur, nisi tibi aliud videatur. Latrones supersunt plurimi; pauci ex illis periere: jam in Sigan Xensi Provinciæ metropoli Imperialem sedem Licungzus fixit. Cogita ditissimas ac populosissimas Provincias sub illius adhuc esse potestate. Nobis discedentibus, pejora Sinis timenda manent. Nos Tartaros timuit, quos ubi abiisse didicerit, auctis mox viribus aderit, ac Imperio majores quam antea turbas inferet: & nobis fortasse commodum non erit missis denuo auxiliis fortunæ tuæ labanti succurrere. Quandoquidem hic præsto sumus, nostrum erit latrones omnino extinguere, ut pacatum Regi tuo Imperium tradas. De promissis præmiis sollicitus ne sis; cum ea sive in nostra, sive in tua potestate fuerint, æque nobis tuta ac secura sint. Quod reliquum est suademus, ut tu cum tuorum parte, ac Tartaricis aliquot legionibus, in Licungzum moveas; nos cum reliquis copiis Xantung latrones opprimemus: ita Imperium ex omni parte pacatum respirabit.* *Usangueius* vel stratagema non intellexit, vel, quod à potentiore ei opus erat decipi, dissentire non est ausus.

Tartari, intra Sinas admissi, exire nolunt.

Eorum astutia ac dolus.

Antequam autem Tartari invitati Sinas ingrederentur, in patriam ac vicina Regna miserant, qui quotquot possent milites ad Sinicum occupandum Imperium evocarent. Quæ copiæ cum nondum advenissent, oratione ad benevolentiæ speciem blande composita, à vi tantisper abstinebant. Sed cum hæc agerentur, non modo ex *Niuche*, & *Niulhan* Regnis, sed & ex veteri Occidentali Tartaria, ac ex *Yupi* Orientali ingens Tartarorum numerus adfuit. Hi postremi ad mare Orientale supra Japoniæ insulas accolunt; *Yupi* vero dicuntur à loricis ex piscium pellibus factis, quibus in bello utuntur: quinimo & ex *Volga* non raros in Sinis vidi, quos Tartari Alga-Tartaros vocabant; & apud illos Moscoviæ ac Poloniæ notitiam reperi. Hi Orientaliores Tartaros barbarie superant. Hæc auxilia ubi advenere, minimum etiam demortui Regis sui filium sexennem adduxerunt. Tum enimvero diserte ac palam Imperium suum esse, illoque se potiri velle ostenderunt. Sexennem itaque puerum Imperatorem Sinarum proclamant, qui *Xunchi* dictus est: nova quoque familia Imperialis *Taicing* appellata. Sexennis puer, magna gravitate ac majestate antiquum gentis suæ solium ascendit, ex quo non puerilem, sed præclaram ad suos habuit concionem in hunc modum: *Non mea virtus aut felicitas, sed vestra, charissimi fortissimique Patrui, ac reliqui Duces mei, quam videtis mihi constantiam dedit. Hæc firmitas, qua hoc solium occupo, ita nobis bonum erit ac rebus nostris omen, ut titubatio latroni Licungzo præsagium sinistrum fuit. Initia videtis occupati Imperii: at fortitudinem virtutemque vestram*

Magnæ Tartarorum copiæ Sinas ingrediuntur.

Tartari Sinicum Imperium occupant.

Xunchi coronatur primus Imperator Tartarus.

Amav gus P. truus tutor I perato fidelis mus.

Usang ius Ta taris esse c ctus.

Qui Licu actu ignor tur.

vestram tantam esse intelligo, ut me jam totam possidere Sinam credam, imo Orbis Imperium, non inchoatum modo, sed firmum ac stabile. Imperii divitiæ, Regales dignitates, præmium licet impar tantæ virtuti debitum erunt. Modo fortiter agite. Hæc à sexenni puero dicta admiratio Regiæ totius excepit: à Cælo fatoque electum omnes uno ore & applausu conclamant. Eadem die Patruum natu maximum, tutorem suum, tamquam Patrem veneratus est; unde *Amahan* Tartara voce dictus est, quæ Patrem Regem significat; Sinæ *Amavang* vocant. Illi ergo totum bellum regendum commisit; & huic proprie Tartari Imperium debent: nam non minus consilio & prudentia, quam fortitudine ac fidelitate insignis fuit: unde rationibus ac consiliis prudentissimos quosque inter Sinas in admirationem rapiebat; comitate vero ac justitia eos dementabat. Plurimum etiam ad hæc omnia contulerunt Sinenses illi Præfecti, qui, ut ante diximus, iræ Imperatoris se subducentes, ad Tartaros confugerant, & patriæ infidi, modo cives suos verbis ac exemplo sollicitabant, modo egregia Tartaris consilia suggerebant; unde ad summas à Tartaris Præfecturas admissi sunt.

Amavangus Patruus & tutor Imperatoris fidelissimus.

Eadem quoque die ad *Usangueium* aliquæ Tartarorum Legiones missæ sunt cum diplomatibus, quibus *Usangueius* à novo Imperatore *Pingsi* Rex creabatur; tributarius tamen (*Pingsi* autem, Pacificans Occasum sonat;) *Xensi* Metropolim pro regia illi sede assignando. Quid hic faceret fidissimus hactenus *Usangueius?* Majora præmia à Sinico Imperatore sperare non poterat; Tartari autem jam tanto numero aderant, ut viribus longe inferior esset. Admisit ergo novam dignitatem, & Tartarum Imperatorem agnovit: ac ita, qui modo pro Sinis contra latrones ibat, contra Sinas, ut Tartaris Provincias subigeret, ire coactus est. Ut autem erat egregius Dux, latronem facile ex *Xensi* expulit, à Tartaris adjutus; ac in *Sigan* Metropoli regnavit hactenus. Ita honoribus auctum, à militia removerunt, quem armatum timere potuissent Tartari.

Usangueius Tartaris subesse coactus.

Quid de *Licungzo* latrone actum sit, ignoratur hactenus. Tantæ illius vires repente obrutæ conciderunt. Ab *Usangueio* occisus in pugna creditur; quamvis nec vivus, nec mortuus à quoquam mortalium agnitus aut repertus sit. Reliqua Tartarorum pars, eadem facilitate *Peking* & *Xantung* Provincias occupavit, ubi Sinicis militibus ac Ducibus per suas copias distributis, in immensum suos statim auxerunt exercitus. Universos enim non in fidem solum, sed etiam in militiam ad sequenda Tartarica signa recepere; ne devictos quidem aspernati, dummodo Tartarorum more capillos ac vestes adhiberent. Quin etiam, ut occupatæ gentes universim hoc facerent, edixerunt sub perduellionis pœna; quod res Tartarorum sæpius turbavit, plus pro capillis dolentibus ac pugnantibus Sinis, quam pro Regione vel Imperatore; ita ut non raro potius mori, ac capite plecti elegerint, quam in hac re Tartaris obedire: & quamplurima hujus rei exempla proferrem, nisi brevitatis memor essem. Minori itaque quam anni spatio, quatuor ingentes Boreales Provincias in suam redegerunt potestatem, *Peking* nimirum, *Xansi*, *Xensi*, ac *Xantung* (*Leaotung* non adnumerando) in quibus stylum Politices Sinicæ modumque gubernationis omnino non mutarunt; imo Sinicis Philosophis, ut antea, regendas urbes ac Provincias concesserunt; examina Litteratorum, ut antea, reliquerunt, sagaci consilio: nam ita propriis, ac à se inauguratis hominibus regimen, quasi suis creaturis, concedentes, id effecerunt, ut fidelitate omni pro Tartaris starent: solas autem militares Præfecturas, ac Militiæ regimen sibi reservarunt; quamvis ad hujus etiam Præfecturas fideliores Sinas admiserint, & in ipsa quoque urbe Regia eosdem Præfectorum ordines, ac sex summa Tribunalia, prout sub Sinico erant Imperatore, retinuerint; ita tamen, ut partim Tartaris, partim Sinis constent.

Quid de Licungzo actum, ignoratur.

Tartari varias occupant Provincias.

Sinicas leges non mutant.

Interea Australium Provinciarum Præfecti, de periculo Imperatoris admoniti, quam maximas potuerant ex omnibus copias convocarant, & jam *Peking* versus tendebant, quando de Imperatoris morte, ac Urbe *Peking* occupata, mœstissimum habuerunt nuntium. Statim ergo milites ab itinere cœpto revocant, & simul naves omnes, quibus annis singulis annona ac reliqua necessaria in Regiam transvehuntur. Paulo post de Tartarorum invasione & occupato per ipsos Imperio tristiora audiunt. Tum temporis ego ipse in urbe *Nanking* eram, ubi ingentem Sinarum confusionem ac metum vidi; donec tandem resumptis animis omnes Præfecti ex *Taiminga* Familia Regem unum in Imperatorem elegerunt, quem *Hungquangum* vocarunt. Hic ex Pro-

Hungquangus in Nanking Sinarum Imperator coronatur.

Provincia *Honan* advenerat, latrones fugiens; erat *Vanliei* Imperatoris nepos, *Zungchinii* consobrinus; quem magna coronarunt pompa ac ostentatione, sub eo meliora sperantes. Hic quamprimum electus est, ad Tartaros Legatum misit, pacem postulans magis quam petens, & occupatas cunctas Boreales Provincias ultro illis offerens. Sed Tartaros non latuit Australium Præfectorum animus: volebant bellum differre, donec res ac vires resumerent: unde responderunt, se ab alio non accipere, quod armis jam acquisivissent; & quandoquidem Præfecti Imperatorem elegerant, illum porro defenderent; se vero aut totum Imperium, aut nihil haberi velle.

Tartari pacem nolunt.

Hac infecta Legatione, dum arma parantur utrimque, adest interea *Nanking* adolescens, qui se *Zungchinii* majorem filium dicebat: nec parva hujus rei vera dabat signa; quinimo à multis Eunuchis agnoscebatur. At *Hungquangus*, regnandi ambitione tactus, numquam eum agnoscere vel admittere voluit, ne cederet Imperio: quinimo in carcerem detrusit, occidendum tamquam impostorem, multis Præfectis ex adverso frementibus. Res ad seditionem spectabat; & eo tandem deducta est controversia, ut Tartaris occasionem præberit intercipiendi Provinciam & urbem *Nanking*, aliquibus Præfectis non impedientibus, ne dicam instigantibus. Adsunt ergo Tartari in territorio urbis *Hoigan*; Orientale *Crocei* fluminis littus occupant, mox navibus flumen trajiciunt. Ex alia parte tantus stabat militum Sinarum numerus, ut si vel calceos abjecissent, aggerem fecissent, quem Tartarorum equi vix superassent. Sed nimirum animus in prælio valet, non numerus. Vix Tartari naves conscenderant, quando, velut oves visis lupis, nudo relicto latissimi ac velocissimi fluminis littore, aufugiunt Sinæ. Tartari fluvio superato, nullo viso hoste, *Nanking* Provinciam nobilissimam ingrediuntur, ac quidquid illius ad Boream *Kiang* fluminis, Maris filii, jacet, occupant velocissime. Ubi observandum illud in Tartarica militia rarum, quod antequam ad Provinciam aliquam ingrediantur occupandam, præcipuarum urbium ac locorum magis opportunorum Præfectos cum debitis præsidiis assignatos habeant: unde sine mora, quasi fulmina, vix ingrediuntur quin occupatam, & jam munitam possideant. Una urbs ditissima ac nobilissima *Yangcheu* vim experta est, ac egregie cum Tartaris pugnavit aliquoties; ubi & Reguli Tartari filius occisus est. *Zuus Colaus*, *Hungquango* Imperatori fidelissimus, illam defendebat cum ingenti militum præsidio; sed tandem Tartaris cedere coacta est: in qua milites omnes ac cives internecioni deleti sunt, domus omnes spoliatæ; mox ne fœtida cadavera tabem ac pestem corrupto aëre ingenerarent, omnia supra domos posita cum tota urbe ac suburbiis combusta sunt.

Zungchinii filius Nanking comparet;

Res Sinarum turbat.

Sinarum fuga.

Yangcheu urbs vim Tartarorum sustinet, sed capta deletur.

Hic Tartarus copias suas auxit, Præfectis reliquarum urbium ac copiarum se subjicientibus; quorum plurimi easdem sub Tartaro obtinuerunt Præfecturas ac urbes custodiendas, quas sub Sinico habebant Imperatore; alii etiam ad majora evecti sunt. Hac vero comitate, qua deficientes ad se amplectebatur Tartarus, ac crudelitate, quam vim expectantibus urbibus inferebat, illud obtinuit, ut fere omnes illam potius, quam hanc experiri vellent. Ita facile quidquid ultra Maris filium est, Boream versus, pronum ad deditionem Tartari habuere. Hic fluvius ultra milliare Germanicum latus, per mediam fere Sinam ab Occasu in Ortum fluens, in Borealem ac Australem eam dividit; imo & *Nanking* Provinciam mediam secat, quamvis *Nanking* Metropolis ac Regia in Australi sit littore. Ut ergo illam occuparent, fluvius superandus erat. Quamplurimas itaque naves colligunt, ut novam *Nanking* Regiam, ac novum petant Imperatorem. Sinica ingens classis in alio littore stabat, sub fortissimo ac fidelissimo Duce *Hoangchoango*: pugnatum hic utrimque acerrime; & *Hoangchoangus* jam Tartaros à Sinis vinci posse ostendebat, quando à proprio Duce sagitta transfixus est, qui à Tartaris corruptus fuerat ingentibus promissis (*Thienus* dicebatur, ex *Leaotung* terris oriundus) cujus sagitta rotam fortunæ Sinicæ fixit, ac Imperium perdidit. Nec his perduellis contentus, cum suis in fugam se dedit, & fugiendi militibus reliquis exemplar fuit; atque ita ad *Nanking* urbem transiit, & quasi fidelissimus, Imperatori *Hungquango* ex eadem urbe fugienti comitem se adjunxit. Tartari, superato fluvio, ubi Imperatorem effugisse audiunt, velocissime insequuntur; quos *Thienus* adesse videns, *Hungquangum* capit, ac Tartaris tradit, mense Iunii M DC XLV, quem *Peking* mittentes, ibi pro mœnibus arcus chorda strangulant (quod mortis genus nobile æstimant Tartari)

Tartari varia loca occupant.

Pugna inter Sinas ac Tartaros.

Proditor rem Sinicam perdit.

Hungquangus Tartaris traditur ac occiditur.

tari) cum nondum integro anno imperasset. Eadem pœna affectus est juvenis ille, verusne fuerit an fictus *Zungchinii* filius, quem in carcere Tartari repererunt. Sed non hi solum ex Imperiali Familia *Taiminga* occisi à Tartaris sunt; verum omnes quotquot ad manum habere potuerunt, undique diligenter conquisiti: atque hic tyrannicus mos est totius Asiæ, ubi, occupato Regno, omnes Regum consanguinei ab inimicis radicitus extirpantur. Post hæc *Nanking* ingrediuntur, ac reliquas omnes nobilissimæ Provinciæ urbes pronas ad deditionem inveniunt. Inde velocissimo cursu usque ad urbem *Hangcheu*, nobilissimam ac ingentem *Chekiang* Provinciæ Metropolim, victores transeunt; diviso tamen exercitu, cujus una pars per *Kiang* fluvium missa est, ut mediterranea occuparet, *Kiangsi*, *Huquang* & *Quangtung* nimirum, vastissimas Provincias. Præcipui autem Sinarum fugitivi milites, Duces ac Præfecti, ad *Hangcheu* convenerant; ubi novum è *Taiminga* Familia Imperatorem eligere volebant *Louangum* Regem, qui Imperialem dignitatem non admisit, solo Regis titulo contentus; forte ut minus ex alto caderet, ac minus mortem sentiret: illam vero se admissurum dixit, quando milites expulsis Tartaris Regiam unam occupassent; proinde ut fortius, quam hactenus, agerent. Nondum triduum regnaverat (minori tempore, quam sæpe ii, qui in Sinicis comœdiis Regum personas agere solent) quando Tartari adsunt. Post eorum adventum, milites, qui sub variis Ducibus ad hanc urbem confugerant, pugnare promittunt, si prius debita persolverentur stipendia: volebant scilicet eo tempore, quo maxime videbantur necessarii, tum à Regulo, tum à civibus argentum extorquere, nihil deinceps acturi. Hic vero *Louangus*, qui natura verè comis ac pius erat, tantæ urbis ruinam non ferens, & populorum sortem miseratus, quantum subditos amaret ostendit; ac tale dedit exemplum, quale Europa numquam audivit. Urbis mœnia scandit; inde Tartarorum Ducem flexis genibus alloquitur; rogat ut urbi ac civibus parcat: *De me*, inquit, *quod vultis statuite; pro meis subditis vobis victima ero.* Hæc dicens, ad Tartaros ipse tendit, ac capitur. Fuit hoc illustre maximi erga subditos amoris testimonium: & talis virtus fructu suo non caruisset, si vel Alexandrum aliquem, vel Cæsarem reperisset. Tum Tartari, ut urbis mœnia clauduntur à civibus, jubent; ne vel proprii, vel Sinenses milites eam ingrederentur: hos vero milites extra urbem positos undique insectantur, ac necant; sed multo plures aquæ hauserunt, quam sagittæ Tartarorum aut acinaces: ad Australem enim urbis portam ingens labitur fluvius ultra leucam latus, cui nomen *Cienthang*; hunc fugitivi milites superare, omnes confusione ac timore pleni, contendunt: naves plus æquo onerant, dum debito plures conscendunt, ac ita merguntur; alii ab aliis in flumen projiciuntur: multa sic millia periere. Expulsis in hunc modum, aut necatis militibus, cum naves Tartari non haberent ut fluvium superarent, in urbem regrediuntur, nulla illata vi aut violentia. Ita nobilissima hæc urbs conservata est, cujus pulchritudinem, divitias ac magnitudinem alibi fusè describam, non ut auritus, sed oculatus testis; ex hac enim in Europam transivi, ac in ea tres ipsos annos jam vixeram antea.

Tartari Hangcheu urbem petunt.

Inauditus Louangi Reguli erga subditos amor.

Multi milites hauriuntur.

Hangcheu capitur.

Habet eadem urbs *Hangcheu* ad Boream navigabilem canalem arte factum, per quem ad Boreales partes patet navigatio: hic solo aggere separatur ab Australi fluvio. Ex hoc igitur canali Tartari celerrime quamplurimas naves per terram aggeris tractas, deducunt ad fluvium *Cienthang*, quibus, nullo obstante, eumdem transmittunt, ac totius Sinæ pulcherrimam urbem *Xaoking* facilem ad deditionem reperiunt. Hæc urbs magnitudine quidem multis cedit; sed nitore ac munditia omnes facile superat: in aqua dulci jacet, ac tota extra ac intra mœnia navigio lustrari potest: plateas habet latissimas, quadratis lapidibus candidis utrimque stratas, in quarum medio navigabiles fossæ aut canales omnes in utroque littore quadrato lapide vestiuntur: pontes quamplurimos numerat ex eodem lapide, & arcus triumphales non paucos: domus etiam (quod nullibi alibi in Sinis) ex quadrato sunt lapide: nihil denique hac urbe nitidius tota Sina videt. Obtinuerant ergo illam Tartari sine ulla vi: & reliquas *Chekiang* Provinciæ Australes facile quoque ad ultraneam deditionem pronas habuissent; verum ubi edixerunt, ut omnes Tartarico more crines abraderent, tunc enimvero milites ac cives arma in Tartaros exacuerunt, pro capillis magis, quam pro Regione sua solliciti; pugnaruntque egregie, ac Tartaros non modo ex urbe ejecerunt, sed ad *Cienthang* fluvium usque repulerunt:

Xaoking urbs capitur.

Sinæ capillos suos defendunt.

runt: imo eos ad transitum fluvii coëgerunt, quamplurimis eorum occisis. Plane si fluvium superassent, Metropolim ac reliqua recuperassent: sed utcumque contenti servatis capillis, victoriam non ultra promoverunt, in littore tantum Australi resistentes, ac sese undique munientes. Ita integro anno Tartarorum victricia arma repressa sunt. Vt autem Sinæ caput haberent, *Lu* Regulum ex *Taiminga* Familia in Imperatorem eligere volebant; qui id non admisit, sed solum Restauratoris Imperii nomen assumsit. Intereà Tartari novas ex *Peking* copias advocarunt, quibus aucti omnem adhibuere conatum, ut fluvium *Cienthang* superarent; sed omnia frustra. Respirabant ergo lassæ Sinarum res; imo congregatis viribus majores victorias promittebant: sed regnandi libido ac æmulatio omnem hanc spem præscidit. Nam ex *Fokien* Provincia milites ac Præfecti è *Chekiang* aufugientes, secum ex *Taiminga* Familia Regulum *Thangum* abduxerant. Hunc ergo in *Fokien* Provincia, quæ *Chekiang* confinis est, in Imperatorem elegerunt. Hic volebat, ut *Lu* Regulus Imperio cederet, eo prætextu, quod paucas obtinuisset urbes, & sanguinis propinquitate remotior esset ab Imperatoribus quam ipse. Contra vero, *Lu* Regulus se primum proclamatum à subditis prætendebat, & victoriæ fructum ostendebat. Ita Tartari, inter duos litigantes tertii, gavisi sunt, vel (ut Sinæ dicunt) volucre ac concha pugnantibus piscator, qui utramque cepit, lucrum habuit. Numquam hi duo Reguli arma conjungere, aut alter alteri cedere voluerunt, ut communibus armis Tartaros reprimerent. Cum itaque *Lu* Regulus solas octo urbes regeret, stipendia tot militibus necessaria habere non poterat: unde soli defensioni intentus, numquam est ausus fluvium trajicere. Tartari interea, quo pacto fluvium transmitterent, inquirebant: navibus non audebant; quia *Lu* Regulus quamplurimas, etiam ex mari advectas, cum tormentis majoribus in promptu habebat: sed anni istius felicitas iis viam aperuit. Forte æstas solito siccior fuit, & fluvius in Australi parte, prope civitatem *Tunglieu*, ubi per montes fluit, nec maris æstu augetur, multum profunditatis amiserat: hic Tartari equites transitum repererunt. Nondum viginti fluvium superaverant, nullo obstante (nam ab hac parte, ob montium asperitates, nulli Sinarum milites stabant) quando à rusticis fugientibus admoniti milites Sinæ, omnes aufugerunt. Ipse *Lu* Regulus *Xaoking* urbem deseruit; ac terræ non fidens, naves conscendit, Insulamque *Cheuxan*, è Regione *Nimpo* urbis petiit; ubi hactenus tutus mansit, ac regnat. Quæ Insula, cum vix habitaretur nisi à rusticis & piscatoribus, modo in potentissimum evasit Regnum, quamplurimis Sinis ad *Lu* Regulum confugientibus, quasi ad suorum capillorum asylum. Hic jam septuaginta duæ numerantur civitas: classetes multas habet, quibus hactenus omnem Tartarorum vim elusit, & bene agendi ex ipso Sinarum continenti aliquam expectat occasionem. Ita Tartari facile *Chekiang* Provinciæ reliquas omnes urbes ac civitates in suam redegere potestatem. Vna *Kinhoa* urbs, in qua summus Præfectus mihi amicissimus domum ac sedem habuit, ejusque urbis erat civis, vim Tartarorum aliquot mensibus sustinuit, ipso Præfecto Duce. Vnde Tartari, ne una urbs aliarum victoriam retardaret, in tres partes copias diviserunt; una pars per *Khiucheu* urbem ac montes, alia per *Vencheu* ac littora maris, *Fokien* Provinciam petebat; reliqua, *Kinhoa* pertinaciter obsidebat.

Duo simul Reges rem Sinicam perdunt discordia.

Tartari fluvium superant, & Xaoking recuperant.

Insula Cheuxan in Regnum evadit.

Kinhoa urbs capitur ac vastatur.

Quo tempore ego ab Imperatore *Lunguvo* missus, *Venxui* civitatem, urbi *Vencheu* subjectam, ingressus sum. Adfuere quam mox Tartari, ac urbem quidem *Vencheu* primo facile impetu occuparunt, neque multo difficilius illi subditas civitates. Ego domum quamdam ampliorem *Venxui* civitatis, quæ tota tumultu ac plurium tum pavore, tum fuga fervebat incolebam. Vt Tartaros adventare inaudii, supra majorem domus portam longæ latæque rubræ papyro hæc inscripta verba exposui: *Hic habitat ex magno Occidente divinæ legis Doctor.* Similes inscriptiones Præfecti, dum iter faciunt, domibus, ad quas divertere consueverunt, affigere sunt soliti, ut qui qualesque sint omnibus innotescat. Deinde ad domus atrium in aula majori Europæos libros, interque eos majora quædam ac splendide compacta volumina exposui, instrumenta quoque Mathematica quædam, tubos opticos, specula cautica, aliaque similia adjeci: demum Dei Servatoris imaginem in altari ad hoc erecto felici plane eventu collocavi. Tantum enim abest, ut ullam à militibus Tartaris passus sim injuriam aut molestiam, ut potius ipsemet Tartarorum Regulus invitatum me liberalissime exceperit, rogaveritque, num capillitium ac vestes Sinicas

nicas

nicas æquo ac lubenti animo essem mutaturus. Annuentem me, coram se tonderi jussit; cumque significarem ego, rasum hujusmodi caput Sinicis vestibus haud admodum congruere, suas ipsemet extraxit ocreas, meque induere voluit, pileolum quoque suum Tartaricum capiti meo imposuit, epulo excepit, datisque patentibus literis ad antiquam meam stationem, templumque nostrum ac domum nobilissimæ urbis *Hangcheu* abire permisit. Plurimas ad *Kinhoa* acceperunt à fortissimo Præfecto clades Tartari, quia majoribus tormentis assiduè in illos sæviebat: unde eos castra longius figere coëgit. Demum & illi ex Metropoli majora tormenta adduxere, quibus mœnia disjicientes, urbem tandem occuparunt, totamque ferro ac igne misere vastarunt. Ipse Præfectus, ne in Tartarorum manus perveniret, cum tota familia seipsum combussit, dolio tormentarii pulveris admovens ignem intra palatium in quo habitabat.

Kinhoa urbs capitur ac vastatur.

Fokien Provincia à tribus Provinciis, *Quangtung* nimirum, *Kiangsi*, ac *Chekiang*, continuis separatur montibus; per quos ut ingrediaris, trium dierum iter est asperrimum; altissimi undique colles, ac profundissimæ valles, horridique calles, famosis Græcorum Thermopylis sive Tauri jugis aut difficiliores, aut æquales fortasse. Erat facilis defensio, si vel pauci rustici asperiora occupassent loca, aut vias resciſsionibus aliquibus impedivissent: sed Tartarorum metus adeo Sinarum animos occupaverat, ut vel equorum aspectum non ferrent. Nudos ergo à præsidio montes fugientes relinquunt Sinæ, quos vel ita vacuos ac non custoditos summa superarunt difficultate Tartari, multis curribus ac impedimentis relictis, & pluribus equis præcipitio amissis. Demum facilius totam Provinciam *Fokien* occuparunt, quam alii potuissent prohibere: vix enim tantum temporis in ea occupanda insumpserunt, quantum necessarium est ad eam facile perambulandam. Ipse Imperator, cui nomen *Lunguus* (quod Draconem Belligerum sonat) ovi se quam Draconi similem magis præstitit, aufugiens cum valida militum manu, si numerum spectes. Sed nec sic Tartaros effugit: nam pernicibus equis eum insecuti, sagittis hos fugientes velut ovium greges mactarunt; ipseque Imperator derelictus à suis, inter occisos creditur mansisse: numquam enim amplius de eo quidquam auditum est.

Tartari Fokien Provinciam occupant facillime.

Lunguus Imperator occiditur.

Quia ergo tota Provincia ultro sese dedidit, & facilius quam ulla alia occupata fuit, nullibi vim repellentibus Sinis, parum passa est à Tartaris; quinimo pluribus ex ea militibus assumptis, & aucto exercitu, eodem deinceps victoriæ cursu in *Quangtung* irruperunt. Illud rarum, pari felicitate ac velocitate usum fuisse alterum Tartarorum Ducem, cui ut mediterranea subigeret, mandatum erat. Nam eodem tempore, per *Huquang* & *Kiangsi* victor transiens, in *Quangtung* pervenerat; & primam illius urbem *Nanhiung*, vim experiri volentem, igne ferroque delevit. Ita à duplici exercitu facile subacta est Provincia *Quangtung*. Inde vero unus exercitus ad *Peking*, dives spoliis, ac victoriis nobilis, revocatus est; relicto tamen in singulis urbibus præsidio, & designatis Imperatoris Tartari nomine Magistratibus, tam Togatis, quam Militaribus.

Quangtung Provincia invaditur.

Prudentiores, hujus facilitatis causam in occupanda *Fokien* Provincia aliunde conjiciunt, quibus & ego subscribo: Erat tum temporis in ea famosissimus pyrata, *Chinchilungus* nomine, hic ex *Fokien* oriundus, ac vili loco natus, Lusitanis primum *Macai*, mox Hollandis in Formosa (ita Insulam vocant) ut famulus servivit (*Iquon* exteri omnes vocabant) omnibus notissimus, Hispanis, ac Hollandis: non ita multo post pyrata evasit; ubi vero ex parvis initiis ingentes congregavit classes, ingenio ac manu promptus, ad tantas demum divitias ac vires pervenit, ut Sinicum Imperatorem vel æquaret, vel superaret: nam totius Indiæ mercimonia solus obtinebat, cum Lusitanis *Macai*, cum Hispanis in Philippinis, cum Hollandis in Formosa ac nova Batavia, cum Japonibus, nec non reliquis Regnis, ac Insulis hujus Oceani Indici ditissima habebat commercia. Sinicas merces solus per suos educebat; Indicas autem & Europæas, ac argentum reducere solitus. Cum enim ab Imperatore Sinico criminum veniam extorsisset potius quam obtinuisset, ita viribus auctus est, ut jam classes ter mille navium instrueret. His non contentus, occulte Imperio inhiabat: verum quia probe noverat, nihil se efficere posse, dum Imperialis *Taiminga* Familia superesset (numquam enim populus aut Præfecti illum admisissent, quinimo, ut perduelli restitissent potius) hac Tartarorum occasione sperabat illam extinguendam: tum contra Tartaros, tamquam Sinarum hostes, arma pia pro Sina, ac ab omnibus passim arripienda sumere

Famosus pyrata apud Sinas.

ſumere cogitabat. Nec dubium quin eo prætextu, tamquam Servator ab omnibus adjutus ac ſuſceptus fuiſſet; itaque cum Tartaris ſecreta habebat conſilia, illis favens, ut ſibi prodeſſet. Hoc autem tempore, quando in *Fokien* irrumpebant, totius belli Dux à *Lunguvo* declaratus fuerat; omnes exercituum Duces illius erant vel fratres, vel affines; milites omnes illius obſequio addicti. Ab hoc ergo admiſſi ſunt Tartari: unde non mirum, ſi Provinciam *Fokien* ingreſſi, illum Regis titulo donarint, *Pingnan* Regem conſtituentes (quod Pacificans Auſtrum ſonat) ac multis aliis honoribus ornantes, ut facilius deciperent: fortaſſis enim illius mens eos non latuit, vel ex magna, qua pollebat, potentia ſuſpicabantur quod erat; illum videlicet aſpirare ad ſumma: vim tamen contra illum adhibere auſi non ſunt; quinimo toto tempore, quo in *Fokien* Tartarorum Regulus militum Dux manſit, honorifice eum habuit, munera ſæpe tranſmittens, ac ſplendidis excipiens conviviis, eidem inſuper *Fokien* & *Quangtung* Provincias regendas promittens. Jam ergo ſe Auſtralium Provinciarum regimen ſolidum ac ſtabile obtenturum cogitabat; ſed longe aliud accidit. Cum enim Regulus Tartarus ad *Peking* redire vellet, Sinarumque Præfecti (ut mos eſt) omnes illum convenirent ad valedicendum, ac per aliquod itineris ſpatium comitarentur ac deducerent, hoc ultimum urbanitatis officium *Iquon* ſive *Chinchilungus*, ſui omniſque adeo periculi ſecurus, etiam præſtitit: ita cum paucis, claſſe in portu *Focheu* Metropolitanæ relicta, Regulum Tartarorum adiit, ac comitatus eſt: ſed cum valediceret, & jam abeundi peteret facultatem, à Regulo invitatus eſt ut ſecum ad Imperatorem in *Peking* iret, ubi majores honores ſplendidis verbis promittebantur. Multis hoc iter excuſavit: ſed ire tandem coactus fuit; & hac arte captus eſt, qui aliis armis vix capi potuiſſet. Etiamnum in *Peking* arcta detinetur cuſtodia: quia illius filius ac fratres, cum captum audirent, claſſes repetivere, quibus mare Sinicum infeſtant hactenus. De quibus infra aliqua dicenda occurrent.

Tartari mira arte pyratam decipiunt, ac capiunt.

Alter interea exercitus, qui per mediterranea in *Quangtung* pervenerat, inde *Quangſi* Provinciam invaſit. Sed hic arma, quorum vel nomen Sinis timendum fuit, egregie retuſa ſunt; & unde minime cogitabant Tartari, victoriæ obicem repererunt.

Vincuntur Tartari in Qangſi.

Erat forte *Quangſi* Provinciæ Prorex *Khiu* Thomas, Chriſtianis ſacris initiatus, & ſummam militum hujus Provinciæ Præfecturam *Ching* Lucas obtinebat, cujus familia, jam à quinta progenie, non minus Imperatori Sinico ſtrenue, quam Chriſto militabat. Hi ergo quamplurimis militibus ac Ducibus congregatis, qui ex aliis Provinciis in *Quangſi* confugerant, communibus armis Tartaros vinci poſſe oſtenderunt. Nam poſtquam jam Tartari aliqua hujus Provinciæ loca occupaſſent, illos magna ſtrage affectos vicerunt: imo *Quantung* vicinam Provinciam ingreſſi, Occidentalem illius partem recuperarunt. Poſt hæc, ut caput haberent pro quo pugnarent, ac cujus auſpiciis regerentur, reliquoſque Sinas promptiores & alacriores ad communem patriæ defenſionem allicerent, Regulum ex *Taiminga* Familia, *Vanliei* Nepotem, qui in *Queilin*, *Quangſi* Provinciæ Metropoli ſedem habuit, in Imperatorem elegerunt, qui *Junglieus* dictus eſt. Hic in *Quangtung* Provinciæ nobiliſſima *Chatking* urbe Imperialem fixit ſedem, & hactenus utcumque feliciter contra Tartaros pugnavit. Apud hunc maximus Eunuchus, *Pang Achilleus* dictus, Chriſtianis eſt ſacris initiatus, à multo tempore ita Chriſto ſerviens, ut nomine ac re ſemper hactenus ſe verum Chriſti cultorem oſtenderit; quod ut melius ageret, apud ſe Patres è noſtra Societate habuit: inter quos eſt R. P. *Andras Xavier* (cujus agnomen proprium eſt Coffler,) Auſtriacus, & R. P. *Michaël Boym* Polonus; quorum opera frequentiſſimi hic ad Chriſti ovile acceſſerunt; inter quos, ipſa Imperatoris Mater, Vxor, ac filius, totius Imperii heres; qui Conſtantinus dictus eſt, & cui à bonis omnibus adprecandum, ut (favente Deo) alter ſit Sinarum Conſtantinus. Ipſemet Imperator à Fide Chriſtiana non abhorret; ſed hactenus Baptiſmum diſtulit: permiſit tamen ut Regina patrem *Michaëlem Boym* è noſtra Societate Legatum, ad præſtandam Summo Pontifici obedientiam, ablegaret, ut Europa jampridem inaudiit. Deus Opt. Max. eam illi concedat felicitatem, quæ longe lateque in omnes redundet Sinas, ad majorem Dei gloriam.

Junglieus fit Sinarum Imperator.

Imperii heres Chriſtianis ſacris initiatus.

Non tantum in *Quangſi*, ſed etiam in *Fokien*, viſi ſunt Sinæ animos reſumere. Cum enim Tartarorum exercitus ex ea Provincia ad *Peking* revocatus eſſet, vix eo pervenerat, quando ex montibus *Fokien* Provin-

Latrones Fokien Provinciam turbant.

Provinciæ *Vangus* quidam idolorum sacrificulus (qui olim militum Dux fuerat) cum multis seditionem excitavit, ac nobilem urbem *Kienning*, aliasque civitates occupavit, occisis Tartarorum præsidiis. Alii quoque hujus exemplum secuti, ex montibus ubi latitabant eruperunt, & varia loca receperunt. Quinetiam eodem tempore capti *Iquon* affines ac fratres maria infestabant: unde in terram egressi, partem Provinciæ circa *Sivencheu* & *Changcheu* suis armis ac milite habuerunt infestam. Erat tum temporis in *Chekiang* Provincia summus Tartarorum Præfectus, duarum Provinciarum Pro-rex, qui auditis his motibus, eadem nocte, maxima celeritate cum omnibus copiis in *Fokien* contendit. Timebat non immerito ne montium fauces, ac difficiliora itinera Sinæ occuparent: quod si fecissent, plane de illa actum fuisset Provincia. Sed ubi ad montes pervenit *Changus* (nomen id Pro-regi fuit) & à præsidiis vacuos montes invenit, tum se victorem, ac rebelles perditos proclamavit. Ingressus est ergo, nemine reluctante; & *Kienning* urbem, in quam se receperat *Vangus*, obsedit. Tenuit aliquot menses hæc obsidio: numquam tamen eam urbem vi intercipere potuit; quin potius plurimis suorum amissis, judicavit sibi temperandum esse ab assultibus, & urbem eminus obsidendam: obtinuit tamen per id tempus, ne reliqui Sinarum Duces cnm *Vango* conjungerentur, unde vires sufficientes habere non potuit *Vangus*, quibus extra mœnia bellum committeret.

Changus Tartarorum Dux frustra urbem Kienning obsidet.

Capitur tandem, ac deletur.

Tartari vero qui erant in *Peking*, ubi hos audivere motus, novum exercitum statim submiserunt, ad hanc Provinciam pacandam. Novorum ergo militum auxilio, post aliquot mensium spatium quo urbem obsederant, tandem magnis allatis tormentis (quæ bajuli per asperrimos montes raro portabant artificio, onera etiam maxima longis vectibus suspensa humeris ferre soliti) mœnia disjecta sunt, & omnes intra urbem tum milites, tum cives, ipsique infantes ad internecionem occisi; trecenta hominum millia ibi cæsa fuisse Patres nostri mihi scripsere. Deinde urbs tota flammis est tradita. Eo incendio nostrum hic etiam templum pulcherrimum conflagravit. Duo autem Patres è nostra Societate ex ipsa urbe paulo ante mira Dei providentia emissi fuerant, R. P. *Simon de Cunha* Lusitanus, & R. P. *Ioannes Nicolaus Smogoleski* Polonus, servati tamquam Loth ex Sodoma, quod nomen, ob nefandam libidinem, huic urbi maxime convenit. Intercepta porro & deleta hac urbe, totam hanc Provinciam facile iterum subegerunt Tartari: ex Sinis autem, alii montes repetivere, alii maria: atque ita denuo ad *Peking* novus hic exercitus revocatus est. Observandum enim hoc quoque in Tartarica militia rarum, quod victores exercitus revocent, ac novos submittant ex sua gente, quæ tota omnino belli studiis addicta est; qua in re duo potissimum spectant: Primum quidem, ut ultro citroque militibus per Provincias assidue transeuntibus, Sinas timore in officio contineant: Secundum, ut magis egentibus Tartaris militibus provideant: victores enim multis spoliis ditatos revocant, ut se recreent; quorum exemplo ad fortiter pugnandum magis egentes invitantur, similem fortunam expectantes, opimamque prædam sibi quoque minime defuturam rati.

Ceterum his peractis, res Tartarorum ad maximum pervenerunt discrimen, occasione cujusdam proditionis. Quamvis enim omnem moveant lapidem, ut nullus detur rebellioni locus; quamplurimas tamen experti sunt. Cum enim vastum & ingens sit hoc Sinarum Imperium; ut præsidia debito loco atque ordine collocentur, necesse est Sinas ipsos ad hæc etiam adhibere: soli enim Tartari non sufficerent. Et quamvis hoc diligenter observent, ut numquam ex eadem Provincia Duces vel milites in ea relinquant; quamplurimos tamen habuere perduelles. Ita autem præsidia distribuunt, ut in qualibet Metropoli sedem figat summus militum Dux, cui omnes reliqui pareant. Hic justum alit exercitum; ac ubi majores motus audit, opportune subvenire debet. Quælibet deinde urbs suum habet Ducem cum sufficiente militum numero. In Metropoli maxima ex parte Tartari sunt milites; in aliis urbibus Sinæ fere omnes. Sed cum nullum adeo egregium consilium, aut regimen providum sit, quod proditio evertere non possit, nec sui Tartaris defuere proditores. Inter hos, primus à Tartaris defecit summus Dux *Kinus*, qui Provinciam *Kiangsi* regebat. Erat ille ex *Leaotung* oriundus. Hujus autem regionis incolis, utpote Tartariæ vicinissimis, maxime fidunt Tartari. Accidit autem (nescio quo casu) ut illi cum totius Provinciæ Visitatore, ob hujus avaritiam, suborirentur aliquæ contro-

Præsidia Tartarorum qualia.

Dux Kinus à Tartaris deficit.

 trover-

Inter duos Tartarorum Præfectos odium Kiangſi Provinciam turbat.

troverſiæ & contentiones, quæ paulatim in ſecreta odia tranſierunt: & quamvis uterque, more Sinarum, miro artificio odium diſſimularet ac tegeret; demum tamen in apertam totius Provinciæ perniciem erupit. Cum enim eamdem regerent Provinciam, ille Militaris, hic Togatus Præfectus, ſæpe ſimul convenire debebant, imo & convivia ſimul celebrabant. Forte protracto diutius convivio (ut moris ibi eſt) Comœdiam ſpectabant, in qua perſonæ Sinicis, non Tartaricis veſtibus, tamquam pulchrioribus utebantur: tum *Kinus* ad Viſitatorem converſus, *An non hic habitus noſtro*, inquit, *eſt gravior ac melior?* Fuere hæc verba ejuſmodi, ut de iis Viſitator per libellum Imperatorem admonendum judicaret, in quo æmulum *Kinum* accuſabat, quod edictum Tartarorum de mutandis veſtibus contemneret, magiſque propenſum erga Sinicas veſtes animum oſtenderet.

Habebat *Kinus* apud Viſitatorem muneribus largitionibuſque à ſe corruptum quemdam, qui alteri erat à ſecretis: is eum de ſingulis dictis vel ſcriptis admonebat. Vbi vero hunc libellum miſſum audiit, per ſuos ſtatim curſorem intercipit, ac libello lecto, quamprimum Viſitatoris palatium armatus invadit, ac ipſum trucidat. Deinde cum tota Provincia, applaudentibus Sinis, à Tartaris deficit, ac *Junglieum* Imperatorem agnoſcit. Una urbs *Cancheu*, quæ à fideliſſimo Tartaris Duce regebatur, non paruit *Kino*; imo, ut videbimus, ſola in cauſa fuit, cur Tartari denuo *Kiangſi* ac *Quangtung* Provincias recuperarent. Nam & in *Quangtung* Provincia ſummus militum Dux *Lihuzus* eodem tempore à Tartaris defecerat, ac eam Provinciam *Junglieo* ſubjecerat; & in *Huquang* Auſtraliores partes *Junglieum* quoque admiſerant Imperatorem. *Lihuzi* autem mens ac conſilium erat, cum *Kino* vires conjungere, & unitis viribus Tartaros ejicere ex Imperio. Nec forte victoria conſilio defuiſſet; ſed Præfectus urbis *Cancheu* (quæ quatuor Provinciarum clavis eſt) dolo ac arte ſpem omnem præcidit. Is ubi *Lihuzum* etiam à Tartaris defeciſſe, & cum exercitu advenire inaudiit, hanc ad eum epiſtolam dedit: *Hactenus* Kino *non parui, quod illius vires Tartaris pares non crederem: ſed quandoquidem, fortiſſime Dux, etiam in Tartaros moves, quod amplius ab his ſperem non habeo. Tuus ſum, & tuarum partium ſectator: ubi vel ipſe, vel per tuos aderis, hanc urbem tibi tradam.* Interea ex vicina Provincia *Fokien* quanta poteſt à Præfectis Tartaricis auxilia poſcit, quæ quam poteſt occulte in urbem intromittit. Adeſt ergo *Lihuzus*, & urbis portas apertas reperit: ſed dum quaſi de tota re ſecurus cœpit ingredi, ab undique inſurgentibus Tartaris invaditur, ac magna vi repellitur. Inopinatus iſte caſus perculit ejus milites; magnaque affecti ſunt ſtrage: ipſe quoque extinctus dicitur; nam de eo nil amplius auditum eſt.

Multa loca à Tartaris deficiunt.

Cancheu urbis Præfecti dolus.

Hæc res maxime *Junglieì* Imperatoris negotia ac ſpes turbavit. Sed *Kinus* interea non paucas de Tartaris victorias obtinet. Cum enim ſummus Auſtralium Provinciarum Præfectus, qui in *Nanking* urbe ſedem habebat, quantas potuit copias repente collegiſſet, ut *Kinum* opprimeret; cæſus tamen ac fugatus eſt aliquoties. Et ſiquidem hic *Kinus* victoriarum curſum promovere potuiſſet, ad ipſam uſque *Nanking* urbem victor penetraſſet; ſed propter urbem *Cancheu* merito ſollicitus, regredi coactus eſt: quia à tergo hoſtem relinquere tutum illi non erat, cum nec annonam, nec reliqua neceſſaria à *Junglieo* habere poſſet, niſi per urbem *Cancheu*, prono flumine. Quare ubi de *Lihuzi* caſu inaudit, cum omnibus ſuis copiis ad *Cancheu* urbem ſe contulit, eamque obſedit. Verum dum hæc obſidio moras trahit, ex Regia *Peking* novus adfuit Tartarorum exercitus, cui mandatum erat, ut *Kiangſi* Provinciam recuperaret. Vnde *Kinus*, relicta obſidione, ad Borealia Provinciæ confinia cuſtodienda ſe recepit, Tartaris ingreſſum prohibiturus. Et primo quidem ſatis feliciter ac fortiter pugnavit: ingentem enim habebat exercitum Tartaricis armis aſſuetum ac pugnis: ſed irruentium impetum ſuſtinere diutius non valens, coactus eſt tandem retrocedere, ac Metropolim *Nanchang* ingredi ad ſecuritatem: quam tamen urbem Tartari violento marte invadere non auſi, longa obſidione ad deditionem cogere ſtatuunt. Convocatis ergo undique ruſticis Sinis, & ad opus adactis, tantum effecit, ut latiſſimam foſſam per ingens ſpatium circa urbem ducerent quacumque per terram patebat iter; in fluminibus vero claſſes diſpoſuerunt, omnem ſic urbi annonam intercluſuri. Eſt urbs *Nanchang* ampla, & incolis frequentiſſima, quam ingens tum temporis militum multitudo propugnabat: unde, licet quantam potuit *Kinus* annonam collegiſſet, poſt aliquot

Kinus Tartaros vicit.

Kinus à Tartaris obſidetur.

aliquot tamen obsidionis menses ad summas angustias redactus est. Quamplurimi jam fame moriebantur, & tamen deditionem differebant, à *Junglieo* auxilia sperantes. Sed & *Cancheu* urbs, numquam à *Quangtung* militibus subigi potuit. In quo rerum articulo, summa victus inopia pressus *Kinus*, sic suos est allocutus: *Nulla nobis, commilitones, spes restat, nisi in manu & animis. Vi nobis per Tartaros aperienda est via: fortiter agite, meum secuti exemplum.* His dictis, & rebus bene ordinatis, derepente erupit; summamque in fossæ transitu difficultatem expertus, demum eam, nequicquam pugnantibus Tartaris, cum suis superavit, ac pugnando fugæ locum invenit, quamplurimis occisis Tartaris. *Kinum* vivum evasisse, constans est fama, ac latitare in montibus cum non contemnendis copiis, & novas bene agendi ibi expectare occasiones.

Kinus ex urbe erumpit.

Vbi ergo evasit, Tartari urbem ingressi eam diripiunt; deinde cives omnes internecione delent. Est enim hoc Tartaris solemne, ut urbibus sese tradentibus nil mali inferant; resistentibus autem priusquam in eorum potestatem veniant, duriores sint; sed rebellantibus nullo modo parcant, si vi recipiantur. In hac etiam cæde duo ex nostris Patribus, R. P. *Tranquillus Grassetti* Italus, & R. P. *Iosephus de Almeida* Lusitanus, ac frater Coadjutor *Emanuel Gomez* Macaensis periere, non quidem intra urbem, sed in pago à prædantibus militibus occisi; antiquum quoque ac pulchrum templum nostrum conflragravit intra urbem. Post hæc, Tartari totam Provinciam pronam ad deditionem nacti, ea omnino pacata, & relictis novis præsidiis, reversus est ad *Peking* victor exercitus. Interea *Peking* alii tres novi parabantur exercitus, ad *Quangtung*, ac reliquas Provincias, *Junglieo* Sinarum Imperatori adhuc subjectas, denuo subigendas, ac melius conservandas. Cum enim tutor Imperatoris Tartari, ac reliqui Magnates, tot viderent motus & defectiones Australium Provinciarum; ut sibi subditos in officio continerent, decreverunt eas concedere Tartaris Regulis, tributariis tamen, à quibus regerentur. Anno itaque, quo hæc agebantur, MDCXLIV tres Reguli missi sunt cum tribus justis exercitibus, qui partim Tartaris, partim Sinis militibus constabant. Vnus ex illis Provinciæ *Fokien* Regulus, alius *Quangtung*, tertius *Quangsi* constitutus est, ea conditione, ut primum unitis viribus ac armis *Quangtung* recuperarent, ac *Junglieum* profligarent. Sed de his infra: nunc ad præcipuas Borealium Provinciarum à Tartaris defectiones veniamus.

Nanchang urbs vastatur.

Tres Reguli creantur, ac cum totidem exercitibus contra

Junglicum mittuntur.

Non minus ad Boream, quam ad Austrum, libertatis amantes Sinæ se sic interim probarunt: ubi Duces quidem à Tartaris victi, sed non capti, secreta de ejiciendis Tartaris agitantes consilia, & hi Provinciarum tutiora ac secretiora loca incolentes, quotquot poterant milites congregarunt. Tres ex illis in *Xensi* Provinciæ densissimis montibus vagabantur: primus, *Hous* dicebatur. Hic jam viribus pollens, reliquos invitavit ut sibi auxilio essent, ac conjunctis viribus patriam liberarent. Vnus illis consensit; alter non adfuit, duo tamen militum millia ad *Houm* in suppetias misit. Itaque cum viginti-quinque millibus progreditur *Hous*; non contemnendæ copiæ, si milites animo ac fortitudine fuissent pari. Præmisit diploma, quo Tartaros audacter provocabat, ac omnia illis extrema minitabatur; Sinis vero libertatem, incolumitatem, atque omnia bonorum genera promittebat. Neque paucas urbes ac civitates ad deditionem faciles invenit, Sinis ultro portas aperientibus, & excipientibus: *Sigan* Metropolitana urbs sola præsidium ad vim repellendam idoneum habebat. Tria erant ea in urbe Tartarorum millia, ac selectorum Sinarum duo millia ex his, qui sub Tartaro Imperatore merebant. Eorum Dux, ubi *Hoi* motus audivit, undique quas potuit collegit vires, & reliqua ad ferendam obsidionem necessaria, donec nova Tartarorum auxilia advenirent. Vbi autem rescivit, Sinas ultro urbes ac civitates tradere, ut hoc in Metropolitana ne fieret, cives omnes ipse trucidare crudelissime constituit: nec ullis umquam precibus ab immani hac sententia dimoveri potuit; donec tandem totius Provinciæ Prorege rogante, ac suadente, promissa civium fideli opera, tyrannicum consilium mutavit. Interim edixit, ut omnes denuo capillos, & omnino more Tartarico raderent, indicta perduellionis pœna; ut eo discrimine cives à reliquis, si qui forte ingrederentur, dignosceret: hactenus enim Sinæ, capillorum suorum amantissimi, non totos crines abradebant, sed parvam duntaxat eorum partem temporibus hærentem. Edixit præterea, ut ubicumque intra mœnia plures quam bini

Hous in Tartaros insurgit.

Crudele consilium Ducis Tartari.

bini colloquerentur, id morte luerent: vetuit, ne quis mœnia conſcenderet; ne quis noctu per urbem obambularet, ignemve aut candelam noctu domi accenderet: juſſit ut omnia armorum genera traderentur; qui ſecus facerent, omnes cum tota familia rei mortis eſſent.

Poſt hæc, ut hoſtium vires exploraret, aliquos equites emiſit, qui partim cæſi, partim fugientes in urbem regreſſi ſunt. Quinetiam ut fortitudinis Tartarus Dux ac ſecuritatis oſtentatione deterreret hoſtem, portas urbis apertas eſſe voluit; imo nec mobiles foſſarum pontes attolli permiſit. Adeſt tamen *Hous*, & ingentem hanc urbem circumquaque à longe obſidet, extra tormentorum curulium ictum. Trium leucarum eſt ambitus urbis: ut autem majores quam revera habebat *Hous* vires oſtentaret, ignavum vulgus ruſticorum ſuis adjunxit, cum quibus trecenta hominum millia effecit. Tantam ubi Dux Tartarus vidit multitudinem, omnes eſſe milites credidit; unde de civibus omnibus delendis iterum cogitat: ſed meditata tam immania ſpes proſperi ſucceſſus diſcuſſit. Gaviſus enim plurimum fuit, quando ex mœnibus proſpectans, milites Sinas, quos habebat ſub ſignis, magnis animis cum *Hoji* copiis dimicare vidit. Hoc enim viſo clamabat, *Hoo Manzu*, quod bonos barbaros ſonat: ita nimirum à Tartaris Sinæ vocantur, ut fere ſubactæ gentes ſubigentibus ludibrio ſunt. Cumulabat vero hoc ſcomma his verbis, *Manzuxa Manzu*, hoc eſt, barbari barbaros necant: quos tamen, ubi à pugna redibant, non ſolum collaudabat, ſed argento etiam donabat, quod in mœnibus, ad præmia eorum qui promptiſſime dimicaſſent, exponi juſſerat. Itaque *Hous*, cum nullos intra urbem motus eſſe civium, prout ſperabat, intelligeret, conatus ſuos in irritum cecidiſſe videt. Sed & Tartarorum exercitus ſuppetias venit: de quo ubi per exploratores admonitus fuit *Hous*, aufugit illico; neque ſic tamen Tartarorum manus omnino evaſit. Tartarus enim Dux equites in fugientem ex urbe emiſit, qui ultimum ejus agmen occuparunt, & occiſione deleverunt, quamplurimis ablatis ſpoliis; quæ Dux ita diſtribuit, ut vulneratis plus daret, quam ceteris. Quid poſt hæc de *Hoo* actum, hactenus ignotum eſt, & nihil de eo auditum. Nihil ergo hi motus Borealium Sinarum contra Tartaros magis effecerunt, quam Auſtralium Provinciarum turbæ; niſi vaſtitatem incolarum

Metropolitana Sigan obſidetur.

Urbs Sigan liberatur.

ac regionum, quas Tartari denuo occupantes, utrimque miſere vaſtarunt, ac ſpoliarunt.

Tartarorum inſolentia res eorum ad magnum diſcrimen perducit.

Hoc periculo defuncti Tartari, in aliud maximum, ab eorum inſolentia ortum, incurrerunt. Anno enim MDCXLIX Tartarus Imperator, jam adoleſcens, uxorem ducere cogitabat filiam Regis Occidentalis Tartariæ, nimirum *Tanyu* Regni; ut vel ſic hunc Regem, cujus vires formidabat, amicum conſervaret. Ad eum ergo Legatum miſit Patruum ſuum Regem *Pavang*. Huic per fortiſſimam urbem *Taitung*, quæ *Xanſi* Provinciæ Borealiſſima eſt, iter erat. Dicitur autem hæc urbs clavis *Xanſi* Provinciæ, eſtque magni momenti contra Occidentales Tartaros: multis enim munimentis præeſt, ac ingentem militum numerum alit, ad montium & itineris cuſtodiam: ibi enim trans murum illum fama inclytum ingentes planities ſeſe explicant, Tartarorum excurſionibus aptiſſimæ. Sunt in hac urbe (ut vulgo creditur) totius Sinæ pulcherrimæ mulieres: harum aliquas Tartari, qui comitabantur *Pavang*, rapuerunt, ac inter ceteras, nobilem puellam, cum ad ſponſi domum duceretur. inauditum hactenus Sinis crimen. Gubernabat pro Tartaris has terras *Kiangus* Præfectus militum: apud hunc populi de Tartarorum inſolentiis conqueſti ſunt. Ille rei indignitate motus, mittit ſtatim qui Regulum *Pavang* admoneat, ac roget, ut ſponſam reſtitui jubeat, ac ſuorum immoderationem compeſcat. Regulus hæc ſurda excepit aure. Quamobrem ipſemet Dux *Kiangus* Regulum adit: à quo non modo non admiſſus eſt ad colloquium, verum etiam injuria affectus ex palatio ejicitur. Ira itaque fremens, Tartarorum ſanguine acceptam injuriam ulciſci ſtatuit: ſuos milites convocat, ac repente Tartaros invadit ac trucidat. Ipſe Regulus per murum dimiſſus vix vivus evaſit, pernicis equi celeritate. Tum *Kiangus* vexillum erigit, quo ſe *Han* Regni, hoc eſt, Sinici Imperatoris ſubditum declarat, nullo tamen Imperatoris nomine ſigillatim expreſſo; forte quia ob maximum itineris intervallum de *Iunglieo* nihil audierat. Itaque Sinas omnes ad patriæ defenſionem, ac Tartarorum expulſionem invitat. Nec pauci fuere milites ac Duces, qui ad eum concurrere. Quin & ab Occidentalibus Tartaris (contra quos ipſe cum ſuo milite hactenus ſteterat) magnis promiſſis auxilia poſcit, ac obtinet. Hæc res mirum quan-

Kiangus in Tartaros inſurgit.

Kiangus magnas congregat vires.

quantum Regiam turbavit, ac Tartaros Præfectos: nam Occidentales Tartaros Imperio inhiare, ac sibi invidere, non dubitabant: sciebant eorum vires, ac copias firmiores ac plures esse, quam Orientalium Tartarorum. Augebat metum quod nullos deinceps sibi equos fore animadverterent, quibus ut abundat Occidentalis Tartaria, ita Orientales non aliunde eos emere poterant. Quare quanta possunt velocitate, antequam *Kiangus* majores congregaret vires, justum exercitum Tartarorum contra eum ex Regia *Peking* mittunt. *Kiangus* vero, qui non minus fortitudine, quam arte promptus erat, & Tartarorum ingenia probe perspecta habebat, à multo tempore cum illis degens, fugam primo cum suis simulat; sed in ultimo agmine currus quamplurimos ire jubet, operosè contectos, quasi ditissima quæque continerent; qui tamen reipsa non merces, verum tormenta majora ac minora quamplurima inverso ore vehebant. Tartari veram eam fugam rati, incomposito agmine ad prædam advolant: verum tormentis inopinato explosis maxima eorum pars occumbit; quin & *Kiangus* acie obversa, confusos invadit, ac non parva edita strage fugat. Paulo post quoque, non minus stratagemate quam fortitudine insignem se *Kiangus* ostendit: cum novo ac reparato Tartarorum exercitu aperto confligit marte, ac nobilem reportat victoriam, qua Regiam *Peking* confusione ac metu implevit. Iam enim victor *Kiangus* ingentem ex concurrentibus undique Sinis contraxerat exercitum, ita ut centum quadraginta millia equitum, & quadraginta millia peditum numerasse dicatur. Vt enim victorem sequuntur omnia, felici jam Duci militare universi contra patriæ hostes contendebant. Vnde *Amavangus*, Imperatoris tutor, nulli alteri tanti momenti negotium committere volens, ipsemet in *Kiangum* movit, ultimum periculum de Tartarorum fortuna facturus. Tota igitur octo vexilla ad hoc bellum eduxit; hoc est, cunctas Tartarorum vires, quæ in *Peking* reperiebantur. Constat autem, sub octo vexillis omnes milites Tartaros ac Sinas, tum qui in *Peking*, tum qui per totam Sinam sunt sparsi, distributos esse. Primum, album est, quod Imperiale dicitur; secundum, rubrum; tertium, nigrum; quartum, croceum: his tribus ultimis Patrui Imperatoris præsunt; primum autem ipse Imperator regit. Ex his

Kiangus stratagemate Tartaros vicit.

Tartaros iterum vincit.

Amavangus ipse in Kiangum movet.

Tartarorum vexilla.

quatuor, permixto colore alia quatuor conficiunt; unde quilibet miles sub quo vexillo sit, & ad quæ castra, vel ad quam urbis partem devertere debeat, cognoscit; ubi semper paratis equis ac armis ad bellum prompti habitant. Cum autem exercitus vel cohors aliqua emittenda est, intra semihoram expediri possunt omnia. Inflatur enim pro tuba marinum cornu, illis simile quæ nos Tritonibus appingimus: ex loco autem, ac modo soni, qui & quo numero milites ac Duces procedere debeant, intelligunt; unde sine mora parati adsunt, ac vexillum sequentes (quod à tergo ligatum eques portat) exeunt, licet sæpe præter Ducem ac Signiferum, nemo, quorsum & cujus rei causa dicatur, intelligat. Quando pugnandum est, tum primum quo destinentur, cognoscunt. Secretum hoc in Tartarica militia Sinas omnes semper suspensos ac attonitos tenuit. Cum enim putarent Tartaros hanc aut illam regionem petere, sæpe aliam derepente petivere. Illud etiam in Tartarica militia rarum, quod nulla secum ducant impedimenta, nec de annona sint solliciti: cibus quem occupant, satiat: carne ut plurimum vescuntur, nec à semicocta vel semiassa abhorrent: ubi alia deest, occisos equos ac camelos vorant: per otium venantur, ac sæpe integros campos vel montes circumdant; deinde paulatim coëuntes feras in medio claudunt, ex quibus quot & quascumque volunt, interimunt: venaticos etiam ad hæc canes præstantissimos alunt, ac vultures. Cubile illis est solum, tapete, quo ephippium contegunt, substrato: à domiciliis incolendis abhorrent; tentoria pulcherrima habent, quæ tanta velocitate ac arte erigunt, vel deponunt, ut festinantem exercitum non detineant: si domos inhabitare necessitas cogat, parietes omnes perrumpunt, relictis columnis, ac tectis: eumdem locum cum equis pro cubili habent. Ita militiæ soli vivunt, seque indurant.

Secretum magnifaciunt in militia Tartari.

Tartari venatione delectantur.

Ex omnibus ergo vexillis, *Amavangus* optimos quosque ac frequentissimos eduxit. Præterea à tribus Regulis, quos in Austrum ablegabat, partem militum sibi adjunxit; mandans ut per Provincias, per quas transibant, ex præsidiariis certum acciperent numerum, quo defectum supplerent. Sed ingentem licet exercitum duceret *Amavangus*, numquam tamen pugnare cum *Kiango* voluit; ne nondum bene fundati Tartarorum Imperii fortunam everteret,

teret, aut unius pugnæ periculo exponeret. Itaque, licet *Kiangus* sæpius pugnam parato exercitu obtulisset, semper *Amavangus* detrectavit, donec quid Occidentales Tartari responderent cognosceret; ad quorum Regem Legatum cum magnis misit muneribus, filiam ejus pro Sinici Imperii domino in uxorem petens, ac affinitatem; rogans insuper, ut *Kiango* auxilia non submitteret. Obtinuere ditissima auri, sericorum, argenti ac mulierum munera, quod volebat. Vnde *Kiangus* à Tartaris desertus, ut rebus suis melius provideret, ad *Taitung* urbem regressus est; cujus rei cito illum, sed frustra pœnituit. *Amavangus* enim, convocatis innumeris undique rusticis, ingenti fossa (quæ decem leucas ambitu continebat) incredibili trium dierum velocitate, & erectis undique castellis, subitaneo opere urbem clausit. Tum enimvero *Kiangus* errorem suum agnovit, ac sibi suisque fame pereundum non dubitavit, quod ad fossam ducendam spatium concessisset. Itaque ira fremens, ut erat egregius miles, ad suos conversus, *Mori, inquit, volo, non fame, sed ferro, si moriendum est.* His dictis, cum toto exercitu ad fossam tendit. Pugnatum hic magna utrumque contentione; ab istis, ut fossam transirent; ab illis, ut defenderent: varia fuit fortuna, ac incerta victoria, donec *Kiangus* fortiter pugnando sagitta transfixus corruit, & cum eo spes tota Sinarum. Milites, eo mortuo, depositis armis partim aufugerunt, partim se Tartaris tradiderunt; à quibus libenter ac humaniter excipiebantur, satis utique gaudentibus, quod tantum amittendi Imperii periculum evasissent, ac tantum hostem debellassent. Post hæc *Taitung* urbem spoliarunt, & præcipue *Pucheu* civitatem, quam etiam igne cremarunt; ita templum ibi nostrum periit, ubi paucos ante annos, *Licungzi* latronis tempore, & patrem *Michaëlem Valta* Austriacum amiseramus. Reliqua ultro se submiserunt. Inde vero Tartari victores, ac spoliis onusti, *Peking* redierunt; ubi tum temporis eram, & ditissimos plerosque redeuntes vidi. *Amavangus* autem deinceps Occidentalem Tartariam ingressus est, ubi *Xunchii* Imperatoris matrimonium stabilivit, & quamplurimos equos à Regni *Tanyu* Tartaris accepit.

Kiangi error.

Kiangus occiditur.

Xunchius Imperator uxorem ducit.

Interea tres Reguli, de quibus supra, Austrum petebant, ut inquietas illas Provincias in officio continerent. Per *Xantung* iter habebant prono flumine *Guei* navigantes: cumque transirent per eam regionem, quam Imperator, occisis ob perduellionem Sinis, inhabitandam & colendam Tartaris distribuerat, horum quamplurimi, cum magis bello ac armis gauderent quam aratro aut ligonibus, agriculturæ ignari, ut Regulos comitari possent rogarunt. Duo ex Regulis hos admittere noluerunt inconsulto Imperatore; tertius, *Kengus* dictus, admisit: itaque læti rustica instrumenta in bellica permutarunt. Imperator, ubi hæc rescivit, *Kengo* mandat, ut eos remittat: at ille varia prætendens, obedire detrectat. Quare Australium Provinciarum summo Gubernatori, qui *Nanking* residebat, Imperator rursum mandat, ut *Kengum* vel vivum capiat, vel occidat. Facit ille Imperatoris mandatum secretissime. Regulos *Nanking* advenientes alacriter excipit, paratis conviviis, ac comediis exhibitis, quasi nullum ab Imperatore mandatum haberet. Cumque adesset dies, quo iter suum Reguli per magnum *Kiang* fluvium continuare volebant, prædictus Gubernator eos iterum convenit, ac in ipso flumine convivio excipit, quasi valedicturus: (habet autem Sina ad hunc usum pulcherrimas ac ingentes naves, quæ quædam palatia inaurata credères.) Regulos igitur in hujusmodi navi convivantes hilariter detinet, donec milites omnes longius præcessissent: tum vero Imperatoris mandatum *Kengo* exponit. Ille promptam obedientiam simulans, se in ejus potestate futurum, & *Nanking* reversurum promittit, si prius concederet, ut ad navim, quæ ipsum expectabat, se conferret, & de rebus suis disponeret. Concessum est; & navem ingressus, laqueo se suspendit, ac mortem, quam effugere non potuisset, sibi ipsi intulit. Summus autem Gubernator, Imperatoris nomine, ejus filio eamdem quam pater habuerat Præfecturam concessit; atque ita tres Reguli, superata *Nanking* ac *Kiangsi* Provincia, ingressi sunt tandem Provinciam *Quangtung*, Iunglieo Imperatori bellum illaturi. Et primum quidem nullo negotio plurimas urbes ac civitates ad voluntariam deditionem pronas habuerunt, trium videlicet exercituum potentiam formidantes; sed *Quangcheu* Metropolis vim experiri voluit.

Kengus Regulus se ipsum suspendit.

Est *Quangcheu* urbs ditissima, ac amplissima, undique magnis ac latissimis aquis cincta, unica Borealis porta in continenti est

Quangcheu urbs obsidetur.

ti est; alibi tantum naviculis in urbem patet iter. Aderat ibi cum ingenti classe capti *Iquon* filius: numerosæ præterea militum copiæ illam defendebant, inter quas & *Macaënses* fugitivi non pauci, qui ob opima stipendia Iunglieo militabant. Vnde non mirum si integro fere anno obsidionem tulit: fame enim domari non poterat; quia mari facile omnia ac libere advehebantur; Tartaris interim classe carentibus, & navigationis ignaris. Quibus addendum insuper, Tartaros plurimos in ea obsidione occisos, & ter impressionem facientes, fortiter rejectos fuisse. Attamen XXIV Novembris MDCL. postquam magnis tormentis mœnia Tartari dejecissent, eam cœperunt; prodente etiam, ut fertur, Præfecto quodam Sinico; cui eamdem Tartari Præfecturam, quam habebat, reliquere; unde proditionis suspicio. Altera vero die urbem spoliare cœperunt, & ad quintam usque Decembris deprædatio tenuit, in qua infantes, mulieres, ac obvii omnes necabantur crudelissime; unaque audiebatur vox, *Occide, Occide hos rebelles barbaros.* Artificibus tantum aliquibus vita permissa est, ad conservandas artes, & iis quos ad spolia portanda milites Tartari robustiores videbant. Sexta demum die Decembris Regulus diploma publicavit, quo sæviri ultra vetuit, postquam supra centum millia hominum occisa sunt, præter eos, qui obsidionis tempore vario mortis genere præcepti fuerant. Post hæc, circumvicinæ civitates omnes Legatos suos miserunt, per quos Tartaris se ultro dedebant, misericordiam implorantes, quam magnis missis muneribus obtinuerunt. Deinde Regulus in *Chaoking* copias duxit, ubi *Iunglíei* erat Regia; ex qua cum tota Familia impar viribus Rex aufugit, & urbem Tartaris cedere est coactus. Quonam autem Rex iste cum suis devenerit, hactenus ignotum est mihi, (*Quangsi* Provinciam ingressum non dubito.) Hoc enim tempore ex Provincia *Fokien* Sinica navi vectus, Philippinas petii, in Europam ab iis missus, à quorum nutu discedere mihi nefas.

Quangcheu tandem capitur, ac vastatur.

Iunglieus fugit.

In Metropolitana *Quangcheu* templum magnificum habebamus, ubi Pater *Alvarus Semedo* Christianam rem procurabat, qui etiam à Tartaris captus ligatusque fuit, sæpe mortem minitantibus, nisi argentum, quod bonus Pater non habebat, proferret: demum postquam multa passus esset, ob venerandam canitiem, & libertatem & vitam mirabiliter obtinuit, à Regulo agnitus ac dimissus: quinimo ab eodem Breviarium Romanum, Sacra Biblia, ac bonam argenti summam eleëmosynæ nomine accepit, & domum insuper, ex qua templum construeret. Quod mirum videri non debet; namque hic Regulus & Patres in reliqua Sina noverat, & Religionem Christianam perspectam habebat, quando sub *Sun Ignatio* militabat, sub quo ad Tartaros confugerat. Nec solus hic Tartarus rebus nostris favet; ceteri fere omnes Europæos Patres amant, æstimant ac venerantur. Et non pauci ex illis jam Fidem admiserunt nostram; majoresque multo fructus speramus, si à sociis adjuti, ipsam ingrediamur Tartariam, ut meditamur; ubi nostros Deo Optimo Maximo egregiam operam navaturos confidimus. Et fortasse benignus Deus Sinam Tartaris aperuit, ut Religioni Christianæ in ultimam Tartariam pandat iter, hactenus ignotam nobis ac inaccessam.

Tartari Templu offerun. Patribus

Tartari Fidem amplectuntur.

Eodem tempore quo hæc agebantur, contra Coreanos etiam motum est bellum. Erant illi ab aliquot annis Tartaris tributarii, ea conditione, ut vestes ac capillos non mutarent: sed Tartari, tot victoriis inflati, jam cogebant ut Tartarico more incederent: quare totum illud Regnum à Tartaris defecit. Sed quid deinceps actum, nondum ad me perlatum est.

Corea à Tartaris deficit.

Ceterum inter tantas Tartarorum victorias, initio anni MDCLI. mors *Amavangi* luctuosa incidit. Vir fuit, cui Tartari occupatum Imperium debent, prudentia, justitia, bellica arte & comitate insignis; ob quas virtutes non modo Tartaris, sed ipsis Sinis amori simul ac terrori fuit. Hujus mors Regiam turbavit: alter enim Rex Tartarus, hujus frater, nomine Quintus, *Xunchii* junioris Imperatoris tutelam per vim arripere volebat, Tartaris ac Sinis invitis, qui *Xunchium* jam annorum sexdecim, posse ac debere regimen suscipere contendebant. Quintus autem Rex contra, *Xunchii* ætatem tantis rebus adhuc imparem prætendebat, ac sibi debitam tutelam. Quare Præfecti omnes, eo tempore in Regia versantes, palatium ingressi, Præfecturæ insignia deposuerunt; negantes illa ab alio, quam à *Xunchio* se recepturos. Hac visa constantia, Quintus ipse Rex, ne magis exacerbaret animos, & majores turbas excitaret, tandem quievit.

Amavangus moritur.

Ceterum, *Amavangi* mortem, Tartarorum res turbaturam, ac ad magna discrimina per-

perducturam non dubito. Ægre enim juvenis Imperator illi similem fortitudine ac gubernandi peritia inveniet, quem Reges ac Præfecti omnes venerentur simul, ac timeant: sed tempus futura evolvet. Nunc ad *Changhienchungum* secundum latronem veniamus, de quo me acturum promisi: ut quo pacto Tartari non modo Orientaliora, ac Mediterranea, sed etiam Occidentalissima Sinæ occuparint, edisseram.

Changhienchungus immanis tyrannus.

Pudet equidem ac tædet de hujus latronis rebus agere; tum quia ejus facinora vix fidem invenient, tum quia sunt ejusmodi, ut de iis ne cogitare quidem deceat sine horrore. De eo longam habeo narrationem, à duobus nostris Patribus scriptam, qui in *Suchuen* provincia, ubi latro erat, rem divinam procurabant, nempe R. P. *Ludovico Bullio* Siculo & R. P. *Gabriele de Magellanes* Lusitano: quorum integritati quia debetur fides, ideo adducar ut credam, mortalem hominem ad tantam nequitiam ac sævitiam pervenire potuisse. Ex ea igitur narratione hæc breviter desumpsi, quæ nihil fere aliud continent, quam diræ crudelitatis exempla, & adeo exquisitæ, ut vix dubitari possit, quin Lector, quantumvis humanus, ejus auctorem, non hominem, sed feram, aut carne humana indutum dæmonem appellare debeat, & si quod est aliud dirius nomen illi imponere.

In varias Provincias penetravit hic latro, quas omnes rapinis,cædibus,incendiis, omnibusque miseriis impletas fœdavit. Erat illi animus omnes vastare, ne hostes haberet, vel in vivis relinqueret qui à se deficere possent; solis suis contentis militibus: sed nec horum quamplurimis pepercit. Verum Provincia *Suchuen*, ingens ac populosissima, in qua per vim Regium assumpsit nomen, crudelitatis summæ theatrum fuit. Postquam enim *Huquang* ac *Honan*, & partem *Nanking* ac *Kiangsi* vexasset, pervenit ad eam anno M DC XLIV, & in ejus Metropoli *Chingtu*, vi capta, primo furoris æstu Regulum ex *Taiminga* Familia, qui in hac urbe sedem fixerat, occidit; uti jam septem alios ex majoribus crudelissime mactaverat. Hæc fuere præludia tragicorum actuum, quorum scenas breviter exhibebo, ut videant Europæi, quam horrenda sit effrænis & armata ferocitas in mediis infidelitatis tenebris furibunda.

Varios Regulos occidit.

Habebat latro crudelitatis impetus repentinos, ac principia ex durissima orta indole. Nam vel leviter ab aliquo offensus, vel sola offensionis suspicione tactus, repente mactari jubebat. Nihil ei in ore nisi vocabula mortis. Sæpe unius ob crimen totam familiam necabat, nec infantibus nec prægnantibus parcens: quinimo sæpe totam plateam delebat, ubi ille, à quo offensus fuerat, habitabat, sontem cum insontibus involvens. Aliquando cursorem in *Xensi* vicinam Provinciam misit: ille regredi ad tyrannum noluit, lætatus plurimum quod ejus manus evasisset: ob id totam regionem urbis, in qua habitabat, delevit; & magnam quoque feritati vim intulit, quod cives omnes non eadem pœna affecerit. Ubi carnifex, quem forte ob crudelitatem præ reliquis amabat, morbo extinctus fuit, tum de Medico, à quo medicinam sumpserat, inquirit: quo interempto non contentus, centum ejus artis homines carnificis manibus immolavit.

Ob unum sontem insontes plurimos necabat.

Erat quidem in speciem comis ac suavis erga milites; cum illis ludebat, epulabatur, ac tamquam gregarius colloquebatur: sæpe ob bene exhibita militaria exercitia, ipse suis manibus eos sericis ac argento donabat. non erat hoc illi inutile, nec probrosum: verum & facili de causa crudelissime coram se aliquos ex illis trucidari jubebat; præcipue milites ex *Suchuen* Provincia; cujus populum miro persequebatur odio, quod suspicaretur eum Regia ejus potestate non gaudere. ut vix quidquam agebat in publico, quin id ex comœdia in tristissimam catastrophen ac tragœdiam desineret: si enim vel male vestitum, vel parum generosè ambulantem militem forte videret, morte quamprimum afficiebat. Aliquando militi sericum dono dedit, qui de ejus vilitate apud commilitones conquestus est: Id forte audivit explorator, (quorum quamplurimos meticulosus tyrannus ubique habebat, qui facta & dicta omnium referebant) à quo admonitus, ipse totam illam legionem, sub cujus vexillo querulus ille miles arma gerebat, coram se trucidari crudelissime jussit. Erat ea legio, ut ferunt, duorum millium.

Odium tyranni in Suchuen populos.

Legionem militum delet ob unius crimen.

Habebat in Regia urbe Præfectos *Togatos* sexcentos, publicis officiis præpositos: ex his post trium annorum spatium vix viginti superfuerunt; omnes levissimis de causis vario mortis genere affecit. Summo militaris Tribunalis Præfecto, quem *Pingpu* Sinæ dicunt, vivo pellem detrahi jussit, quod absque peculiari mandato Philosopho Sinico ad domum suam e Metropoli exeundi potestatem concessisset.

Præfectos varios necat.

Eunu-

& Eunuchos.

Eunuchorum quinque millia, quos ex *Taiminga* Familiæ Regulis à se occisis ad proprium admiserat obsequium, trucidari immaniter jussit; quod eorum uni semel accidit, ut non Regis titulo, sed antiquo latronis *Changhienchung* nomine eum compellaret; perinde quasi jam latro non esset.

Nec idolorum pepercit sacrificulis. Hi, antequam latro *Suchuen* occupasset, ingentem tumultum, fictis armati criminibus, in Patres, qui incolis Christum annuntiabant, moverunt; quæ demum in majorem Dei gloriam redundavit; ita ut Patribus libere divinam rem agere permissum sit. Postquam autem latro *Suchuen* occupavit, sacrificulus magni nominis, qui turbarum caput ac auctor fuerat, ob quædam verba quæ de tyranno protulit, captus est, ac in Patrum conspectu, qui forte tyranno adstabant, capite truncatus. Didicerant Patres à Christo inimicis benefacere, sed pro illo intercedere non potuerunt, quod latronis insanam iram noverant, quæ intercedentes eadem pœna, cum eo, pro quo intercedebant, affecisset. Amabat quidem dirissimus latro Patres, tamquam doctos ac hospites, ac sæpe cum illis colloquebatur, in palatium sæpe invitabat; Patres tamen toties ad mortem se vocatos credebant, quam ob præcipitem tyranni iram merito formidabant. Ter morti destinati, ex quarto demum periculo divina quadam manu, ut suo loco videbimus, erepti sunt. Non quievit autem tyrannus unius sacrificuli morte: undique ad viginti millia conquisitos vario mortis genere ad orcum, cui servierant, misit. Laudabat se ipse coram Patribus, tamquam rem bellam egisset: *Hi* (dicebat) *vobis vitam eripere volebant*; *sed Tienchu* (ita Deum nominant, quod Cæli Dominum significat) *me misit, ut pro vobis de his hostibus meritas reposcerem pœnas.* Sæpe etiam cum Patribus de Christiana Religione loquebatur, & tam apposite, ut Christianus videri potuerit. Laudabat ac extollebat Christianam doctrinam, de qua tum à Patribus ore tenus multa audierat, tum ex libris, Sinico idiomate à nostris impressis, legerat. Promittebat, ubi Imperium occupasset, extructurum se Deo templum, sua dignum munificentia: eratque in operibus externis vere splendidus ac magnificus: nihil enim nisi omnino egregium extruxit; sed omnia operariorum sanguine fœdabat, quos ubi vel levissimum errorem commisisse deprehendebat, ipso in opere crudeliter necari jubebat.

Tyrannus Patres modo amat, modo necare vult.

Ob unius sacrificuli [illegible] 20 millia occidit.

Hanchung urbem occupare tentat.

Ad Boream *Suchuen* Provinciæ, ubi cum *Xensi* concurrit, jacet urbs fortissima *Hanchung*, quæ ad *Xensi* pertinet: utriusque Provinciæ clavis dicitur, ob loci præstantiam ac fortitudinem: hanc tyrannus occupare contendit, ut facilius ad reliquas penetraret. Ingentem ergo exercitum anno MDCXLV præmisit, in quo, præter reliquos, milites erant ad centum & octoginta millia ex *Suchuen* oriundi. Cum diu urbem frustra obsidione cinxissent, obsessis fortiter ac strenue resistentibus, quadraginta millia ex *Suchuen* ad urbis Præfectos defecerunt: ita tantus exercitus demum ad tyrannum re infecta redire coactus est. Sed tyrannus ira fremens, ceteros in fide perstantes ex *Suchuen* milites (centum erant & quadraginta millia) tamquam rebelles, horribili ferocitate à reliquo exercitu occidi jussit. Quatuor integros dies tenuit hæc carnificina: quamplurimis vivis adhuc spirantibus pellis detracta, & relicto annexo capite stramine repleta, atque ita ad civitates vel urbes, ex quibus oriundi erant, transmissa, ut civibus terrorem incuteret: atque hinc in totam Provinciam, tamquam à se Rege alienam, illud odium concepit, quod vix eadem omnino deleta extinctum est. Plurimi quidem, ob inauditam ejus tyrannidem, contra ipsum arma capiebant; qui cum milites non essent, sed solum ex confusa populi turba collecti, sine peritis Ducibus, facile à latrone superabantur: plurimi, iique prudentiores, urbibus relictis, secretiora montium occupabant: hi ex tota fere Provincia soli crudeles tyranni manus evaserunt.

Centum quadraginta millia militum crudelissime necat.

Studiosos omnes occidit.

Post hæc omnes totius Provinciæ studiosos ad Litterarium examen vocat, Præfecturas doctioribus promittit. Has adeo cæca ambitione prosequuntur Sinæ, ut tyranni stratagema ac perfidiam ne intellexerint quidem. Adsunt ergo ad decem & octo plus minus millia; quos omnes (ut moris est) in Gymnasium urbis, tamquam ad examen introduxit; ubi captos, à militibus necari crudelissime jussit, asserens eos esse, qui suis sophismatis populum perturbarent, & ad rebellionem provocarent.

Infantes necat, ac matronas exponit.

Horresco referens tot funera, & novis tamen obruor. Necdum enim recensui quot ubique passim infantes, pueros, puellas ac matronas, etiam prægnantes interemerit. Quot Præfectorum uxores, vivis adhuc maritis,

ritis, sed morti destinatis, prius publico exposuerit ludibrio turpissimus æque ac crudelissimus tyrannus, quam morti victimas immolaret: unde quamplurimæ violentas sibi potius manus inferebant, quam ut paterentur honestatis suæ publicum hoc & infame detrimentum. Execranda quamplurima hujus generis exempla relinquo, ne castis oculis ac mentibus infanda & tacenda subjiciam.

Anno deinceps MDCXLVI in Tartaros, quos *Xensi* Provinciam ingressos audierat, movere coactus est. Quare, ut securior procederet, reliquos omnes *Suchuen* Provinciæ incolas delere decrevit, iis exceptis, qui ad Barrapeliotem vergunt, ne exercitibus alimenta deessent: nam per eas terras procedere debebat; ea de causa illorum mortem in aliud tempus distulit. Primum itaque omnes omnis generis ac conditionis in *Chingtu* Metropolitana urbe cives, ab intromissa exercitus parte vinculis constringi voluit; (sexcenta hominum millia fuisse scribunt) mox ipse per hosce vinctos obequitans transivit, quem lamentabili ejulatu & lacrymis, quibus vel lapidem movissent, Regem ac Dominum compellabant, flexis genibus rogantes, ut innocenti populo suo parceret. Stetit ipse tantillum, natura humana diris visceribus ac crudelitati vim aliquam inferente: mox tamen ad ingenium rediens, *Occidite*, inquit, *Occidite hos rebelles.* Quare omnes eodem die extra urbis mœnia, spectante ac vidente sanguinolento latrone, trucidati sunt. Patres nostri per id tempus, ut famulis suis subvenirent, tyrannum cum evidenti suo adierunt periculo; à quo tamen, stupentibus omnibus, famulorum vitam obtinuerunt. Jam ligati cum reliquis educebantur: unde divisi Patres, alter una, alius alia urbis porta egressus est, per quas miserabilis populus educebatur veluti ad macellum; atque ita famulos liberarunt: ubi etiam Deo ac Religioni præclaram navarunt operam, infantes innumeros, militibus concedentibus, sacra Baptismatis aqua abluentes, qui ex carnificum manibus in Cælum evolaturi erant; atque ita immanis tyranni crudelitas parvulis illis profuit, ut Herodis Innocentibus: magnum plane Divinæ prædestinationis testimonium.

Sexcenta civium millia Chingtu urbis mactat.

Innocentes baptizantur.

Scribunt, tantum sanguinis hic fusum, ut magni *Kiang* fluminis (quod urbem præterfluit) aquas auxerit: imo ipsa corpora in flumen projecta sunt; à quo abrepta, reliquis urbibus ac civitatibus, ne meliora à tyranno sperarent, nuntiabant. Nec diu dilata res est: nam tyrannus, eodem modo undique dimissis exercitibus, reliquarum urbium ac civitatum incolas, quoscumque assequi potuit, occidit: ita totam pene populosissimam *Suchuen* Provinciam incredibili vastitate corrupit.

His peractis, milites omnes congregavit in campo, quem pro militaribus exercitiis quælibet urbs in Sinis habet (*Kioochang* vocant) ubi eos ita est allocutus: *Orbis Imperium, expulsis Tartaris, vestra virtute me consecuturum spero: sed expeditiores ac promptiores vos volo, quam modo sitis. Ego ipse, ut vobis notum est, sexaginta naves argento plenissimas Kiang fluvio mersi, quod, ubi Imperium occupavero, facile extraham, ut vobis de me bene meritis distribuam* (verum dixit de merso argento; sed ut locus lateret, nautas omnes mactaverat:) *majus restat itineris nostri impedimentum; mulieres nimirum, quibus vestrum quilibet gravatur. Agite fortiter, Imperio occupato exquisitissimæ aliæ non deerunt. Exemplo præibo, quamvis, ut Imperator, legi communi minime obnoxius.* His dictis, ex trecentis puellis (quas pulcherrimas ad voluptatem ac servitium sibi elegerat) solas viginti ad trium Reginarum obsequium servat; reliquas omnes ibidem necari jubet. Sequuntur deinceps milites crudelissimi Ducis Imperium ac exemplum, & innumeras innocentes mulieres, tamquam oves, & perinde ac si hostes essent, obtruncant.

Militum mulieres omnes necari jubet.

Ubi vero homines ex *Suchuen* Provincia, quos mactaret, non habuit, iram ac odium in urbes ac domos evomuit. Palatium superbissimum, quod sibi extruxerat, incendit: quo incendio & pulcherrimam ac amplissimam *Chingtu* Metropolim etiam vastavit. Arbores omnes, ne cui prodessent, dejecit. Ita (ut dicebat) purgato exercitu tandem processit, & ubicumque transibat, relictos hactenus mortales internecione delebat; omnes nimirum quos ad manus habere poterat. Neque his contentus, quamplurimos etiam ex militibus, quia præcedebant alios, vel tardius sequebantur, levissimas demum ob causas, trucidabat: ægrotos omnes ac debiles etiam ad orcum demittebat, ne (ut joco ludebat) in mala ac destructa regione miseri remanerent. Crudelissima alia taceo, & ad catastrophen propero.

Palatium ac Chingtu urbem comburit.

Vix *Xensi* Provinciam ingressus erat, quando

quando Tartarorum Dux, Imperatoris patruus, cum quinque Tartarorum millibus adfuit, reliquis copiis subsequentibus. More Tartarico quinque equites præcedebant: Tartari enim semper aliquos præmittunt; qui si bene excipiantur, pro signo submissionis ac pacis habent; si vis aliqua illis inferatur, futuræ pugnæ signum inde accipiunt. Hos equites prodromos latronis exploratores viderant, & statim adesse denuntiant. Ridet ille exploratores, & num advolarint Tartari, interrogat. Tum temporis homines quamplurimos ante se ligatos habebat, ut occideret; inter quos & duo nostri Patres erant morti destinati, quia in *Suchuen* redeundi copiam petierant; hujus enim Provinciæ ad Christum convertendæ curam susceperant: sed inopinata mors latronis eos à præsenti periculo exemit: eodem enim tempore à Ducibus admonetur, Tartaros vere ac pro certo adesse. Quo audito, ipse confestim è tentorio erumpens, ut erat animosus, sine lorica & galea, arrepta lancea, paucis comitatus exit extra castra, ut Tartarorum exploraret adventum. Adsunt reipsa quinque illi Tartari, ac tyrannum invadunt velocissime. Prima sagitta quam emiserunt, felicissima Tartaris & pluribus aliis fuit, quæ latronis dirum cor transfixit, ac illum extinxit, qui omnes necaturus videbatur, & ex vilissima latronis sorte Regis interim titulum violenter assumebat: ita crudelitatis monstrum corruit. Quo prostrato, reliqui simul adsunt Tartari, & facile totum ejus exercitum sine Duce fundunt. Milites quamplurimi ad Tartaros deficiunt, alii occiduntur, alii aufugiunt: & mox in *Suchuen* Provinciæ miseræ hominum reliquiæ, tamquam servatores suos, accipiunt Tartaros: atque ita hæc etiam Provincia Tartaris paruit, quæ in Occidente ultima Sinarum est, Tibetano Regno vicina.

Tyrannus occiditur.

Suchuen Provincia Tartaris subiicitur.

Stabilitis exinde rebus, ac relictis præsidiis in hac Provincia, ad *Peking* Regiam reditum parabat Tartarorum Dux; quando Patres nostri, jam liberi, facultatem ab ipso petierunt remanendi in *Suchuen.* Hanc vero concedere noluit; sed tantos hospites *Peking* secum ad Imperatorem transire debere dixit; in qua urbe ego ipse eos reliqui anno MDCL.

Ceterum ante commemoratus Dux, post tantam victoriam, ab *Amavango* fratre male est exceptus; & ubi triumphum sperabat, mortem invenit. Cum enim longissimo plurium mensium itinere, laborum assidua perpessione, ac continuis molestiis, plures quam pugnando Tartaros amisisset; de regiminis negligentia accusatus, cum laudem se meritum crederet, iram domare non potuit; sed arreptum Tartaricum pileolum in terram (quod summum est indignationis signum) projecit. Quare destinatus fuit carceri, in quem includi solebant ab Imperatoribus Sinicis quicumque ex Imperiali sanguine delictum aliquod commiserant; vocaturque hic carcer *Caociang*. Hoc vero probrum ne primus ex Tartaris pateretur, in proprio palatio laqueo prius vitam finivit; meliori dignus fortuna Princeps, quam generosus illius animus ac præclare gesta facinora merebantur. Non defuere qui hoc ex *Amavangi* æmulatione ortum affirment; sed credo *Amavangum* ad hæc adductum, quod rebus Tartaricis non parum timeret ab hoc fortissimo, sed præcipitis ingenii fratre.

Patruus Imperatoris non bene excipitur:

Seipsum suspendit.

Atque hic esto narrationis meæ finis, qua Bellum Tartaricum breviter descripsi, ad initium usque anni MDCLI, quo tempore ex Sinarum Regno in Europam à Superioribus meis missus discessi. Ex hac porro, si nihil aliud, illud certe mirum & omni observatione dignum apparet, quemadmodum brevi septem annorum spatio Tartari plus terrarum occuparint, quam exercitus integer in longum & latum perambulare possit: duodecim nimirum Imperii Sinarum Provincias, & *Coream*, ac *Leaotung* ingentes terrarum tractus. Quid vero post hæc actum sit, cum in charam mihi Sinam rediero, Deo bene favente, vel cum à Sociis admonitus per litteras fuero, faciam quoque ut Europa hujus Belli finem non diu desideret.

APPEN-

APPENDIX.

Postquam typis vulgata prodiit nostra de Tartarico bello Historia, cum Amstelodamo (ubi Atlantem Sinicum quanta potui celeritate ad editionem perduxi) Bruxellas reversus essem, ibi à Romanis nostris ad me transmissas postremas Sinensium litteras, quarum summo tenebar desiderio, accepi. Ex his aliquæ in civitate Xanghai Provinciæ Nanking XIV *Novembris anno* MDCLI, *à R. P. Francisco Brancato Siculo exaratæ erant. Quod autem existimem Europæis non ingratum me facturum, si privatum nuntium in publicum emitterem; narratiunculam, uti eam excerpsi è litteris, subtexo.*



De quo suprà fol. 15.

Amavangus suspectus, post mortem punitus.

AD saniorem jam statum Imperium Sinense perductum est, postquam *Amavangus*, adolescentuli Regis patruus ac tutor, è vivis excessit; cujus in occupando alieno Imperio velocitati, in retinendo vigilantiæ fortunam tam felicem Tartari debent. Extincti tamen existimatio longe diversa ab auctoritate viventis fuit. Cum enim regnandi potestas omnis ejus morte ad nepotem recidisset, is nomine *Xunchi*, ætate pæne puer, consilio ac prudentia senex, magna omnium Ordinum approbatione imperare cœpit. Vix inauguratus erat, quando judicii sui maturitatem cum justitiæ severitate conjunxit: deprehensis enim, quæ adhuc latuerant, nefariis Patrui consiliis, occultorumque flagitiorum vestigiis, eorum gravitate sic commotus est, ut demortui *Amavangi* sepulchrum, superbissimo ornatum cultu, effodi jusserit. Eo supplicii genere nulla apud Sinas capitalior est pœna; ab infixa enim animis religione summam venerationem monumentis defunctorum adhibent. Extractum inde cadaver, primum fustibus, tum virgis everberatum, tandem præciso capite, extremis reorum probris objectum est. Ita splendor tumuli in pulverem abiit, & fortuna, quod vivo debuerat, mortuo solvit. In Præfectos quoque *Amavango* amicos aut conscios suppliciis actum est: pars interempti, pars dignitatibus exuti. Hos inter varia *Colai Fung* fortuna fuit, qui summus Tartarici Imperii Præfectus, licet Christianæ Religionis exors, Societatis tamen nostræ amicus ac fautor in paucis, mihique probe cognitus fuit: eum, innocentia comperta, pristino loco restituit.

Vide suprà fol. 14.

Sinarum religio erga demortuos.

Tartari Imperatoris nuptiæ, & earum ritus.

Interea novus Imperator *Xunchius*, primo adolescentiæ flore pubescens, de fastigii tanti propagatione sollicitus, cogitatas jam nuptias absolvit, & filiam Occidentalis Tartariæ Imperatoris sibi connubio adjungit: in quo Europæorum more agunt Tartari, sponsa è summi generis virginibus ducta: at Sinarum Imperatores, posthabito natalium splendore, ex maximo formosarum numero eminentem forma conjugem legunt, & ne plebeiam quidem respuunt. Postremo certe Sinarum Imperatori uxor fuit, cujus pater stramineis calceis consuendis quæstum fecit. Sic olim Assuerus ex captiva Reginam habuit: quem morem credibile est vel à Sinis ad Persas, vel ab ipsis Persis ad Sinas olim derivatum. Sed ut ad rem nostram redeam, *Xunchii* nuptiæ pompa tanto Imperio digna celebratæ sunt. Nec Sponsæ adventanti fastus defuit Nationis ingenio congruens, immensæ militum copiæ, equorum greges, qui numerari vix poterant: opulentia siquidem Tartarica non tam luxui opportuna, quam bello. Neque supra fidem videtur innumerus equorum modus; equidem apud Sinas agens novi octoginta equorum millia ex Tartaria Occidentali uno commeatu ad Sinas dono deducta. Quæ Tartarorum potentia, ut nullis limitibus cohiberi se patitur, ita modo totam *Quangtung* Provinciam vi subegit: ex qua in *Quangsi* quoque fluminis more inundantes Tartari eam ditioni suæ adjunxere. Igitur ex ea profugus cum Eunuchorum principe *Pang Achilleo* Christiano *Junglieus* Sinarum Rex, ad confinia *Tungking* substitit, totoque fere regno exclusus dicitur. R. P. *Simon de Cunha* Lusitanus ex *Fokien* Provincia in suis scribit, *Junglieum* Regem, continenti omnino relicto, ne in Tartarorum manus incideret, mare petivisse. De Patre nostro *Andrea Xaverio Koffler*, qui Regem *Junglieum* sequebatur, ejusque filium,

lium, uxorem, matrem aliosque plurimos Baptismo sacro abluerat, nulla hactenus mentio; adeoque quid de eo actum sit, prorsus ignoratur.

Ceterum dum *Quangsi* Provinciam *Cung* Tartarorum Regulus domat, *Colaus*, qui summam Præfecturam gerebat, & Christianus erat, in potestatem hostium venit. Tartarus victor, triduo ab omni in eum crudelitate abstinuit, ratus egregii Philosophi animum dignitatibus præmiisque propositis ad obsequium flecti posse. Verum ille fidem olim Regi suo datam vitæ præferens, capite plexus est. Venerationi tamen ac laudi virtus fuit; corpus ab hostibus magnifico tumulo illatum: tametsi enim ad defectionem Sinas invitant Tartari; perseverantes tamen in fide præconio ac benevolentia prosequuntur. Hæc sane etiam ipse viri præstantis amicitiæ ac virtutibus debeo, quas & coram in eo veneratus sum, & Sinensis Ecclesia totos viginti annos cum admiratione suspexit. Nomen ei *Kiu Thomas*, memoria sempiterna dignissimum. Ex *Nanking* Provinciæ civitate *Changcho* oriundus fuit. Inter hæc ex *Suchuen* provincia, quam sævitie ac plurimorum scelerum infamia notus latro *Changhienchungus* evastaverat, nuntiatur variis eam bellorum motibus concuti; & quamvis perdomita videretur, novas tamen res turbasque moliri.

Egregia Præfecti fides in Regem.

Vide supra.

Iam & *Fokien* provincia laborare cœpit. Ex ejus urbe *Changcheu*, jam obsessa XXX Martii anno MDCLII, R.P. *Petrus Canevari* Genuensis scribit, *Quesingum* relictis navibus exscensione in continentem facta, omnem late regionem invadere, villas ac civitates nonnullas occupasse, terrorem circumferre; Tartarorum Præfectos præsidiis & munitionibus se continere, certamen detrectare: brevi tamen ex *Peking* regia sede ingentes copias expectari, iisque facile debellatum iri. Est autem *Quesingus* hic Provinciæ *Fokien* infestus, natus patre *Iquon*, seu *Chingchilungo*, magnæ famæ pirata, quem insigni Tartarorum dolo captum fuisse supra narratum est. Vt vero pertexam ea quæ de homine illo audivi postrema nova, cum Europam petiturus apud Hollandos in Batavia nova (ad quam ab illorum epibatis ac militibus quibusdam tamquam captivus deductus fueram) aliquot mensibus versarer; & quæ ex quibusdam Sinis ad eamdem Insulam navigio Sinico delatis anno MDCLIII Ianuario mense percepi; nempe ad compescendum *Quesingum* exercitus Tartarorum numerosos advenisse. Horum Dux calliditate utendum ratus, exiguam suorum manum adversus *Quesingum* præmittit: mandata addit, ut pugnæ sese committant, ac simulata mox fuga ad tutiora festinent. Maxima interim Tartarorum equitum vis profundam vallem à tergo montis interjecti insidet. Tartari, qui pugnam inchoaverant, mox fugam arripiunt; quos dum progressi Sinæ sequuntur ac premunt, & paulatim ardore vincendi longius à littore *Chang* fluminis, ubi classis stabat, recedunt, repente Tartarorum equitatus cernitur; fit maxima cædes, reditu Sinis ad naves præcluso, ex quibus ad octoginta millia deleta affirmabant, *Quesingo* suorum interitum ex navi spectante; quem & dixisse ajunt, se adhuc semel fortunam contra Tartaros probaturum; quam si iterum novercam experiatur, tum demum se capillos Tartarorum more abscissurum.

Litteræ [illegible]

Quesingus pirata.

Vide supra.

Quesingus vincitur.

Denique ut ea quæ ad Religionem spectant, atque postremis è Sina litteris accepi dum in Belgio Bruxellæ adhuc agerem, mense Iunio MDCLIV quam paucissimis attingam; referebant illæ, Patres Societatis IESV, à Tartaris benigne ut antea, & melius quoque haberi; liberrimum toto Regno exercitium Christianæ Catholicæ Religionis ab iis permitti, & præter vetera templa, novis quoque condendis non tantum fieri potestatem, verum & rei non parum in eorum fabricam quibusdam in locis ab iis esse collatum. Adeo quæ aliis damno sunt, divina bonitas suis vertit in lucrum. Verum hæc & similia fusius enarranda ampliori volumini reservantur, quod ea quæ ab anno MDCX (quo suum *de Christiana expeditione apud Sinas suscepta ab Societate* IESV librum concludit R. P. *Nicolaus Trigautius*) gesta sunt usque ad hæc tempora, complectetur.

Religio Christiana.

INDEX HISTORIÆ
BELLI TARTARICI.

Xenſi

Ob

APPROBATIO CENSORIS.

HISTORIA *hæc* De Bello Tartarico, à R. P. Martinio, Societatis Iesu, *aptè concinnata, & in nullo Fidei Catholicæ aut bonis moribus dissona, luce publicâ dignissima est. Actum* VI *Martii*, MDCLIV.

Guilielmus Bolognino S. T. L. Can.
& Libr. Censor Antverpiæ.



INDEX & ORDO
TABVLARVM
VOLVMINIS DECIMI.

ASIA.

SINA.

INDEX
ALPHABETICVS
TABVLARVM
VOLVMINIS DECIMI.

ASIA.

SINA.

